


JOANNIS PAULI OLIVA

PRÆPOSITI GENERALIS

Societatis JESU

ALLOCUTIONES

Ad ſuos in Urbe,

SIVE

EXHORTATIONES DOMESTICÆ.

Interprete JACOBO BOSCHIO

Ejuſdem Societatis Sacerdote.

PARS PRIMA.



ad A. Adm Rdo Pri Petro Ziwiecki Procuratore Soc. Jesu minori Pro munus donatus.

PRAGÆ, Typis Universit: Carolo-Ferdinand: in Colleg. Soc. Jesu ad S. Clem. An. 1676.



PATRIBUS FRATRIBUSQUE SOCIETATIS JESU,

HIERONYMUS CATANEUS Secretarius ejusdem Societatis *Salutem.*

DIu multúmque laborandum nobis fuit, ut, quas P.N. ad Romanos Sodales privatim Allocutiones habuit, vulgari pateretur: sive quòd eas hominum nostrorum a-

nimis, quàm chartis impressas mallet; sive quòd satìs late-patêre fructum earum putaret, si in Auditorum suorum mores inducta perfectæ Virtutis Præcepta toti deinde Societati illis Interpretibus & Exemplaribus traderentur. Sic enim Divinarum rerum scientiam apud Gentes quasdam nullis consignatam litteris feliciter perennâsse solâ dicentiũ discentiúmq; memoriâ. Dedit tamen manus filiorum suorum postulatis Optimus Pater, persvasus potissimùm Decessorum suorum exẽplis, qui quas adire Provin-

cies, ùt maximè optarent, vetabantur, litteris ſuis convenire conſvevêre, in quas, animorum ſuorum ſenſa conjecerant prompta ſemper legentibus, & ab Auctorum morte victura. Itaq; Italico primùm, hoc eſt nativo ſermone, Paræneſes iſtæ prodierunt, ſtylo forſan ornatiore, quàm privatarum Exhortationum ſimplicitas, & argumentorum quæ tractabantur natura poſtulare videbantur. Nempe aſſvetam Vaticanis Roſtris Eloquentiam inclinare, totúmq; dicendi genus repentè convertere non perinde

 prom-

promptum fuit: Planè ųnidem excusādum fuerit Hieronymo, postquam stylum ab eruditis & contentiosis disputationib9 adversùs Hæreticos ad Asceticas præceptiones traduxisset; *Misimus interim*, inquiebat, *te tibi, id est Paulo Seni Paulum Seniorem, in quo propter simpliciores quosq; multùm in dejiciendo sermone laboravimus. Sed nescio, quo modo etiamsi aqua plena sit, tamen eundem odorem lagena servat, quo dum rudis esset, imbuta est.* Quòdsi deinde acriùs aliquantò pro Religiosa Disciplina pugnare alicui videbitur, argumento

est,

eſt, longè maximas eas opes eſſe, pro quibus excubent vel Dracones, ſeu, ut ſanctiùs loquamur, ſacrarum ædium veſtibula non minùs ac terreſtrem Paradiſum flammeo verſatilíque gladio cuſtodiri debere, qui licèt, quæ Dei clementia eſt, in quæ pugnet, monſtra non habeat, labeculas tamẽ ac nævos; ſine quibus mortalium vita non ducitur, eradat, atq; aboleat. Sanè quæ Vulpeculas parvulas tã ſtudiosê veſtigavit ad laqueum, profeſſa eſt, aliquando Sanctitati periculum è minimis rebus exiſtere: nec

propterea laxandam custodiam remittendúmq; de vigilantia esse, quòd Ursi Pardique desint sacratæ Superis Vineæ Vastatores. Sed & hos quoq; procul ab aggere, procul à maceriere moveri, cùm in bestiolas illas tam curiosa perquisitio instituitur. Beatissimos proinde Cœtus illos esse putandum est, in quibus nævi tanquam vulnera curantur, & quælibet umbra Ægyptiarum instar tenebrarum admotis facibus dispungitur. Has igitur tales Parænenses, ut montes ultra tránsq; maria sonarent, Latino

no ſubinde ſermoni commen-
davimus, ut omni prorſus in
Gente terráque poſita JESU
Societas Parentis ſui vocem
exaudiret, ac monitis infor-
maretur. Valete.

EX-



EXHORTATIO I.



Bedientia Religioſa: Virtus propria Societatis.

EXHORTATIO II.

Revelatio Conſcientiæ: Anima Societatis; quis illius uſus, ac modus.

EXHORTATIO III.

Zelus Animarum: quàm neceſſarius Religioſis Societatis.

EXHORTATIO IV.

Zelus Animarum, ſi vitat

ærumnas, Peccatores non convertit.

EXHORTATIO V.

Zelus Animarum ſit inter Proximos ſerius, ſiquidem eos efficere ſanctos cupit.

EXHORTATIO VI.

Zelus Animarum domi de Deo loquatur, ut ſubinde cum fructu de eodem diſſerat cum Proximo.

EXHORTATIO VII.

Inſectationes, Indicia ſunt Virtutis; cui, ſi prorsùs eximia, & ab omni nævo pura fuerit, denique malevolentia ſuccumbit.

EX-

EXHORTATIO VIII.

Lingua Religiosa peccantes commoveat, & soletur pœnitentes. Benignam se peccata sua confitentibus exhibeat, sitque in conversatione cum Proximo planè cœlestis.

EXHORTATIO IX.

S. Franciscus Indiarum Apostolus exemplo suo Apostolatum fundare docuit in omnimoda, plenáque Indifferentiâ ad Ministeria, Domos, Provincias, ac Cœli temperiem.

EXHORTATIO X.

S. Franciscus Apostolus India-

diarum insatiabili ærumnarum siti, & capitali odio commodorum, & honorum Orientem expiavit, consecravítque: ac Nobis Formam præscripsit perficiendi Fideles, & Infideles convertendi.

EXHORTATIO XI.

S. Franciscus Apostolus Indiarum caducas illecebras detestatus, divináque à se solatia reiiciens, eò convolabat, ubi plus sudoris, minúsque gratas suas industrias sperabat fore. Tantundem præstet, quisquis de Societate se tanto Apostolo addere Socium cupit.

EX-

EXHORTATIO XII.

Quilibet Societatis Sacerdos Regularum obſervantiâ, & exemplo Vitæ ſit illuſtris. His ornamentis Presbyteri, quibus ætas provectior, Religioſos juniores antecellant. Id nimirùm conſequentur, ſi ſe mortificationis ſtudioſos, Legum Vindices, & hoſtes tepidorum profitebuntur.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendissimo P. Mag. Sac. Pal. Apost.

I. de Ang. Archiep. Urb. Vicesger.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capisuccus Ord. Prædic. S. P. A. Magister.

EXHORTATIONES
DOMESTICÆ

HABITÆ

In Domo Professorum Romanâ.

EXHORTATIO I.

In Pervigilio S. JGNATII CONFESSORIS.

Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum. *Luc. 12.*

OBedientia proprium ac peculiare Societatis decus, quò magìs cæca, eò ſanctior. Præcepta non examinat, dura non fugit, non quærit blandimenta, cum Superioribus non paciſcitur, id unū accurat, ut Divinæ voluntati ſuam conjungat ad omnem ejus nutum intenta.

SUb hanc ſanctiſſimorum Votorum Inſtaurationem diu multúmq; mecum deliberavi, eccui potiſſimùm è tribus verba commodarem: ſedit deniq; animo, tertium, ídq; poſtremum, Obedien-

dientiæ videlicet, expendere, In quam ſentētiam dies me pariter & Votum adduxerunt. Illa quidem; quòd cùm obeunda eſſet tam venerabilis nobis ſolemnitas, quam natalis lux S. Parentis Noſtri nobis imperabat; videbar illi facturus injuriam, ſi de Obedientia tacuiſſem, quam is tam ſtudioſè nobis commendârat, ut profiteretur, pati ſe poſſe, ſi alijs Religioſis Ordinib⁹ ſermonis parſimoniâ, pedum nuditate, labore manuum, aſperitate veſtitûs, vigiliarum, inediǽque moleſtijs, vel denique horrore ſolitudinis ultrò primas concederemus; ità duntaxat, ut eſſemus Obedientiæ laude præcipui. In hujus laudes cæleſtem illam ſcripſit Epiſtolam, quæ paſſim in omnibus pæne ſacris cœtibus, ad communem menſam prælegitur. Hanc eandem eſſe gentilitium nobis Inſigne voluit, & pro ejus aſſerendo principatu omnes Societatis ſuæ Profeſſos Romanorum Pontificum imperio peculiari Voto ſubjecit. Errarem itaque, ſi tam feſtâ luce, utpote ſancti illius Viri me-

memoriæ consecratâ, qui tam magnificè de Obedientia, & sensit, & scripsit, aut de ipsa tacerem, aut de alio argumento disputarem. Votum subinde virtutis quidem summæ, sed præ reliquis omnibus leviori armaturâ instructum, magisque vulneri patens, ad se tegendum, defendendúmque me hortatur. Animos adhibete: Paupertatem propugnant Concilia, & Ecclesiæ Canones; dum paucorum nummorum usurpationis in eam reos, Proprietarios, & infames pronuntiant; refossis quin etiam è cœmeterijs eorum damnatis corporibus, & ad corvorum pastum in fimetum abjectis. Pudicitia pariter tantâ vigilantiâ custoditur à Pontificibus, & Theologis, ut hujus Angelici decoris contemptores, nullâ materiæ parvitate indultâ, lethalis in Deum offensæ condemnent. Perinde siquidem est, hoc honestatis speculum inficias, ac comminuas: tot scholis personantibus, tot oraculis conclamantibus: NON DATUR PARVITAS MATERIÆ. Contrà

trà verò, ut ſacrilegij reus in Obedientiam peragatur, neceſſe eſt, ut vel in ſerpentem ſubditus abeat, ac damnato illo manifeſti contemptûs ſibilo proclamet; *Nolo* ; vel ut Præſes, diſtricto, quod ejus armamentarium habet, potentiſſimo telo horrendùm intonet: *Impero tibi pro omni ea poteſtate imperij, cui te Voti Sacramento addixiſti.* Jam verò quàm inſolens illud ac rarum eſt, ut vel ſubjectus tam protervè reſpondeat, vel tam acerbè Præſes edicat? Accedit Beati Legislatoris noſtri ſolemnis illa teſtificatio, quâ nè venialis quidē culpæ damnavit qualiscumq; Regulæ neglectū. Quæ cùm ità ſint, nemo non videt, quanto in periculo verſetur vitæ noſtræ perfectio; cùm hinc choro, ſolitudine, aſperitate veſtis ac laboris exempta, nōniſi ab Obedientia pendeat: ex alia verò parte propemodum deſtituatur, tum loricâ ad repellendos, tum mucrone ad inferendos ictus; utique cùm reperire vix aliquem ſit, qui peccare graviter in eam poſſit. Quæ cauſa eſt, ut ego in hoc diei exordio

dio pro incolumitate Voti tam inermis, & ſanctitati noſtræ tam neceſſarij exponendum mihi ſumpſerim, quàm pronum ſit, ejus meritum corrumpi, quàmque gravia ſint ejus non ad unguem ſervati detrimenta.

2. *Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum.* Animadvertimus ſcilicet omnes, eâ expectatione Obedientiam adumbrari, prorſus ignaram, quô tempore, loco, ac cauſſâ ſupervenire ipſi Præſidis imperium poſſit. Equidem beata ejuſmodi cæcitas, & ambiguitas glorioſa ad coronas nobiliſſimas obedientem provehit. Quippe Paupertas eorum, qui vel in tranſtris ſedent, vel ſtipem oſtiatim colligunt, vel armentorum greges ſequuntur, tametſi ſit egentiſſima, non tamen ea remigibus, mendicabulis, bubulcis, palmam virtutis, aut ſanctitatis titulos confert. Sic quoquè innumerabiles invenias, qui licèt illecebras ac petulantiam ſenſuum, ob ejus nempe ſceleris turpitudinem ſtudioſè fortitérque compeſcant: non tamen illi

propterea vitæ perfectæ gloriam assequuntur. Cùm è contrario, qui se vel Cœnobij legibus, vel Antistitis imperijs ultrò subjecit; dum integrè Ductoris sui mandata exequatur, & vestis, quam gerit, dignitati respondeat, eo solùm nomine, ceu Christi familiaris, & Apostolorum collega habeatur. Hinc est, quòd Lucifer nocendi callidissimus artifex, cùm excellentem probitatem Protoplastorum parentum pessundandam sibi sumpsisset, non ijs aut Contemplationis otia, aut divini ardorem Amoris, aut demissam erga Conditorem suum venerationem dissuasit. Non eorum appetiit virginitatem tam innocentem, ut sua eam nuditas lateret. Non eorum fidem oppugnavit, in dubitationem adductâ Dei charitate, pomi unius gustum, mortis pœnâ vindicantis. Non naturæ in Gratia creatæ conditionem in majus extulit, ut contenti, quem habebant, in res creatas, mundumq; universum principatu, futurorum bonorum curam omitterent. Solam Obedientiam,

tiam, & obſequium Deo debitum infringere conatus eſt; neque, ut eam proſterneret, ſuâ ipſe manu vetitos fructus decerpſit, vel in aureis pateris Adæ atque Evæ ad cænam, & corporum refectionem obtulit improviſus: Hæc enim omnia (ità ſecum ratiocinabatur Dæmon) atque his plura obtinebo, ſi Obedientiam in controverſiam vocavero; & huic virtuti beatum illud fidelis cæcitatis velum detraxero, quod tam altè provehit eorum merita, qui è nutu Dei ſe pendere profitentur. Simul ego horum oculos aperiam, ſimul excæcabo: in mortem quoq; illos impellam, ſi effecero, ut graventur palpebras ſubmittere nimiâ interdicti reverentiâ dejectas. Satis erit, ut litem deceptis moveã ſuper oppreſſione ſervitutis; & continuò famulatûs jugum excutient, ac Tabulas Legis pedibus proterent. Cùm dixero: CUR PRÆCEPIT? decurrent ij ſinè mora ad arborem, reſpicient ſurculos, ramos inflectent, & colorem fructuum admirati, poma devorabunt; qui-

buscumq; id prohibentis ingratijs. Dictum factum. Animadvertere autem hîc libeat & proclivitatem lapsûs, & oppugnationis ingenium. Equidem mihi persuadeo, quòd, sicut Deus Jobum invadendum, torquendúmq; Dæmoni permisit, si modò vitæ parceret; ità factam impuro Spiritui potestatem tentandæ feminæ, ità tamen, nè ad eam evertendam Angelum Lucis indueret; nè vultûs Seraphici splendore, dictis suis veneratione collectâ, tantæ lucis prodigio attonitæ, & mendacijs suis fidem faceret. Tenta sanè, inquiebat Deus, mulierem, sed sub schemate aut volucris, aut feræ. Conditionem figuræ nihil moratus Tenebrarum Princeps, certúsq; de victoria, quàm primùm controversam fecisset æquitatem Edicti; & neglectâ, quâ se feminæ spectandum daret, vel ardeæ formâ pretiosis plumis coronatæ; vel cygni, cantu, coloréque jucundi; aut pelle leonis, jubarum texto formidandi; aut mole elephanti, seu monocerotis, ebore, antidotísque nobili-

bilium belluarum: Qualemcumque, inquiebat, me primis hominibus obtulero, si hanc ex me syllabam potiùs, quàm vocem: CVR? audierint tantopere dilectam novitatis libertatísq; amantibus; secedent à Creatore, & factioni accedēt Inferorum. Personam mihi aptabo totâ terrâ vilissimam, & coluber effectus, primo alloquio, & corrumpam innocentes & sanctos agam in triumphum. Hæc effatus, & in serpentis spiras se se contorquens, Adami conjugem miserantis in modum sibilans alloquitur: CVR PRÆCEPIT VOBIS DEUS, *ut non comederetis de omni ligno Paradisi?* His igitur vocibus excantata mulier, tametsi audiret, tam palmare mendacium, fœdámque adeò monstri speciem haberet præ oculis, tamen ubi propositum edictum quatiebatur, jugúmque movebatur impositū, mentienti aures præbuit, & post paucas periodos, dolis latronis capta, convolavit ad stirpem, cibum rapuit, helluata est: ac tantâ Marito auctoritate porrexit, ut is quoquè, non ex- Gen. 3.

penſo terrore ſupplicij, aut imperantis majeſtate, deglutiret præmorſi fructûs reliquias; certus licèt de jactura divinæ amicitiæ & imperij orbis terrarum. Tantum poſſunt in animas gratiâ illuſtratas, & illuſtratas cœleſtibus viſis hæ duæ voculæ: CUR PRÆCEPIT! Jam verò ſi vox una trium litterarum præcepto oppoſita, cujus Deus Auctor pariter fuit, ac Præco, homines planè ſanctos inflexit, ut id flocci facerent, violarent, ac perduellione manifeſtâ, & publicâ pergræcatione conculcarent, quid deniq; nō efficiet adeò peſtilens: CUR? cùm authoritatem infregerit edicti ab homine lati: cúmq; impugnaverit non copiam deliciarum infinitam, ſed unius abſtinentiam pomi; ſed in ſumma humanorum ſolatiorum penuria jejunium à favis: ſed hauſtum myrrhæ? Quòd ſi enim homines ejusmodi, qui cum vitali aura, vitæ quoquè ſanctitatem imbiberant, quóſq; ſubinde cæleſtia ſpectacula corroborârant, ubi primùm legem ipſo Latore Deo rogatā exſibilari à ſerpente audie-

dierunt: CUR PRÆCEPIT VOBIS DEUS? continuò cælo tergũ obvertunt; chirographum ſalutis conculcant; Satanæ mancipantur; & fructûs unius guſtum amicitiæ Conditoris ſui, ſpei æternùm regnandi, & crebris Angelorum aſpectibus anteferunt: ſubituri quin etiam Monarchiæ jacturam, mortis imperium, & ignis æterni ſupplicium: In quam, Deus immortalis! ruinam impelletur, juvenis ætate fragili, nupérque admodum ex Ægypti paludibus emerſus, ſi quando ſibi occinentem audierit ipſo in religioſis munijs potiorem, & humanis non divinis conſtitutionibus obtrectantem: CUR PRÆCEPIT VOBIS? Heu me! actum eſt de ſanctitate noſtrâ, ac diſciplinâ; niſì eos repellamus, qui dum leges ad examen vocant, venenum nobis propinant; niſì liberis vocibus pro ſe quiſq; exclamet: Meum eſt facere imperata, non ſcrutari imperia. Prô nimiùm verus primorum noſtrorum parentum ſanguis, & erroris hæredes ſumus! Pronis auribus excepe-

runt

runt miseri illi Cacodæmonis susurros, & à voce Dei invitantis ad veniam, & ad obedientiam, quam exuerant, revocantis se absconderunt. AUDIVI *vocem tuam & timui*. In hunc fortè modum aliquis nostrum eum, quem observantiæ erga sanctiones Legum auctorem habet, fugiens, in unguibus hæret alterius captiosæ quæstionis præstigijs ipsum suffocantis: CUR PRÆCEPIT? *Tædium patiuntur ad revocantem, &* NON INTELLIGUNT JUGULANTEM. Accenseat se igitur Gratiæ transfugis, quisquis præceptorum æquitatem audet trutinare.

S. Augustin. Tract. 45. in Io. Tom. 38. 173.

3. Non ità profectò Apostolus egit, in præstando Numinis obsequio sponte cæcus, vel post receptam oculorum lucem. Quapropter cùm incredibili Romam adeundi desiderio teneretur, sed à Divina Providentia jam olim ab illo itinere distineretur, hanc semper absentiæ suæ causam Romanis attulit, sempérque secum ipse deveneratus est, omni curâ depositâ, illius impedimenti caussas curiosè

riosè vestigandi: *Nolo vos ignorare, fratres, quòd sæpe proposuerim venire ad vos, licèt præpeditus fuerim.* Certiores de impedimento Neophytos facit, sed in impedimenti rationes non inquirit. *Quid prohibitus fuerit, dicit; quamobrem autem non item.* Deniq; colligit S. Joannes Chrysostomus, admirabilem cæcitatem obsequentissimi Apostoli demiratus: NEQVE ENIM EXAMINAT MANDATUM, SED PARET. In hac cælestium decretorum reverentia, uti tempore, sic etiam merito præcessit Apostolum Paulum Abrahamus Patriarcha. Post egressum è paterna domo, patriæq; finibus, cùm vir egregius molestissimum exilium toleraret inter populos religione diversos, & latrocinijs assuetos; dum nonnullam quietem à tam acerbis imperijs sperat, monetur Angeli voce circumcideret se se, ac eundem cultrum in familiarium & filij sanguine cruentaret. Erat is ritus inter homines novus: erat vulneratis grauissimus: erat cum vitæ quoq; periculo conjunctus, in ijs ma-

Rom. 1.

Hom. 1. in Ep. ad Rom. Tom. 4. 26.

ijs maximè, quibus ætas provectior. Non igitur abs re videbatur, ut vir tantus Dei Legato, ſeu, ut meliùs dicã, Deo ipſi, quem Edicti de circumciſione auctorem pariter & præconem Sacræ litteræ nobis exhibent, intercederet, in hunc modum: An fortè ceremoniæ tibi deſunt, ô Deus, quibus ſeruitio tuo initiemur, quin nos ludum Gentibus faciàs, tam pudendi vulneris opprobrio? Sacrificia poſtulares; & nomini tuo tota armenta cæderemus. Iuberes in dedicatis tibi ſedibus ſupplices fieri; nóſq; depreſſo in terram vultu, te Deum noſtrum, & Principem publicaremus. Si cumulari altaria tua theſauris noſtris amas; ecce ſuperinjicimus quidquid ubiq; gemmarum eſt, atq; auri. Parce modò, nos Chananæorum ac Pherezæorũ ſannis objicere, tam fœdi ſtigmatis cruore notatos. At verò nihil horum, aut dixit, aut ſomniavit afflictiſſimus exul, ſed è veſtigio obligatis ſibi oculis, nè inauditæ ante illum diem conſuetudinis abſurdum in ſpeciem dedecus aſpiceret,

ceret, exacuit chalybem, domúmq; vulneratis implevit. EADEM DIE *circumcisus est Abraham,& Ismaël filius ejus, & omnes viri domûs illius.* Quo loco Chrysologus totâ contentione vocis exclamat; *Patris monita retractare non licet. Sic Abraham, ubi Deum credidit,* MANDATORUM FORMAS NON ATTENDIT *asperas & acerbas. Circumcisionem accipit verecundam, &, quæ cælestis Pater jubet,* NON DISCUTIT, SED JUDICAT GLORIOSA. At neque hîc stetit tentati Senis obsequium. Quippe cùm per quietem demandata illi fuisset Isaaci filij cædes, non exhorruit vel Oraculi severitatem, vel facinoris immanitatem. Vidit imperati parricidij difficultatem: tam crudi holocausti pænè insuperabilia incommoda consideravit: præsensit invidiam, quam esset subiturus tantâ impietate perpetratâ; cognovit futurum, ut adolescente trucidato, ipse aut catenis vinciretur ùt furiosus, aut tanquam parricida membratim divideretur: clausis nihilominus

Gen. 17.26.

Serm. 53. Tom 3. 4

nus ad hæc omnia Rationis oculis, strenuè processit ad montem, & altè ferrum in primogeniti collum extulit. In eo tam grandi horrore stirpis funditus excisæ, hæredis jugulati, conjugis in perpetuos luctus damnatæ, famæ deperditæ, inimicitiarum cum ejus Provinciæ populis susceptarum; satis illi fuit Deo paruisse. *Parricidium considerat perscelestum, sed* QVIA DEUS IMPERAT, *totum pietati committit.*

Ibidem.

4. In hac tamen filij à patre propemodum occisi specie, majus mihi paradigma se offert, ad confirmandos nos in tertij Voti servanda custodia peridoneum. Video in monte multò magis funesto, & carnificina incomparabiliter acerbiore, probrosioréque Patris æterni jussu coævum illi Filium, & pro nostra salute Hominem factum cum propinquâ morte Crucis in stipite luctantem. Quæ ratio, quæ necessitas esse potuit scenæ illius, ad cujus spectaculum tellus contremuit, fugit dies, Sol defecit, Mors mortuis vitam reddidit? Nemo sanè dixerit

xerit tribus clavis, septuaginta spinis, & pluribus flagellorum millib⁹ humanam Redemptionem opus habuisse. Quippe, ut abrumperentur captivitatis nostræ catenæ, nósque in libertatem è servitute assereremur, satis supérque fuerat primus, quem edidit, vagitus, aut primā, quam præsepi Servator infudit lacrymula. Poterat imò Filius Hominis, ob infinitam, quâ erat, dignitatem, & inexplicabile pretium, quod ejus actiones ducebant ab Unione hypostatica, quæ inter humanitatem suam, & Verbi Personam intercedebant, gemmato residens in throno, & purpurâ fulgens, hominum gentem reparare, & Orcinæ tyrannidis jugo exsolvere. Id tamen haud fecit; tum quia, salvo Patris præcepto, mors erat Christo subeunda, si nos salvos vellet; tum, multóque id magìs, quia Deus nostrâ erga Præpositos Constitutionésq; nostras contumaciam dare in ruborem voluit, dum Homo-Deus animam ageret in cruce, non alio quàm obediendi studio, ac desiderio mortiferi ligni cru-

ciatu ſtirpis alterius delicias compēſandi. *Venio in veritate crucis*, (ſcribit Ambroſius) *Mortis humilitate obedientiam probaturus, ut inobedientia deleatur.*

Sermone in Pſ. 50. Tom. 37. 157.

5. Exclamabunt forſan hîc aliqui: O beatam igitur Societatem; in quâ tantopere floret, regnátq; regium Obedientiæ Votum! Huic concentui jungerem ego quoq; voces meas, & lætus augerem itá ſentientium feſtam hilaritatem, nî conceptam lætitiam idem Abrahami ſacrificium reſtingueret, in quo non tam ſacrificij difficultas, quàm circumſpectio me terret Sacerdotis. Equidem Iſaacus ſummâ voluntate Religioni ſe victimam obtulit; conſcendit cum Patre Moriæ verticem, humeros lignis, accenſâ face manum oneravit, Aram ipſe ſibi compoſuit; Deo grates retulit, quòd ſe in exemplum perfecti erga ſua ſtatuta obſequij poſteritati propoſuiſſet. Nihilo tamen minùs, innocentem juvenem pater tenacibus funibus fortiſſimis pyræ ſtatuminibus adſtrinxit: neq; unici filij ſolas manus, aut ſola genua illi-

illigavit Patriarcha; verùm implicatos ineluctabilibus vinculis omnes hæredis sui artus duris stipitibus tam arctè junxit, ut nullam in partem, aut os ullum corporis, aut ullum pedis digitum posset deflectere. *Vincitur innocens Hostia*. An forte dubitavit anxius Sacerdos, nè juvenis mortis metu perculsus, ex ara desiliens in vicinum nemus profugeret? neutiquam sanè: magno enim animo religiosissimũ ictum opperiebatur. Quid igitur attinebat sponte pro Deo morienti vinculorum dedecus & tormentum superaddere? Nempe non satis cautum Isaaco putavit perspicax Mystes, nè scilicet quantumcumque religiosus, homo tamen, ad fulgorem ferri expallesceret, & ardorem animi naturæ imbellicitate superante sub ictu aliquantulùm trepidaret. Lubet in re præsenti audire Augustinum. *Vincitur* (inquit ille) *innocens Hostia, nè offerentis devotio putaret, se minùs aliquid exhibere*, SI IMPATIENTIA DOLORIS VICTIMA CALCITRARET. Quapropter si sub

Serm. 72. de Temp. Tom. 42. 133

ictu positus gladij, quo feritur, tantillum vacillet, & quamvìs obsequio collum præbeat, sed tamen, metu mortis, pedem subtrahat, pretiũ imminuit hostiæ tam prodigiosæ; credidítq; Abrahamus à se filium non ritè dari, si cervicem is quidem per inauditam fortitudinem submittens, tantillùm tamen extremam corporis partem moveret: nos scilicet nobis obedientes videbimur, si, non dicam, in acerbissimæ mortis articulo, sed vel tolerabili oblato incommodo, aut levi rubore incusso, manibus pedibúsque connixi, linguam, caput, & totum denique corpus à vertice usq; ad calcem agitantes, declinare imperium contendamus? certè Isaacus suspicionem nullam moverat, nè manum brachio patris inijceret, aut ensem extorqueret. Non timebatur, nè altè sublato clamore viciniæ imploraret auxilium, & ad vitæ suæ præsidium agricolas excitaret. Illud modò sollicitum habebat religiosum Patriarcham, nè tantis Natalibus editus Princeps, tam opulenti patrimonij Hæres

res, ſanctiſſimarũ exequiarum gloriam, imprudenti licèt, pedis aut colli flexu obſcuraret. *Nè offerentis devotio putaret ſe minus aliquid exhibere, ſi impatientiâ doloris victima calcitraret.* Jam verò nos, qui audimus obedientiæ victimam reprehendi, ſi quando nobilis primogenitus lætus quidem in mortem vadit, ſed vel frontem contrahit, vel latus inflectit: gloriabimur ſcilicet, vivere nos in Eccleſiæ facie veluti quaſdam dilaudatæ promptitudinis Hoſtias, tum quoquè cùm regentibus adverſi & frontis rugis, & oris pallore, & ſtridore verborum,& decuſſatione manuum, membrorúmque omnium jactatione teſtaremur obedire nos invitos, coactóſque? Quid? ſi promptitudinem obſequij jactaret is, qui Legum impatiens & ad juſſa contumax, gemitibus, precibúſque hujus Voti jugum in lectulum commutâſſet, in quo deſideria ſua otioſè quieſcerent? At quæ Dei miſericordia eſt, tam portentoſum monſtrum inter nos neutiquam deprehenditur, niſi forſan in

tanto numero Provinciarum & Collegiorum è nobis etiam Dathanus aliquis in Moysem seditiosus, aut Absalomus in Patrem perduellis exsurgeret.

6. Id, quod maximo quidem virtutis nostræ detrimento cadere in nos possit, est: stulta imitatio cæci Jerichuntini. Huic Servator obvium se ferens, ut pacaret ejulantem: *Quid tibi vis faciam?* dixerat. Quo indulgentiæ formidandæ potiùs, quàm optandæ, sono attonitus, & sermone colloquentium conditioni tantopere repugnante perturbatus Bernardus in rude, imperitúmq; mendicabulum invehitur. Túne igitur, exclamat Sanctus Abbas: audias Deum tibi loquentem, quid tibi à se fieri potissimùm cupias, quáve ratione desiderijs tuis obsecundet, magis; nec contremiscis, nec concidis, & ore impresso pulveri non exclamas: Túne, mi Deus; meo arbitrio agas quidpiam, cùm omni vermiculo sim despicatior in oculis tuis? Age potiùs, quod visum tibi, &, quod tute statuisti, jube. *Quid vis ut faciam tibi?*

Matth. 10.

tibi? Siccine Dominus quærit, ut servi faciat voluntatem? verè cæcus ille, quia non-consideravit, non expavit, non exclamavit: Absit hoc Domine, TU MAGIS DIC, *quid me facere velis, sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam à te, sed à me tuam quæri & fieri voluntatem* Nollem equidem beatam cæcitatem vigilantis obnoxiæq; Obedientiæ in temerarium arbitrium detestabilium cæcorum deformari. Vereor, nè in nostris etiam ædibus, ut in semitis Jerichuntinis, subditos suos Præsides compellent: *Quid tibi vis faciam?* Quis tibi locus minimè ingratus est? Quod præ reliquis tibi ministerium arridet? quò tuus te genius trahit? quænam denique foret tuorum meta desideriorum? & erit aliquis, qui voces ejusmodi pronis auribus excipiat, à Religiosa servitute, quam juravit, tantopere alienas? Quin effeminato illi: *Quid tibi vis faciam?* Apostolicum aliud magnis animis opponitis? *Domine quid me vis facere?* objurgent Præpositos suos subditi de sua virtute diffisos,

Serm. 1. in Conv. D. Paul. Tom. 43. 161.

quique, cùm possent, imperandi libertate, æterna suis diademata elaborare, ad incitas eos redigunt, quos scilicet invitant, ut regnantem in cœnobijs servitutem servili propriarum propensionum obsequio commaculent. Capita capitibus nostris submittamus, moneamúsq; constanter eos, à quibus molli freno regimur, optare nos integro votorum nostrorum fructu, præstito Vicarijs Dei obsequio, perfrui.

7. Id sanè præstarent omnes, interpellabit ex eorum numero aliquis, qui præcepta oderunt; nisì vel imperantis rusticitas, vel oneris impositi moles ab obsequio generosáque erga Præsides nostros submissione nos avocarent interdum. Nulla vos causa purgabit. Et primùm quidem faciliùs Phœnicem reperias, quàm Præsides injuriosos; utpote quorum electionem tot manus trutinârunt, tot expenderunt consilia; ut fieri haud posse videatut, sacrorum Cœtuum præfecturas hominibus committi, uti dicitis, crudis, atque omnis humanitatis

experti-

expertibus. Fac autem ità esse, quemadmodum injuriâ objicis: quò agrestior, aut est, aut videtur, qui sacrorum Cænaculorum claves tenet, eò pretiosior corona texitur dura, & intẽpestiva Præsidis sui mandata veneranti. Hujus Evangelici effati auxesis, ùt videri potest, audita primùm in Clara-Valle, magnáq; voluntate à Sanctis illis Monachis fuit excepta. IN QUANTUM GRAVARIS, IN TANTUM LUCRARIS. *Et in quantum juvaris, in tantum tua tibi præmia minuis; elige ergo, quos eligas: an qui gravando juvant, an qui juvando gravant? Hi tibi promeritores, illi fraudatores meritorum existunt.* Prohibeat à nobis Deus Gubernatores benignos! Imperantis lenitas, veluti quædam diadematum nostrorum rubigo, dehonestat, & deterit præmiorum nostrorum pretium. Equidem inopes mercedis æternæ sacros intra parietes viveremus, si, qui nos in Thaborem transfigurandos deducunt, per indignam miserationem, lacte nos potiùs, quàm felle potarent;

Ep. 73. Romel. Abb. Tom. 58. 360.

nec frontibus noſtris ſudorem contentione aſcenſûs exprimerent, ſed in ipſa etiamnum planitie ſtantibus roſas injicerent, ac tempora coronarent, mollitiei videlicet noſtræ obſecuti; & obſtinatos favorum ambroſiâ,& indulgentiæ melle irrorarent. *In quantum juvaris, in tantum tibi præmia minuis.* O térq; quatérque beata illa Collegia, in quibus & Operarij ambiunt vulnera, & Præſides non recuſant, aut minùs grati, aut etiam inviſi ſuis videri,dum Apoſtolico deſiderio exercendæ ſuorum virtutis inflammantur. *In quantum gravaris, in tantum lucraris.* Quàm forent & copioſiores, & locupletiores æternitatis noſtræ theſauri, ſi Gubernatores ſeveros nacti, in neceſſitatem feliciſſimam incideremus abnegandæ propriæ, & divinæ voluntatis momentis, rebúſq; omnibus explendæ. *Hi promeritores*, ILLI FRAUDATORES MERITORUM *exiſtunt.* Neq; verò, primo munimento ſuperato, vallum aliud objiciant Tepidi: ſcilicet intolerandum imbecillitati

tati nostræ pondus ab Obedientia impositum. Quisquis in hanc sententiam differit, intueatur ille bellatorum egregiorum difficillimam virtutem, in castris ad hostilem arcem metatis. Hìc pro se quisq; in primis ordinibus locum postulat; unusquisq; scalas poscit ad defigendum in vallo victoriæ signum: quilibet obvium mucronibus pectus offert; neq; ullus in tot cohortibus versatur, qui non perinde sit proprij sanguinis prodigus, quàm avarus alieni, suæ quoq; mortis impensis eliciendi. Et hæ quidem expeditiones palmis inumbrantur, & illustrantur triumphis. Cedo jam mihi de sylvis latrones, inquit Cyprianus: Hi Ducis sui, quem legerunt, tyrannidi se submittunt, & ad omnem nutum impotentis illius Furiæ expediti ad innocentium cædem, aut prætereuntium spolia in semitas procurrunt. Et tamen immanissimum hoc vitæ genus aut expectat restis, aut excipit rota. *Præpositus illic agnoscitur & timetur:* NON QUEM DIVINA SAPIENTIA CONSTITUIT, *sed in* Lib. 4. Ep. 9. Tom. 4. 12.

in quem factio perdita, & nocens caterva consensit. Deum immortalem! In Europa Christiana innumerabiles catervæ grassatorum versantur, quos à nefandis facinoribus non absterret per extrema supplicia vitæ abrumpendæ periculum; si quando illa imperaverit cruentæ cohortis Decurio. In quam rem tanta se multitudo impendit, tanto cum periculo corporis primùm carnificum manibus laniandi, tum etiam animæ æternis supplicijs transmittendæ eo solùm furore percita, ut in persona latronis dæmoni obedientiam præstet. Et inter viros Religiosos invenietur quispiam, cui Deum in Ministris suis audire grave sit? seu cùm Apostolici muneris obeundi se insignis offert occasio, seu cùm honestissimorum officiorum charitatis & zeli opportunitas præbetur. Quæ verò intercedere comparatio potest inter nostra ministeria, & certa bellorum pericula; vel inter Doctrinæ Christianæ, quâ rudes informamus, qualiacumque incommoda, & obnoxias lictoribus latronum insi-

insidias? neq; tamen minùs *Præpositus illic agnoscitur & timetur*, cui sceptrum non â SS. Triade per Vicariorum suorum manus, sed à Cacodæmone per sacrilegam conjurationem monstrorum malo genio possessorum traditum est. Qui deinde & hæc sentit, & hæc novit, ausítne ille suæ in sacratissimum Votum perduellioni mendacem speciem injustæ oppressionis obtendere?

8. Imò, quod amplius est atque deterius, quidquid Christo dicamus, id animis nostris aut Heroicum, aut majus humano facinus videtur; contrà verò, quod voluntati nostræ immolatur, tametsi sit plumbo ponderosius, & flammâ sævius, plumæ aut spirantis instar zephyri habetur. Quod dictum tam est verum, ut & sacris Doctoribus, & ipsi Ecclesiæ propemodum irascar. Agite enim, éstne apud sacros Interpretes pagina, quæ celebre Abrahami sacrificium Deo non quodammodo in os objiciat? litteræ omnes, Scriptores universi, Aræ, Exedræ, inauditis exaggerationibus ampli-

plificant Isaacum, cæli victimam, pyræ impositum. Neq; tamen Dynastæ illi, aut pilus evulsus, aut gutta sanguinis est in monte prolicita. E contrario Chananæorum mutis & Tartareis statuis maximos infantium greges, & puerorum agmina nepotes Abrahami immolârunt, eâ constantiâ, ut in tam funesta Idololatria in potestate vel gemitum haberent. Quin ab ipsis Parentibus Filij, Filiǽq; promiscuè, sinè numero marmoreis simulacris cædebantur. Neq; tamen Libitinam tam crebrò repetitam, aut verbo, aut scripto, in Religionis ac fortitudinis suæ speciem Israëlitæ produxerunt. Natabant humanarum hostiarum sanguine campi, útq; ad delubra pervenirent Levitæ sacrilegi, nisì vellent eâ illuvie inquinari, ad ea procedebant summis pedum digitis nixi, & ad genua usque veste succinctâ. Fidem non inveniam, nisì eam sacer scriptor sanciret. ET IMMOLAVERUNT FILIOS SUOS ET FILIAS SUAS DÆMONIIS, *Ps. 105. 37.* *& effuderunt sanguinem innocentem,*
san-

sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificaverunt sculptilibus Chanaan; & infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum; & fornicati sunt in adinventionibus suis. Quam holocaustorum in falsorum Numinum cultum immolatorum incredibilem prodigentiam, etsi hâc tempestate in tam immani nobilium corporum macello videre non sit, revocatur illa tamen in rebus asperis, atque difficilibus, multúmque accedit gravissimarum molestiarum patientiâ ad furialem Tartareámque tolerantiam tot liberûm simulacrorum cultui occisorum. Quòd si enim è Nostris Sacerdos aliquis invitetur, ut unam alterámve noctem animam agenti vigil assideat, jussæ vigiliæ religiosè quidem suscipiuntur, obedientérque; at eas subinde veluti grande virtutis opus Operarius prædicat, cæteriq; Domestici Societatis Caritatem ad dura quæq; tam propensam, & in hac aliisq; in hunc modum occasionibus promptam summis laudibus efferunt.

runt. Itá pariter amplificantur ſtudia, noſtrorum, ſi quando vicinos in montes ad ruſticanos homines edocendos excurrimus, eorúmque commodo extra, domos noſtras in communi diverſorio noctem agimus. Interim, ut Poëſeos œſtrum ſequamur in pertexenda, quam cepimus, oda; ſeu ut firmiſſimis argumentis Commentationum noſtrarum placita corroboremus: ſæpenumero complures noctes inſomnes ducimus: id quod à nobis, haud equidem dixerim, ambitio impetrat, (cùm perſpectum habeam, hæc à non paucis Dei, ac Religionis cauſſâ tolerari) ſed, quod aſſerere de non paucis debeo, Nominis immortalitati conſecrandi ardor, ſeu Typis Academicis, ſeu ſcholaſticis concertationibus, diuturna illa, & laborioſa inſomnia perſuadet, quorum arctiora, longè ſpatia ex Obedientia traducta facinus Anachoretæ, & quædam ſimilitudo Martyrij videretur. Itá antehac nec ſinè admiratione, videmus, non unum duntaxat aliquem è noſtris, qui, hyeman-

mante cœlo, tumidos aquis fluvios vado transmitteret; Apenninos nivibus obsitos scanderet, ut consanguineorum rebus adesset, iisq; opulenta conjugia conciliaret. Scio duos è nostris Sacerdotes Theologos, ad summa quæque Societatis obeunda munia peridoneos, totam propemodum vitam contrivisse in ignobilibus viculis consanguineorũ suorum reb⁹ intentos; in quos si fuissent ab Obedientia ad trium non amplius mensium moram relegati, ut vitia extirparent; ut rudes perdocerent; pares se fuissent credituri vel Thomæ, Fidei disseminandæ causâ transgresso in Indiam; vel Andreæ vitam agitanti in Scythia. Sic est profectò; sic est; per omnia templa Isaaci prostat effigies ad umbratilem tantùm sacrificij speciem destinati; & innumerabilium infantium famosorum Numinum honoribus crematorum nullo in pariete vel unum aliquod emblema conspicitur. *Effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificaverunt*

 sculpti-

ſculptilibus Chanaan. Nempe in amicorum, in neceſſariorum gratiam labores, moleſtiæ ac pericula devorantur, quæ forſan non omnes ſubirent pro ſacratiſſimo juratæ Obedientiæ Voto.

9. Et tamen hæc Virtus adeò inter omnes Religioſorum Cœtuum actiones effulget, ut nullam illarum inobſcurari unquam contingat, quàm diu iſta reſplendeat. In noſtra quidem Societate, quod Dei miſericordiæ debemus, divexationes ſui, tum privatæ, tum publicæ frequentes ſunt, aſperǽque: Paupertas tam rigidâ cuſtodiâ ſervatur, ut citra factam à Moderatoribus copiam, nec folium chartæ tribuamus; nec filum accipiamus; nec in conclave pes inferatur à quoquam ſeu hoſpitis, ſeu ægri ſalutandi causâ; Exercitationes quotidianas ſui demiſſio occupat: dum quisque ſibi domi ſuæ famulus eſt, aliíſque diſcumbentibus miniſtrat: exceptis ijs, quibus id, vel per negotia, vel per ætatem non licet. Mundo palàm eſt patientia noſtra in educandis adoleſcentibus, in captivis ſolan-

landis, in erudiendis mancipijs, in peccatoribus absolvendis, in concionibus per omnes anni festos dies habendis. Ipsa Ecclesia tot nostros Sacerdotes fausta cum prece dimittit, qui à littore Europæo ad Americanorum Chinensiúmque portus provehuntur: ut nihil jam dicam de tot Missionarijs, qui Christianorum pagos percursant, seu ut dedoceant Hæresim, seu ut Catholica, veráq; dogmata exponant. His tamen omnibus, admirandis licèt, ardoris Apostolici ornamentis, Obedientia supereminet, quæ una omnibus & animam inspirat, & coronam imponit. *Melior est enim Obedientia, quàm victimæ.* Id si ego de tot nostris Operarijs dico, jam olim idem de Apostolis primùm affirmavit Chrysostomus, & subinde inter Angelos evenire comprobavit. *Quid in Angelis magnificum prædicamus? profectò* QUIA CUM OMNI CURA OBEDIUNT DEO. *Quod David, quoque admirando dicebat: Potentes virtute, facientes verbū illius.* Quapropter post enumeratas præcipu-

Homil. 1. de Lau. D. Paul. Tom. 37 168.

Psalm. 102.

cipuas dotes Beatorum illorum Spirituum, accuratóque ſtudio expenſas Pauli Apoſtoli prodigioſas virtutes, dejerare non veretur, eas omnes Obedientiæ principatui, ùt ſtellas Soli, concedere. *Huic enim bono æquale eſt nihil.* Adeò ut, ſi Seraphinis proponeretur electio, impoſſibilis illa quidem, ut vel Dei viſionem amitterent, dum tamen ejus voluntatem exequerentur; vel neglectis ejus imperijs, beatitatem nihilominus retinerent ſuam; mallent ad unum omnes hanc perdere, nè videlicet amitterent Obedientiam. *Potentes virtute, facientes verbum illius. Prorſus etiamſi ſint milites incorporei*, HOC EST quod MAXIME PRÆSTAT EOS BEATOS, QUIA OBEDIUNT PRÆCEPTIS DEI. Jam verò nos, qui tam illuſtre teſtimonium dici audimus, pro dignitate ampliſſimâ Voti à S. Patre tanquam Tutoris cæterorum, próque perfectionis noſtræ gentilitia teſſera nobis relicti, poterimúsne non omnibus artubus contremiſcere, ſi quando aut non toto complexi animo,

aut

aut excuſationibus forſan, aut etiam querelis offendiſſe Obedientiam videamur?

10. Ea certè Tertulliano tam ſpecioſa, támque inter cæteras virtutes eximia viſa eſt; ut ſenex, etſi faſtu putris, & ſchiſmate carioſus, judicaret, nè nomine quidem hominis Chriſtiani dignum eſſe, quiſquis præter Obedientiæ præſcriptum aliquid patraret. Igitur adverſùs eos, qui Chriſtianos milites coronari poſſe cenſebant, eò quòd id ſacræ litteræ non prohiberent, diſſerens auſterus Doctor, negat, cultoribus Crucis ſufficere debere, ut aliquid ſibi licere arbitrentur, niſi hoc ipſum *poſitivè*, (quo modo Scholæ loquuntur) præſcribatur, atq; imperetur. *Quod non prohibetur, ultrò permiſſum eſt?* IMO PROHIBETUR, *quod non ultrò eſt permiſſum. ſi ideò dicetur coronari licere, quia non prohibeat ſcriptura, æquè retorquetur:* IDEO CORONARI NON LICERE, QUIA SCRIPTURA NON JUBEAT. Siccine homo Afer tum falſorum dogmatum, tum Pontificatûs ambiti geminâ Elephantiaſi laborans in- *Lib. de Coron. Milit. To. 58. 194.*

 con-

concessa illa omnia existimabit, quæ sacra volumina non imperârunt; & homines Societatis, qui hoc peculiare sibi atque eximium tribuunt, quòd inter omnes Christianos Cœtus arctioribus vinculis Obedientiæ sint adstricti, non dicam designare quidpiam, sed vel spirare poterunt, ac vivere sinè illa, & forsan etiam ejus ingratijs? Avertat hoc à nobis Deus, nè decretoriâ illâ, & Naturæ postremâ luce in oculos sese nostros ingerat Tertullianus, forsan crinalibus viperis redimitus, flammísque membris omnibus circumfusus, ac nobis convitium faciat, corámque omni recèns vitæ redditorum universitate profiteatur, altiùs nobis sensisse se de Voto illo, quod cùm fuisset summa sanctitatis nostræ, ipse tamen nè pro Voto quidem habuisset. *Quod non prohibetur, ultrò permissum est? Imò prohibetur, quod non ultrò est permissum.* Et sanè huic dedecori subtrahere nos haud possemus, nisì fixú, statutúmque in obeundis nostris munijs haberemus, tales nos præstare, qualem

Lib. de Cor. Tom. 37. 56.

Abra-

Abrahamus ſe in Agaris ſponſalibus exhibuit. Graviſſimus, & honeſtiſſimus ſenex, ut ſuæ conjugis voluntati obſequeretur, ſecundo connubio ſervam Ægyptiam ſibi junxerat, conceperátque illa Iſmaëlem: cùm mente, quàm utero tumidior Dominæ jugum excutere cœpit. In eo rerum articulo Sara peracerbùm querens mulierculæ vecordiam Marito exponit. Reputare ſecum quilibet poteſt, quo animo is eſſet in novam conjugem, tam celeri fœcunditate, tantarum opum certum hæredem, exhibentem. Ad primas nihilominus uxoris querelas impotentem feminam repudiavit intrepidus ſponſus. *Ecce, ait, ancilla tua in manu tuà eſt, utere eâ ùt libet.* Gen. 16. 6. Tam generoſo ſermone obſtupefactus S. Auguſtinus, inenarrabilem Abrahami erga conjugem obſervantiam adorat, non minùs, cùm ſervam thalamo ſuo ſociaret, ut illius votis acquieſceret; quàm cùm eam averſaretur, nè illam offenderet. *Accepiſſe, nec petiiſſe; acceſsiſſe, non hæſiſſe. O virum viriliter*

 uten-

utentem feminis, conjuge temperanter; ANCILLA OBTEMPERANTER; *nullâ intemperanter.* Atque hæc eſt vera germanáq; obeundorum munerum ratio atque forma; quam præ oculis habeat neceſſe eſt, quisquis coronam Obedientiæ promereri ſtudet. Admittantur ſanè, cùm fuerint ab iſta delata. Quòd ſi verò celſitudo muneris fumis quidem caput impleat, animum verò evacuet probitate; ad primos nutus Præpoſitorum noſtrorum in eorum manus referatur officium: quantumvis & vocibus commendemur populorum, & copioſa ſit animorum meſſis. Neque unquam petatur id, quod vacare periculo, & ad virtutem quæſtuoſum videri poteſt. *Accepiſſe non petiiſſe*, quæ nimirum prima conditio eſt: ſequitur altera: *accepiſſe non hæſiſſe.* In præcipuis urbibus verba faciamus ad populum, donec emendationem populorum non conſequatur vitæ ac morum noſtrorum elatio. Exponamus è Cathedris & Dionyſiū & Ariſtotelem; ſed quàm primùm diſcipulo-

pulorum plausus observantiam erga Rectores nostram imminuit, nuntium scholæ remittamus. Principibus operam navemus, & è sublimiore loco necessitates Provinciarum speculemur; sed quàm diu positûs altitudo vertiginem nobis haud parit, neq; capita nostra subtrahit pedibus Capitum nostrorum. Parùm sanè refert, ut in æstimatione Principum magnus sis, si deficiente Obedientiâ parvus fueris in oculis Dei. Multò quidem nobiliores in corpore nostro sunt digitis oculi; præstat tamen, ut digitus sis insertus manui, quàm oculus è fronte vel prolapsus, vel erutus. Dubio procul præferendi sunt apud nos indoctis litterati, & ij quorum operâ Magnates utuntur, illis, à quorum ore non nisì mulierculæ pendent. Nihilo tamen secius cùm scientiâ defecti minúsq; vulgò commendati, Legum, Præsidúmque observantiores sint, contrà verò naturæ donis præsignes parvi faciant vel imperia, vel præscripta Constitutionũ nulli prorsus isti ad illos erunt. *Melius est* (ùt apud S. Au-

Tractat. 13. in 3. Ioa. Tom. 38. 70.

S. Augustinum legitur) *esse digitum*, *&* *esse in corpore*, QUAM ESSE OCULUM; ET EVELLI DE CORPORE. Verum quidem est, nunquam posse articulum manûs aut cœlum contemplari, aut colorum notare discrimen. Agit ille nihilominus pro incolumitate corporis, & motu, & labore, & scriptione, quod potest. Cùm interim pupillæ è capite revulsæ prorsus inutiles, arrosæ à vermibus, & putore graves in pulvere jaceant. Tum enim verò cæterorum membrorum Princeps oculus erit, cùm sociatus capiti obedierit, ut imperet.

11. Ut adeò tam calamitas, quàm felicitas in Visûs humani organo hactenus exposita geminas Adami priùs Innocentis, ac subinde Rei scenas faciant. Is igitur, dum divinis legibus obtemperavit, in feras omnes dominatus est. Ducebat manu Leopardos, & Tigrides; ad ejus vocem ex aëre devolabant in digitos Astures, & Aquilæ; offerebant se illi Balenæ ac Phocæ, si quando libuisset à monstrorum marinorum immensa mole

le circumvehi; Tenuit id imperium, dum Obedientiam tenuit. Ubi primùm vecors transfuga legem rupit, simul exuerunt imperium, non accipitres modò, sed & muscæ; non elephantes tantùm, verùm etiam glires; neque ulla fuit vel in terra, vel in aëre tam inermis, exiguáque bestiola, quæ non infesta esset Regnatori orbis terrarum. In hac igitur tam miranda Metamorphosi vocem non tenuit S. Ambrosius. *Cæteris animantibus imperat:* SED UT POSSIT IMPERARE, DEBET DEO ESSE SUBJECTUS. *Docetur igitur servire, ut ad Regnum pervenire mereatur.* Patres Reverendi, Fratrésque meâ mihi vitâ chariores! Dominatu illo in animi perturbationes, quo inter Nationes etiam ab Orthodoxa Fide alienas nobilitamur, usquè gaudebimus, si Obedientiam salvam, integrámq; conservaverimus. Catholicus juxtà & Hæreticus orbis in laudem nostram exclamat. Tanta juventus, & tanta morum integritas! tanta sapientia, & tanta demissio! tanta nego-

Serm. 10. in Psal. 118. Tom. 41. 136.

tio-

tiorum moles, tantúmque ſtudium litterarum! tanta cum principibus Viris familiaritas, & tanta honorum fuga! tantus promeritorum, & virtutum cumulus, & nulla præmiorum Infularúmq; cupiditas! Hac tali rerum inter ſe longiſſimè diſſidentium conjunctione vita noſtra vitam Adami repræſentat, inermis illius quidem, & nudi, ſed inter leones imperterriti, inter dracones ſecuri, extráque omnem injuriam poſiti. Nè permittat Deus, ut in Poſteris noſtris unquam remittat ejus Voti cuſtodiam, quod nobis in naturæ corruptæ diſcordias imperium tradit. Neque enim Societati noſtræ polliceri auderem, nunquam eventurum, ut deplorare debeat primis ſcenis Adami, quæ nunc in domibus noſtris coluntur, & vigentis Obedientiæ præmia ſunt, ſucceſſiſſe ſecundas; quæ ſubinde Reum illum, proſcriptúmque Exulem tot calamitatibus inundârunt legis violatæ injuriam ultæ. Permaneat igitur in Societate noſtra ſervitutis, quam profitemur, nativus ſplendor;

dor; & ſiquidem ità DEO viſum, reliqua qualiacunq; ornamentorum lumina extinguantur: exploratum enim mihi eſt, ſolam Obedientiam, licèt indotatam, ſuffecturam nobis ad gloriam eſſe. Virgam illam intueamini; quâ vapulavit Pharao, cruentus Nilus fluxit, tot familiarum primogeniti Principes in mortem dati, devocata cælo grandinis tempeſtas, aër culicibus inumbratus, Erythræum mare in vias triumphales laxatum, profligati exercitus, occupata regna, ſub jugum miſſa ſunt Elementa. Nolite putare ſolido illam auro fuſam, aut adamante locupletatam. Lignum eſt: nec illud è Cedris Libani avulſum, aut à Sionis Cupreſſis reciſum. Viliſſimus ramus eſt Coryli, virgulto, quàm arbori propioris. At quia Legislatoris manui tractabilem ſe præbuit, patravit prodigia, Iſraëlitas ſervavit, Tyrannos demerſit. *Virga Moyſis* (teſte Gregorio Nyſſeno) VIRGA ERAT EX CORYLO, LIGNUM COMMUNE, *quod à cujuſque manu cæditur, & igni*

Lib. ad G. Jud. *Tom. 13. 10.*

igni ad arbitrium traditur. UBI AUTEM DEUS VOLUIT LIGNUM, *aquam in ſanguinem redigebat.* In hunc modum quilibet filiorum noſtrorum, dum Præpoſitorum ſuorum mortuis vivíſque vocibus audiens fuerit, tametſi eum nec ſapientia conſpicuum, nec ortus illuſtrem, nec ætas venerabilem reddat, permiſcebit urbes, & Apoſtolici Zeli prodigium quoddam erit. Pudet equidem huc uſquè deſcendere; at quando in ſingulos annos Tyronum noſtrorum oſtenta redeunt, ſinite me illa commemorare. Vix Novitij noſtri, appetente vere, in publicum, ſcipione greſſum regente, prodeunt, præſcriptæ peregrinationis ſolitum experimentum facturi. Cùm in Pagos, villáſque delati Chriſtianæ Religionis elementa cœperunt exponere, tantas in auditoribus ſuis pietatis flammas excitant, ut imbris ritu in ora lacrymæ inundent, & probitas adeò paſſim triumphet, ubicumque hi mitelli & infantes Oratores dicunt, ut totum eorum iter Ninive quædam expiata

piata videatur, & agreſtes pariter homines, ac Venerabiles Sacerdotes, Dynaſtæque inſtruendos ſe illiteratis Adoleſcentibus permittant. Ità profectò vel ignobilis virgulti ramuſculi ſeptemplices Nilos ſanguine complent; & per medios Oceanos regias divinæ Gloriæ vias aperiunt. *Vir obediens loquetur victorias.* Prov. 21. 28. *Virga Moyſis virga erat ex Corylo.* Eò uſquè triumphos ſuos Fides provehit, ramum dexteræ Prophetæ inſertum feſtas inter voces oſtentans. Caveat autem regentis manum exire: quippe poſtquam effectrix prodigiorum virga dextrâ Moyſis excidit, continuò provoluta in pulvere, & mutata in Ceraſten, ipſum quoq; Ægypti Pro-Numen veneno appetijt: *verſa eſt in colubrum, ità ut fugeret Moyſes.* Idem prorſus Operarijs Cœtuum ſacrorum uſuvenit; hi enim Præſidis ſui ductum ſequuti, quantumvis nec naturæ, nec doctrinæ ornamentis emineant, improborum terror, Oracula Principum, & Provinciarum Magiſtri efficiuntur. At verò quàm

quàm primùm rerum præclarè gestarum plausu elati Ducum suorum auspicia contempserint, cautionibúsque Regularum, & Præsidum monitis obsurduerint, prodigia vertunt in portenta, & ex Angelis pacis Arioli vanitatis effecti, demoliuntur probitatem, quam struebant; & coronarum vice, quas augere per Obedientiæ submissionem poterant, catenas sibi sub propriæ voluntatis tyrannide conduplicant. Ut adeò facultas omnis, & ornamentum quodlibet, quo pollent, exitium ac ruinas accersat; vis denique omnis, tum doctrinæ, tum auctoritatis pudendis lapsibus & irreparabilibus damnis vastos hiatus pandat.

12. Indubitatam fidem facere huic rei potest Filius ille Prodigus, cui eæ ipsæ, quas illi Pater opes largitus fuerat, postquam infelix ab eo secessit, innumerabiles calamitates pepererunt, paupertatis, infamiæ, servitutis: usquè adeò, ut porcos pasceret, ut inediâ vitam finiret, commercio civili, & familiæ honori jam antè

antè defunctus. Audio Petrum Chrysologum exclamantem: *Ecce quemadmodum* SINE PATRE CENSUS NUDAVIT FILIUM, NON DITAVIT. *Quod vitæ, quod morum, quod pietatis, quod libertatis, quod est gloriæ, nihil reliquit. Civem denique in peregrinum, filium in mercenarium, in egenum locupletem, liberum mutavit in servum; junxit porcis*, A PATRE *pijssimo* QUEM SEJUNXIT; *ut serviret cœnoso pecori, qui pietati sanctæ parêre contempsit.* En præclaros fructus Patris non auditi, imò non quidem non auditi, sed relicti duntaxat! Atq; hæ catastrophæ, quàm heu! frequenter in sacris domicilijs se referunt in conspectum; quotiescunq; nimirum temerarij non dubitant, custodiæ Ductorum suorum se subtrahere! *junxit porcis, à Patre pijssimo quem sejunxit.* Detestari quidem tacitis sed cruentis lacrymis possumus quorumdam immorigerorum Religiosorum calamitates, sed nec possumus, nec debemus eas aut referre, aut exponere; nè illorum vere-

Serm: 7. Tom: 3. 48.

D cun-

cundiæ graves ſimus, qui Præſidum ſuorum imperia reverenter ſuſcipiunt. Et quantumcumque rariſſimi ſint infelicis illius Peregrini ſectatores utique in cœnobijs illis, in quibus diſciplina viget; quamvìs etiam potiſsima pars familiarum rite adminiſtratarum, nè unum quidem ejusmodi degenerem alumnum numerare poſſit: non eſt tamen levis adeò pœna infelicis perditíque Filij, ut eo ſolùm nomine, quòd accidere tanta calamitas alicui poteſt, expalleſcere, ac contremiſcere non debeamus. Neque verò credat aliquis tam fœdam probrorum detrimentorúmque colluviem vitare ſe poſſe, quòd puniti juvenis imprudentia pertrahere ad ſui imitationem eum non tam facilè queat, quem ſacri parietes includunt: illum videlicet in eo peccâſſe, quòd, ùt S. Lucas teſtatur, *abijt in regionem longinquam*. Nè, inquam, fallamur: ſiquidem ad ſolvendas cataractas formidatorum damnorum, neceſſe non eſt, ut è domo paterna penitus abeas, tantóque cum ſtrepitu

na-

natalem Provinciam excedas: omnis enim, minima licèt, ab Obedientia secessio non modò calamitatibus, verùm etiam morti transfugam exponit. Ità scripsit S. Chrysostomus: SI INTER MEDIUM SIT ALIQUID, STATIM PERIMUS. Et quoniam Declamatoris potiùs, quàm Antistitis sacri effatum hoc esse Antiochenis videbatur, id ille continuò duplici similitudine confirmavit, ut ab intentatis minis omnis dubitatio abesset. Rescindatur, inquit, à vite palmes, sed vimine tamen colligatus adhæreat. Et ecce dum altera pluvijs fœcundata, & solaribus fota caloribus botros profert, alter exarcescit penitus, nè pampini quidem unius virore servato. Age porrò manum tenuissimo acutissimóq; chalybe à brachio divide; at subinde Arabico glutine, ac linis Ægyptijs eidem religa, non ideò tamen illa, aut vivit, aut valet: Imò quantocyùs putrescit, imponítq; necessitatem vulnerato eam protinus in proximam fossam abjiciendi. *Palmes*, SI A RADICE PARUM FUE-

Orat. in c. 1. ad Cor. Tom. 43. 81.

FUERIT ABSCISSUS, *fit inutilis. Quam ob rem* HOC PARUM NON EST PARUM; *Imò verò* EST *ferè* TOTUM. Qualiscunq; divisio Præpositum inter ac subditum intercedat, satis ea est ad corrumpendum illum, qui semet improvidè separavit. Quòd si oculis propemodum indeprehensa divisio arboris ramos, ac membra corporis vitâ exuit, & momento temporis, aut tumulo tradit, aut flammis: rationem secum unusquisq; ineat, si quando discessio publica, pessimóque exemplo facta est, quænam demum hominis contumacis strages sit futura. Pleni sunt Annales tum Anachoretarum, tum Religiosorum Ordinum funestissimis exemplis, quibus nimis quàm luculenter edocemur, quanta Christi servis, & Crucis Primogenitis incumbat Obedientiæ perfectæ necessitas.

13. Qua in re, si, quod sentio planè dicendum est, longè plùs peccant ij, qui jubent, quàm qui parent. Nimia quædam circumspectio, & politica diffiden-

tia,

tia, quæ ſæpe Præſides Religioſos ità occupant, ut curæ ſuæ commiſſos promovere ad ardentem virtutem negligant, tam illis auctoritatem in dandis, quàm iſtis promptitudinem in excipiendis mandatis eripit: tantus metus non offendendi ſubjectos; non exacerbandi ſeniores; non alienandi amicos, interdum Iſaacos vertit in Iſmaëles. Si ſimpliciùs imperaretur, obediretur quoquè ſanctiùs. Eadem ipſa cautio, quâ vel munus aliquod deferunt, vel profectionem proponunt, cautum ac verſutum ſubditum reddit. Quam ob rem S. Zeno palàm denunciat, veram legitimámque Obedientiam ſacris in Domicilijs nunquam conſervatum iri, in quibus nõ repræſententur Virtutes in holocauſto Abrahami expreſſæ: In eo quemadmodum Filius ad ferri aciem, quo feriendus erat, non expalluit, ità neque Pater conſternatus eſt, dum videret alterutrũ ſibi neceſſarium eſſe, ut unicæ prolis, aut Sacerdos fieret, aut carnifex. NEC QUI FERIEBATUR TIMUIT, NEC QUI FE- *Serm. 3. de Ambr. Tom. 13. 156.*

FERIEBAT EXPAVIT. Et quoniam neuter in opere illo divino vel obriguit metu, vel humanis usus consilijs est, neuter quoquè aut perijt, aut incommodum ullum passus est. Si verò tremens, si pallens obsequio Patriarcha & sacrificio se accinxisset, permisisset forsitan Deus victimæ mortem. Sed enim impleverat mentem Abrahamus cogitationibus æternis, & sola Cœlestis visi reverentia totum hominem occupârat: dúmque sic agit, hæredem, quem ense petit, servat. *Meliùs servavit filium,* DUM NON PEPERCIT. Tam illustris documenti Auctorem Zenonem sequutus Augustinus, obsequentis Filij vitam religiosæ Patris crudelitati acceptam retulit. *Magna fides, magna pietas, non solùm in Deum, sed etiam in ipsum unicum, cui nihil mali credidit esse Pater, quidquid de illo jusserat, qui creavit.* Nè, quæso, per ignaviam nostram palmis & meritis privemus eos, qui se ductui nostro transcripserunt. Imperemus viriliter, quidquid subditorum nostrorũ animis profu-

Serm. 70. de Temp. To. 42. 133.

ſuturum exiſtimamus. Quòd ſi nonnunquam infirmâ quoquè, atque ægrâ virtutis valetudine fuerint, negetur deſiderijs, quod officit diſciplinæ; &, invitis licèt, admoveantur medicamenta, quibus lues depellatur. Iis, quos ſuus ardor exſtimulat, campus pandatur, in quo eorum labores decurrant, pertingántq; ad conſummatæ virtutis metam. Tepidis frigus à pectore, calentibus pannis, licèt non ſinè cruciatu, ſolvatur. Ità S. Bernardus Claræ-Vallis Abbas, Montis Dei cuſtodibus ſuaſit, cùm diceret: *Etiam* MULTUM VOLENTI INUTILIA SUNT NEGANDA; UTILIA VERO ET NOLENTI INGERENDA. In hunc mundum ſi Præſides alumnorum ſuorum animos excolent, quíque regitur, ſe ad omnem vitæ ſanctitatem inſtituendum Moderatoribus ſuis permiſerit, Spiritu Sancto pleni, omnes induſtriæ noſtræ commendatos populos probitate Chriſtianâ replebimus: eradicatis vitijs, confutatis erroribus, profligato Atheiſmo: id

 quod

quod nobis à Sancto nostro Fundatore Ignatio, ceu unicus Vocationis nostræ scopus, præstitum fuit. Ità, ut eveniat, precor.



EXHORTATIO II.
In Pervigilio S. Ignatij.

Diligit Dominus PORTAS Sion super omnia tabernacula Jacob,
Psalm: 86.

Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris,
Luc: 12.

RAtionem Conscientiæ, quæ Societatis quodammodo anima est, paternis prorsus visceribus Præsides accipiant, & fiduciâ, qualem erga Parentes suos Filios gerere par est, subditi exhibeant. Eam ut esse secretissimam oportet, atque in pri-

vatam duntaxat ſemet detegentis utilitatem cedere, ità eſt omnibus pernecesſaria, illis etiam quibus ætas, virtúsque robuſtior eſt, ob innumerabiles inſidias, quibus humanus animus obſidetur, & perfectorum etiam vita illaqueatur.

14. OMnes in univerſum Religioſi Ordines Hieoroſolymæ quædam ſunt à Deo ad dilectisſimas ſibi Animas ab ignitis Seculi jaculis ſervandas, in ſanctitatis arces divinâ prorſus ſtructurâ exædificatæ. Inter eos, ut tempore poſtrema, ſic appellatione Minima numeratur Societas noſtra: Ipſa quoque beatæ Sionis inſtar à Chriſto delineata, & ab Ignatio conſtituta, ſecuritati ac perfectioni omnium noſtrûm, qui intrà ejus muros, tam ſanctis Legibus communitos, ut Civitati illi cœleſti aurum ſuum, atq; margaritas invidere magnopere non debeamus, recepti ſumus. Sunt quidem pro-

cul dubio hujus Hierosolymæ Tabernacula multa, pretiosáque. Relucet enim ad aliorum veterum sacrorum Cœtuum imitationem in hoc quoquè Beati Parentis Ordine precandi studium, quod nos Deo per spiritualia, & anniversaria Exercitia; per quotidianam prolixámq; Meditationem; per geminum Conscientiæ Examen sub meridiem vesperámque repetitum, ceu totidem nexibus, conjungit. Rutilant corporis afflictationes, tum publicæ, tum privatæ, non sinè sanguine ac vulnere: quæ tantò plus roboris vigorísque animo conferunt, quantò exquisitioribus tormentis corpus excruciant, sensúsque magìs debilitant. Sapientia in defensionem Apostolicæ Doctrinæ comparata, tantâ est profunditate, ubertatéque, quantam inimici nostri fatentur, & Ecclesiæ hostes metuunt pariter, & oppugnant. Animarum Zelus suppeditat nobis igneos Eliæ currus, quibus ab uno ad alium Polum circumferimur, & ad usquè nostros Antipodas promulgando illis Evangelio, & in-

& ingerendæ Dei cognitioni deſcendimus. Tabernaculorum ejusmodi, aliorúmque plurium decus, quo tantopere illuſtratur Hieroſolyma noſtra, tametſi Deo vehementer arrideat, amat tamen divina Majeſtas, tum in nobis, tum in hac ſua civitate multò ardentiùs ejus Portas, quæ ad conſervandum in nobis primævum Inſtituti noſtri Spiritum maximopere conducunt. *Diligit Dominus Portas Sion ſuper omnia Tabernacula Jacob.* Sunt autem quatuor minimæ Sionis noſtræ Portæ: Orientalis, Occidentalis, Borealis, & Auſtralis. Prima, quæ Orientem ſpectat, illa eſt, per quam ex Ægypto, & Chaldæâ fallacis hujus Seculi ad Religioſos Ordines ſe conferunt, quoscunq; Chriſtus ad fellis ſui guſtum, & ad Crucis ſuæ jugum invitat. In ipſo ejus limine conſiſtunt Tyrones noſtri, quos uſitatis experimentis ſeriò periclitamur in Noſocomijs, Peregrinationibus, Exercitijs Pietatis, rerum aſperarum, & ſeveræ Pœnitentiæ patientia, antequam ſacra eos Vota intra vallum, ipſámq;

ſámque in Arcem recipiant. Ab hujus Portæ tergo ſurgit ad Occidentem illa, per quam poſt exantlatos labores, cruentáſque luctas, ab hac ad æternam vitam, & ad Votorum ſervatorum, fervoríſq; inextincti præmia capienda erumpimus. Jam verò Aquilonem versùs glacie rigidum, infeſtúmque nivibus recedit potiùs, quàm oſtenditur, formidabile poſticum, per quod impatientes Evangelici jugi, & Hoſtes Crucis Chriſti, rupto fœdere, quo ſe in omnem vitam famulatui Divino devoverant, lethali ſaltu, ad Babylonis bitumina, & ollas Ægyptias poſtliminiô remigrant. Oſtio tam funeſto ex adverſo ſe opponit fulgens à meridie Janua, quâ per fidelem Conſcientiæ revelationem in omnium corda Præſes ſe penetrat, ad ea omni nævo perpurganda, inflammandáq; & ad ſummum Virtutis gradû promovenda. Et primæ quidem duæ Portæ omnibus omnino Sacris EccleſiæOrdinibus communes ſunt, quoniam ex æquo cuncti & admittunt introëuntes, & per mortem exe-

exeuntes emittunt. Septentrionalis verò privatim, penitúsq; nostra est, quámque nobis omnes invident, inæstimabili favore nos à sancta Sede affectos eâ re fuisse prædicantes; quæ dum nobis ad Honores portam occluserit, optimum quemq; sacris Ordinibus suffurari assuetos, prærogativum vicissim jus cóncessit cœlestis cujusdam Fori, quod nos hominibus vel ignavis, vel inutilibus longè felicissimâ jacturâ exonerat. Quarta demum Porta, quæ Præsidum mentibus animos subditorum coniungit, si non singulariter planéq; nostra, cum paucis tamen communis est. Certè nullus alius Cœtus eam aut tam sæpe, aut tanta in luce, quàm noster, frquentat. Primæ Portæ claves tenent Rectores Domibus probationis præfecti; à quorum fide nostra quies & disciplina magna ex parte pendet. Hi siquidem, ubi negligant severo cribro à fatuo sincerum triticum secernere, neque veros mundi hostes à simulatis, & ardentes Calvarij montis discipulos, à somnolentis, ignavísq; Rosari-

fariorum cultoribus fecernant; implebunt non Apoftolis Societatem ad converfionem Gentium deftinatis, fed homulis, quibus una cathedrarum honorúmque ambitio, nullum verò eft alienæ defiderium falutis. Occidentalis Portæ claves in folius Dei funt manu, qui vitæ noftræ momenta defcripfit in digitis fuis, folúsq; dierum noftrorum curfum abrumpit. Illi affiftit univerfa Societas, fummâ curâ excubans, ut fancta mors contingat fuis, defunctósque magno pióque numero fuffragiorum profequitur. At (quæ mea infelicitas eft!) folus ego Aquilonarem, cum lacrymis quidem & lucta fimillima morti, miferis illis aperio, qui Deo tergum obvertunt, & vultum animósque referunt ad libertatem, quam olim cœlo confecrârant; & ad paludes, è quibus emerferant, patrimonij patriǽque, reditum veluti parant. *De cœlo in cœnum*, Bernardus loquitur, *& de Paradifo in Infernum*. At verò diverfiffimâ luce ab alijs Portis, quas indicavimus, Auftralis corufcat,

ruſcat, cujus claves in ſolis ſubditorum manibus repoſitæ ſunt. Quòd ſi hanc illi non fideliter referent, fieri prorſus nequit, ut Præſes in latebras, animósq; ſuæ curæ commendatorum introëat. Atque intrà hanc Portam, quæ Borealem claudit; Occidentalem beat; & Orientalem ſanctitate illuſtrat, conſtitui hoc diei diluculo omnem meam Orationem concludere, demonſtraréque, quo candore, ſimplicitatéque quilibet Ignatij Filius, pro ejus gloria, & latorum ab eo præceptorum reverentia, pandere intimos animi ſui receſſus debeat capiti ſuo, cui illum Deus ſubmiſit, ejus oculis nullo vel minimo, ſeu levis, ſeu gravis imperfectionis vulnere ſubducto: detectis item pari fide ſanctorum habituum margaritis atque topazijs. Equidem dolore longè acerbiſſimo conficerer, ſi in clavibus Societati tam proprijs leviſſimæ rubiginis notas deprehenderem. Quapropter Sanctum Patrem etiam atque etiam precor, ut de cœlo mihi aureas limas demittat inelu-

ctabilium argumentorum, & suavissimarum rationum, quibus vos ac me ipsum excitem ad hanc Portam exornandam, ut quæ cæteris vitam inspirat, & sinè qua hæc alioqui beatissima Sion speciem præ se latura esset inconditissimæ ac confusissimæ molis. Quippe si quid in ea labis esset aut vitij, jam nè reliquis quidem sua laus ac decus constaret: ac sicut Societatem hostibus proderet, si Tyrones ignavos intromitteret, sic à lectulis morientium præsidia cœlestium agminum effugaret, famámq; nostram detestabili ad ea, quæ pro Christo reliquimus, reditu commacularet. *Diligit Dominus Portas Sion super omnia Tabernacula Jacob.* Maximum enim verò supráque reliquas in Meridionali Porta præcipuum momentum est, quia cunctis præsidia parat, fervoris scilicet, ut ritè ingrediantur singuli: observantiæ, ut nullus exeat: sanctitatis denique, ut beatâ morte defungamur universi.

15. Conscientia subditorum nunquam à janua sua pessulum reducet, neque

que eam Præſidi ſuo laxabit, nisi hic ad eam exporrectâ lætáq; fronte, renidenti ore, pleno Charitatis vultu, & ad ſimilitudinem Filij hominis, veſte omni in iridem pictâ, ſe conferat: quæ ſpecies ſuaviſsima balſama, rores, indulgentiam, complexus, Patris viſcera promittat, non vulnera, non flammas, non ſupplicia, non objurgationes, non acerbitatem Judicis quæſtionem exercentis minitetur. Id ſcilicet de qualibet anima vaticinium extat in ſacris Canticis: *Surrexi, ut aperirem* DILECTO MEO. Eqvidem è plumis damnabilis ſocordiæ, aut ex immodicæ mollitiæ floribus nemo ſe proripere gravabitur, ut Duci ſuo detegat, quidquid nebularum menti ſuæ offunditur; laqueos exponat omnes, quibus cor ſuum irretitur, omnes denique maculas ſub aſpectum ponat, quibus ejus tunica ſordeſcit: dum exploratum habeat, miſericordiâ charitatéque plenum eſſe, cui loquitur: *Surrexi, ut* APERIREM; at ſcilicet: DILECTO MEO. Amanti non gravabor vel co-

ſtas, ſi neceſſe fuerit, laxare, pectoriſque penetralia recludere, ut totus ſe illi meus animus det in conſpectum. In hanc prorſus ſententiam S. Fulgentius ad Monimum ſcripſerat. *Ut tuo cordi*, QUOD COR MEUM EST, *totum fatear, quoniam ſicut cordi meo, ità cordi tuo aliquid celare non poſſum.* Quiſquis cupit in animos eorum, quorum curam gerit, ſe penetrare, expromat erga eos ſuadam illam ſinceritatis religioſæ, Paternæque Charitatis, quâ fidem illis faciat, unam duobus animam eſſe, cor unum. *Cordi tuo, quod eſt Cor meum, totum fatear.* Ad quod præſtandum, eò majorem nobis omnibus, qui Societati præſumus, incumbere neceſſitatem credere debemus; quòd, qui ſubeſt, tum quoque cùm Charitas effloreſcit, latéque fragrantiam ſuam diffundit, excruciatur tamen nativâ quâdam, atque omnibus communi repugnantiâ, egeſtatem, & vulnus ſuum detegendi. Quapropter eo ipſo, quem laudavimus, loco, teſtatur ſponſa, ſe, priùs quàm à januâ vectem

Prolog. ad Moni. Tom. 16. 2.

redu-

reduceret, insuaves amarores expertam fuisse, ut adeò de manibus suis vis magna Myrrhæ in ipsam clavem deflueret. *Surrexi, ut aperirem Dilecto meo, manus meæ stillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ.* Expavescit nimirum humanus animus fateri se se, & quantumcunque ab invitantis humanitate pelliciatur, inhorrescit tamen, dum siparium diducitur, & pudore pariter terroréque suffunditur. Ejus rei miseratione permotus S. Ephrem jubet Cœnobiarchas in Ratione Conscientiæ excipienda non tigrides se, sed canes Monachis suis exhibere. Imitamini, suggerebat ille Anachoretarum Collegio, Epulonis Evangelici catellos, qui Domino suo mitiores, cui iste micas negaverat, vulnera lambebant, & fluentem saniem linguâ detergebant. *Sed & canes veniebant & lingebant ulcera ejus.* Continete dentes, nè mordeant; in osculum labra & blanditias adhibete. *Instar* CANIS CICATRICES DELINGIT, *& non vult dentes in profundum peccatorum defigere.*

Luc. 16. 21.

De Pænit. Tom. 30. 87.

Itaque, perſpecto vitio, ac tentatione ſemet indicantis perceptâ, ſuggerite illi peramanter monita ſalutis, & animos addite certæ victoriæ fiduciâ. Quòd ſi gravior accepta clades fuiſſet, nè unguem in ulcere figamus, & per faſtidioſum examen, acerbáſq; quæſtiones prolapſi plagam pertentemus, quæ nimirum exanimant ægrum, neq; quidquam ad præſentiorem ejus curationem faciunt. *Nec vult dentes* IN PROFUNDUM *peccatorum defigere.* Audiatur, quantum ſat eſt, nec ultrà. Quin ad ſublevandum pudorem abrumpatur ſe accuſantis oratio, &, ſi modò noverimus, ecquod adhibendum medicamentum, ut vulnus coëat; & quæ cautio præſcribenda in futurum: impetus, quibus concuſsus eſt, recenſentem obtinendarum victoriarum vaticinijs, interpellemus, animúmque addamus animum ſuum committentibus noſtro. Semper nobis ad manum ſint, & gemmati annuli, & Symphoniacorum chori, & vituli ſaginati, & amplexus teneri, & oſcula paterna, quæ

dege-

degeneri filio turpitudines ſuas exoſo apud S. Lucam optimus ille atque experientiſsimus Pater-familias exhibuit.

16. Quantum verò & Chriſti convivijs, & Ephremi blanditijs adverſaretur ille, qui caperatâ fronte, turbidis oculis, labrísque trementibus ad conflictus vel prælia enarrata inhorreſceret? Tam indignum & exitiabile faſtidium ex Appennini ſui ſcopulis cœleſtibus planè tonitruis fulminat Petrus Damiani. Reo ipſo magis es reus, inquit, ſi accuſantem ſe, vel abominaris, vel non diligis: & quas ille tibi labes exponit, admirabundus excipis: multóque etiam magis caveſis auguria pernicioſa, mendaces conjecturas, ac temeraria vaticinia, talem ſcilicet eum, qui tibi loquitur, futurum olim, qualem anteacta vita tibi depinxit. *Caveat, nè vileſcat in conſpectu ejus,* QUI EI SUAM VILITATEM OSTENDIT, NEC DE PRÆTERITA FUTURAM VITAM ÆSTIMET PECCATORIS. Sed Damiano meliùs, temporiúsque ratiocinatus eſt, ſcripsítque S. Ephrem, ſe-

Serm. 2. de S. And. To. 2. 189.

verè Præpositis edicens, nè unquã eum, qui se cum gemitu, & errorum suorum detestatione ad eorum pedes abjecerit, conculcent, imò ut suspiciant potiùs, qui difficultate propemodum insuperabili, quam nemo non habet, vitia sua prodendi, maculásque, quibus infectus est, haud dissimulanter retegendi, superatâ, errores suos palàm facit. Quare in afflicti gementísque lacrymis Gratiæ triumphos adoret, quibus ille jam tunc coronatur; nec contemnat acceptas clades, quas in Pœnitentiæ trophæa redeuntis ad mentem Demissio erexit. *Si quis sua tibi detexit errata*, NE MENTE EUM CONTEMPSERIS, *tanquam qui talia peregerit, sed potiùs de* FRATRIS MUTATIONE ADMIRARE. Averte, ô Numen, ab eorum vultu, qui Filios Ignatij regunt, amaros risus, quibus haud obscurè demonstramus, eorum nos emendationi diffidere, qui se tam obnoxiâ nobis confessione subjecerunt. Fas est quidem Præpositis disciplinam amantib9, ob res perperàm gestas

Hom. in illud: Attende tibi. Tom 30.58.

gestas interno dolore commoveri, sed multò maximâ reprehensione digna est omnis, quæ in vultum prodeat, perturbatio vel impatientiæ, vel iræ: quippe cujus imprudentiâ à suorum expositione nævorum Index revocatur: *Ut aperirem Dilecto meo.* Nisì illos quoquè diligamus, à quibus amati non fuimus; nisì complectamur animo illos quoquè, quos imperfectiones suæ à Cruce refixerunt, & à vulneribus Crucifixi vitiorum ulcera diviserunt, nullum unquam verbum exprimemus à subditis, ut sincerâ narratione suum nobis teporem manifestent. Tum denique velut aquam cor suum effundent in sinus nostros, cùm nos Parentū loco habuerint, & de amore in se nostro fuerint securi. S. Augustinum audiamus, qui hæc omnia decimo Confessionum suarum libro divinis quibusdam coloribus expinxit. *Amet in me fraternus animus, quod amandum doces, & doleat in me, quod dolendum doces. Animus ille hoc faciat, fraternus, non extraneus:* QUIA SIVE APPROBET ME, Lib. 10. Conf. c. 4. To. 19. 128.

SIVE IMPROBET ME, DILIGIT ME. INDICABO ME TALIBUS, *respirent in bonis meis, suspirent in malis meis. Hi sunt servi tui, quos esse voluisti Dominos meos, quibus jussisti, ut serviam* SI VOLO TECUM DE TE VIVERE. Atq; hæc est illa lenitas, quâ necessariò à nobis purganda est sanies illorum, qui vel afflati, vel etiam vulnerati sunt igneis telis affectuum humanorum: Gossypio est opus, quod molliter abstergat; non candenti chalybe, quo vulnus exasperetur. FRATERNUS ANIMUS, NON EXTRANEUS. *Instruite hujusmodi in spiritu lenitatis*: Ità primis Præsulibus edixerat Apostolus Paulus: tametsi non loqueretur de illis labeculis, quas nunquam vel sanctissima Familia vitaverit: sed cùm sana dogmata impugnarentur; cùm schismata Ecclesiam scinderent; cùm Baptismi ad salutem efficacitas negaretur. Nihilo tamen minùs in curandis tam pestiferis carcinomatis mansuetudinem in docendo, non objurgationum fulmina, tantus Gentium

Galat. 6. 2.

tium Doctor expetijt *Instruite hujusmodi* IN SPIRITU LENITATIS. Id verò nunquam se credat præstiturum, exclamat Augustinus, quisquis vacillantem exacerbat, & opinionem præ se fert, non posse collapsum unquam resurgere. *Nè sibi quisquam videatur instruere, cùm protervè exagitat, irridétq; peccantem, aut superbè* TANQUAM INSANABILEM DETESTATUR, *in spiritu inquit, mansuetudinis.* Cùm verò experti fuerint, & amanter se curatos, & tenerè se dilectos, reducent sanè à durissimo Conscientiæ obsignatæ ostio robusta repagula, quæ superbia clavis plusquam adamantinis confixerat, ingenitâ scilicet omnibus ambitione probi ac fortis opinionem aucupandi, quamvìs & ob imbecillitatem corruat, & à pice sordescat *Pessulum ostij mei aperui* DILECTO MEO. Ego verò, ut alacriùs ab omnibus nostris Fratribus, Patribúsq; id fiat, pessulum illum, quem subjectorum virtus à proprijs ipsorum cordibus removit, in ora Præpositorum transfero, ac planè apertéq; edico, neu

In Epist. ad Galat. Tom. 94. 185.

unquam imposterum Rector ullus id, quod in Ratione Conscientiæ compererit, vel successoribus, vel Provincialibus, vel etiam mihi revelet: In eundem modum eâdem Edicti severitate comprehendo Visitatores ac Provinciales omnes, eósq; citra ullam ambiguitatem verborum adstringo ad occultandum rigido silentio intra suamet pectora, quidquid ipsis sponte manifestatum ab illis fuerit, qui eorum se fidei crediderunt. Veto pariter ; nè conscientiâ ejusmodi rerum auditarum, in exteriori gubernatione ullatenus utantur, adeò ut MANIFESTATIONIS, quam suademus, arcanum tale prorsus apud nos sit , quale in Ecclesia est confessionis secretum, nullo penitus concesso usu illius, quam diximus, cognitionis ; tametsi ejus utendæ facultatem à subditis impetrâssent. Nisi fortè facultatem ejusmodi nullæ nostræ persuasiones impetraverint, nedum vis ulla extorserit, sed ipse summâ voluntate, ac pro suo in Virtutem studio concessisset, atq; ultrò, vehementérq; postulâsset,

ſet, ut, quò majoribus ad Sanctitatem paſſibus ſe ſe promoveat, omnis illa, quam ſui, rerúmque ſuarum attulit, cognitio à Præſidibus ſuis ad communis gubernationis rationes accommodetur. Quódque in hac Aula jam nunc decerno, id ipſum Societati noſtræ ſingularibus literis edicam. Quare vehementer admodùm ea me cura premit, ut Porta hæc noſtra Meridionalis per hæc ſigilla ſemper pateat: ſempérque ſit illis triumphalis Porta ſolatij, qui pro fiducia, quam filij erga Parentes ſuos habent, ſe ſe in brachia noſtra immittunt, & in manibus noſtris animos ſuos deponunt.

17. Sancitâ in hunc modum Præſidũ taciturnitate ac miſeratione, tam neceſſariæ cordium noſtrorũ manifeſtationi prorſus neceſſarijs: ad candorem tranſeo, quo aperire ſe Patribus animarũ ſuarum, debent, qui ſincero Legum noſtrarum ſtudio tenentur. Et primùm quidẽ Ignatij cũ Chriſto Jeſu Deo Legislatoréq; noſtro vos exhortantis voces excipite. *Sint lumbi veſtri præcincti, & Lucernæ arden-*

dentes in manibus vestris. Quicunq; enim meus esse Filius cupit, geminas hasce dotes, innocentiam nimirum, & candorem vitâ ipsâ chariores habeat, necesse est. Non est is sanguis meus, qui cingula oderit, aut manu facem non præferat. Equidem Sanctos vos cupio, sed simul Rectoribus vestris perspicuos, adeò ut agatis nihil, quod illis apertum non sit. *Lucernæ in manibus*. Eam scilicet ob causam, quia, *Dominus diligit* PORTAS *Sion super omnia Tabernacula ejus*: Lucem videlicet integritatémque. Audite, quid sentiam. Si quis è Fratribus nostris mihi offerretur, qui preces lacrymis misceret; voluntarijs pœnis cruentaret sese; ad omnia ministeria perinde afficeretur; quietem odisset omnem; in salutem animarum miro studio efferretur; & religiosæ disciplinæ formam quandam nobis repræsentaret; at in se reductus rationes animi sui sollicitè celaret; ejus ego tot apparentis Virtutis ornamenta prorsus & ex animi mei sententia contemnerem, nec dubitarem illi præferre alium,

alium, qui minùs quidem illo perfectus, sed & illo magìs apertus, licèt non sinè fuligine quadam libertatis illaudatæ, seu nimiæ indulgentiæ in laxandis ori frenis, seu in edomandi sui alienæq; salutis procurandæ studio remissionis inter nos ageret, dummodo animæ suæ Ducibus teporem suum detegat, petátque sui emendandi modum. Judicium, ùt alicui forsan videbitur, admodum insolens in me parit ea sententia, quam de duobus illis juvenibus auditoribus doctrinæ suæ Christus Servator noster tulit. Eorum alter, alacritate, haud sanè usitatâ, semet obtulerat ad eum sequendũ Indos ultra & Garamantas : nõ defugiturus quamcumq; expeditionem, seu per arentes solitudines, seu per inhospitalem barbariem duceret : *Magister sequar te*, QUOCUNQUE IERIS. Repulsam tamen peracerbam iste tulit, nullâ laude, nullo tantæ voluntatis præmio dignatus. Indè alium nihil tale cogitantem ad se, & ad Apostolatum vocavit. Et quantuncùnque oblatam cõditionem exire conaretur Matth. 8. 12.

tur miſer, patris ſepeliendi graviſſimam neceſſitatem cauſatus, tentus tamen eſt, & in numerum Diſcipulorum relatus. *Jeſus autem ait illi: ſequere me, & dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.* Unde quæſo tantus Meſsiæ amor in ſectatoré quamvis reſtitantem, contráq; tantum faſtidium auditoris tam grandibus deſiderijs æſtuantis? *ſequar te quocunq; ieris.* Cauſsam accipe. *dicit ei Jeſus: vulpes foveas habent.* Eam verò repulſam divinâ ſapientiâ plenam fuiſſe breviter quidem at luculenter demonſtrat Auguſtinus. *Serm. 7. de Verb. Dom. Tom. 6. 12.* *Iſtum declino*, QUIA VIDEO IBI FOVEAS; ceu diceret: Non eſt hic Magiſterio meo idoneus, qui latebras amat, & excavat ſpeluncas: VIDEO FOVEAS. Tametſi vel Cherubinorum pennis in Ethnicorú auxilium raperetur, è ſyllabo tamen meorum illum expungam, quoniam ad me tect⁹ infidúsq; accedit: aptior illo ad mea Conſilia is eſt, qui ſimplex & ingenuus per viam militarem graditur, quamvis à feretro Patris, & à familiaritate neceſſariorum nunc quidem ægre

ſe patiatur avelli. *Iſtum declino, quia ibi video foveas.* De nullius igitur virtute confidamus, licèt Angelum verecundiâ, ſermone Apoſtolum, Moſen in Sionis monte precantem contemplatione, divini honoris ſtudio, abſtinentiâ, vigiliiſque Eliam Carmeli habitatorem referret, ſi eorum, à quibus regitur, conſcientiam fugiat, & tenebras offundat actionibus ſuis, quarum interim lucem oſtentat: VIDEO FOVEAS, IPSUM DECLINO. Ipſe quoquè Lucifer Chriſti ſibi ſpeciem aptavit, ut Martinum è febri decumbentem transverſum ageret. Primo quoque tempore, cùm illius voluntati reſtitum, cùm venia petenti negata, cùm in munus minùs ſplendidum, aut Collegium minùs copioſum miſſus fuerit, patientiam in querimonias, pietatis rorem in irarum fulgura converteret, & depoſiti cilicij aculeos in eos referet, à quibus minùs pro ea, quam de ſe ipſe habet, exiſtimatione laudatur, projectáque à vultu ſimulatæ probitatis perſona, talem ſe planè, qualem ego deſcri-

ſcribo, non qualem ipſe ſe prædicat, exhibebit. Solum illud ſilentium, ſat eſt, ut Deo inviſus, nobis verò ſuſpectus reddatur. Age enim, quàm leve piaculum, ſi humanos oculos conſulas, Adamus unius pomi furto admiſerat, quàm contrà generosâ nongentorum annorũ pœnitentiâ errorem expiavit? quàm verò turpiter David à femina proſtratus: quantâque immanitate Uriam Regni ſui defenſorem egregium interemit? Nihilominus, poſt dolentis animi queſtus tam diuturnos, nunquam Adamus, aut laudatus, aut nominatus à Deo in ſacris litteris fuit. At verò David, poſt patrata facinora tam execranda, laudibus exquiſitiſſimis, vivens mortuúsque, à Deo eſt ornatus. Videndum ſe illi præbuit ſæpius, ejúsq; poſtulatis annuit perfrequenter; ejus honori dedit, cùm Iſraëlitas ſæpenumero præſtaret incolumes; ejúsque poſteris coronam ac ſceptrum confirmavit, tametſi per impia ſacrilegia effeminatæ idololatriæ à cœlo ſe diviſiſſent. Vivit Davidis nomen in veteri

teri novâq; lege celeberrimâ famâ. Narratur Adami lapsus, recensentur liberi, at nè periodus quidem extat unica, quæ resipiscentis dolorẽ collaudaret. Nempe primo Parenti nostro latebræ nemoris, & frondosa sepes, quam sibi ad umbilicum usq; subtexuit, tótque in judicio excusationes prolatæ, laudem omnem abstulerunt. Contrà Psalmographo merita gloriámque auxerunt, prompta delictorum confessio, perpetuúmque testimonium patratorum à se scelerum: quæ vel militibus exponebat in bello, vel amplificabat in Psalmis, vel in Musicis organis decantabat. Quemadmodũ itaque excusationes Adami Deum plurimùm offenderant, sic mirum in modum recreavit criminum toti orbi ab afflicto Principe vulgata confessio, suorum dedecorum accusatore acerrimo, proditionis ac perfidiæ suæ generoso Præcone. Quisquis scilicet Rei nomen sibi tribuit, is & amissa recuperat, & postliminiô ad arcana Divinitatis sublevatur. Cùm interim nulla per novem secula pœniten-

tentiæ actæ austeritas reddere Adamum potuerit aut laudatum in Biblijs, aut venerabilem posteritati. VIDEO FOVEAS, ISTUM DECLINO.

18. Fuga ipsa Præsidis sui, & qualecunque vel tenuissimum velum, quod nos oculis vel auribus Rectorum nostrorum suffuretur, vigorem virtutis, aut etiam Gratiæ vitam eripit. Sanè oviculam illam fugitivam, non amissam solùm, verùm & mortuam summus Pastor appellavit, licèt etiam tum per nemora erraret, pasceretúrque. *Inveni ovem meam,* QUÆ PERIERAT. Quî verò mortuam dicebat etiamnum viventem? in sepulchreto mentis, inquit Tertullianus, cor illud extinctum jacet, quod à Præsulibus suis discesserit. Pariter, quamvìs aureum & SS. Triadis Nomine insignitum foret Numisma, dum occultatur, miserabili fato colliquescens dissolvitur, seséque amittit in pulvere. Magna sententia magni illius Africani! *Ovis non moriendo sed* ERRANDO, *& Drachma non interiendo,* SED LATITANDO PERIERUNT.

Luc. 5. 6.

De Pudicitia Tom. 11, 43.

Non

Non est in Ordinibus sacris pestilentior lues umbrâ illâ, quâ se Religiosus involvit, ut Ducis sui se aspectui subducat. Quemadmodum enim regiæ, triumphalésque operum nostrorum viæ patefactæ Custodibus Instituti nostri; vestigiorum Sanctitatem, & gressuum æquitatem indicant: Ità qui à via publica deflexit; & per devios, nec usitatos calles, abstrusásque semitas se agit, haud leve præbet indicium, aut fallentis, aut falsi. Hoc ipsũ à Cassiodoro mirabilis prudentiæ Scriptore declaratum fuit. Qui per murorum ruinas, inquit, aut hiatus propugnaculorum in urbem irrepit, & sublicios pontes, portásque communes vitat, aut ille maleficij sibi conscius est, aut improbæ merci cavet à Publicanis. Nam si Judicum compedes non timeres, nec vectigalibus tentares illudere, urbem intrares sanè, quà patet, ubi custodes excubant, & in statione milites sunt. Reddo ejus verba. *Cur perscrutamini accessus illicitos, quibus portarum permittitur licenter ingressus? Nescio quid videmini tegere,* Lib. 12 Var. Tom. 10. 83.

 qui

qui palàm non desideratis intrare. Conscientia recta VIAS PUBLICAS *tenet.* AMICUM EST AUTEM CRIMINI VELLE NESCIRI, *& qui vias suas occulit, conscientiam prodit.* Hæc talis objurgatio tanto verborum lepôre ab eo viro, qui quondam Regibus Gothis à secretis Regni, tum verò Cassinensium celeberrimus Abbas fuit, duas, quibus juvenis exarsi, cupiditates hoc loco non sine rubore confiteri me cogit. Improbabam ea in ætate cùm essem, discessiones quasdam à Legibus vitari tam faciles, impetrato moderatorum assensu, prompto scilicet petentibus. Sive igitur, quo tempore litteris operam dabam, aut necessitas me aut desiderium urgeret ad recreationem aliquam postulandam, utì hoc genus laxamenta (id quod divinæ miserationi gratus adscribo) vel citra veniam admittere, vel contra imperium usurpare, constanter abnuebam, ità candidè proponebam illi, qui tempestate illâ Collegio Romano præerat. Indicavi non sinè rubore desiderium, quod persen-

ſentiebam, pomorum aliàs, atq; iterum lactis. Vix eram proloqvutus, cum promptiſsimâ benignitate utriusq; me voti damnavit. Miſſus itaq; ſum ad villam, juſſo villico mihi auxilio eſſe in carpendis, fruendíſque, quas dixi, delicijs. Quæ appetitiones non pravæ quidem, cùm ſine furto, & cum bona Regentium venia, explentur, tantum abeſt, ut quidquam exiſtimationis mihi apud miſericordem illum Paſtorem detraxerint, ut auxerint etiam vehementer, adeò quidē, ut quodcumq; aliud ſeu à conſuetudinibus, ſeu à ſtatutis laxamentum peterem, plus mihi concederetur, quàm ipſe auſus eſſem flagitare. Quàm vellem omnes Filios meos ad lenienda ſua non inhoneſta deſideria, atq; adeò ad cupiditates, quæ hominem quodammodo ſapiunt, reſtinguendas haud diſſimulanter implorarent Præſidum ſuorum charitatem. Quippe, per hujusmodi commercium, deſideriorum expoſitorum pariter, & conceſſorum conſervaretur debita Decretis noſtris Auctoritas, cùm ferè om-

nia eâ conditione vulgata sint, ut ad eorum præscriptum vita exigatur, nisi secùs pro solatio subjectorum Præsides judicaverint. Quocirca sicut postulata subditorum, quæ suâ naturâ nec bona, nec mala sunt, ipsis quidem Obedientiæ coronas, Præpositis verò Charitatis diademata augerent, itá magis adstringerent vinculum illud tantopere laudatũ mutuæ consensionis inter nostros, quod Christus inter suos optavit, non dissimile illi unitati, quæ naturæ ac voluntati Divinarum Personarum intercedit. *Ut*
Joan. 17. 11. *sint unum, sicut & NOS UNUM sumus.*

19. Redeamus modò ab amore Præpositorum, (quem usque ad delicias, uti dici solet, obsecundare subditis par est) ad plenam animorum nostrorum manifestationem. Nunquam spem omittat, qui præest, sanctum illum recipiendi, qui restinctis ardoribus vel tepet, vel etiam gelu riget; dum hic modò sincerè suum frigus exponat. Qui enim Medicum aut Chirurgum advocat, non is mori certus est; at spem concipit, recuperandi

randi vigoris, & febris depellendæ. Illius autem conclamata depositáq; salus est, qui medentem, aut à se dimittit, aut accipit malè. CUM SPE ÆGROTAT, *qui Medicum suscipit.* DESPERATE ÆGROTAT, *qui Medicum occidit.* Ita Clericis suis atque Presbyteris denunciavit Augustinus. Consurget è strato membris omnibus captus, si modò se medentis potestati permittat. Ex alia verò parte qualiscunque commotio arteriæ alteratæ, quamvìs levissima, degenerabit in formicantes & intermittentes retracti pulsûs citationes, nisì ad primos vel cutis, vel renum horrores brachium exporrigatur ad curationem. Verùm Bernardus in hoc lethali silentio exagitando longiùs etiam procedit: affirmátque, non in morbum modò eum nullâ probabili spe sanitatis recuperandæ incidere, qui taceat; verùm etiam qui Rectoribus suis elinguis sit, non moribundum quidem illum esse, sed mortuum. Si ulla tibi (Monachos suos alloquens, dicebat Doctisimus Abbas)

Serm. 8. de Verb. Apost. To. 11. 114.

vitæ pars in anima supereſſet, vox etiam ineſſet ori. *Intus ſenſus*, FORIS VOX: *compungor?* CONFITEOR? *& confeſſio vitam indicat: A mortuo enim, tanquam qui non eſt*, PERIT CONFESSIO. Si quando igitur Societatis Religioſus, qui vel ſolus, vel certè præ omni alio cœtu, Meridionalem aperti pectoris Portam, præcipuo jure poſſidet, Moderatoribus ſuis obmuteſceret, & pernicioſis tenebris obtegeret, quidquid in animo ſuo ſalebroſum eſt, atq; aſperſum; ſandapilam illi ſubſternite, ac ſepulchrum effodite; quoniam exploratum eſt, eum nec vivere, nec vivere impoſterum velle. *Intus ſenſus*, FORIS VOX. Quare nimis parum dixiſſe videtur S. Auguſtinus, cùm de vita illius, qui vel Præſides odiſſet, vel certè ijs ſe non crederet, conclamatum eſſe dixit. Quippe hic talis non jam moritur, ſed quatriduanus eſt, & putris; cui Bernardus inferias celebrat, aut, ùt veriùs dicamus, Exequijs & Cœmeterio indignum, ſacri ſoli munere negato, in foſſas abjicit, eſcam feris belluis futurum.

Serm. 15. In Cantic. To. 1. 12. 44.

Eccleſ. 15.

rum. *A mortuo tanquam qui non est, perit confeſsio.*

20. Neque hîc ſiſtunt S. Viri aut Diræ aut conſternatio: tranſit ille ab una morte ad alteram, vehementérque dubitat, nè qui latebras animi ſui ab eo, quem Dei loco & Magiſtrum habet & Ducem, abſcondit, periculum ſubeat moriendi Gratiæ primùm, tum etiam ſaluti. *A negotio perambulante in tenebris*, Nec erubuit Legislator ardentiſſimus palàm facere orbi terrarum, in ipſo etiam ſacratiſſimo Claræ-Vallis Cœnobio ex illius Alumnis, quos diuturni cruciatus penitus attriverant, & rerum cœleſtium contemplatio copioſiſſimâ luce illuſtraverat, multos fuiſſe (horret lingua proferre, quod in illius voluminibus typo vulgatis oculus legit) multos inquam fuiſſe ſupplicijs æternis adjudicatos, eò quòd ſibimet confiſi & lethalibus tenebris operum, clam Monaſterij Præſidibus habitorum, impliciti, præda facti eſſent illius, qui lolium bonis frugibꝰ interſerit, quíq; in Angelum Lucis trans-

formatus eos, qui Archangelos quodammodo vitæ innocentiâ referebant, deformat in larvas infelices, humanarum juxta ac divinarum Legum reas. Irrugiens igitur exclamánsq; : Vos, méque, inquiebat, servet pium Numen cùm ab operibus non manifestatis, tum á desiderijs ei, qui præest, occultatis! QUANTOS *hoc negotium, perambulans in tenebris*, TRUDI FECIT, IN TENEBRAS EXTERIORES! Jam verò quis est, cui non vultûs expallescat, non omnibus artubus corpus contremiscat, non animus, licèt immortalis emoriatur quodammodo, dum videt Angelicæ vitæ sectatores, tam venerandæ solitudinis incolas, cum lucifero fremere inter flammas, devolutos scilicet per eas cataractas, quæ se in tenebras horribilium Inferorum, per temerariam Conscientiæ non apertæ caliginem, laxaverunt. Tantóque ampliùs se hic terror exaggerat, quanto eam calamitatem non paucis, sed multis accidisse dolens geménsque Cœnobiarcha conqueritur. QUANTOS, *hoc negotium*

tium perambulans in tenebris, trudi fecit in tenebras exteriores! Tam execrabiles tenebræ nec diſſipari, nec caveri poſſunt, præterquam à radijs Modeſtiæ, aliorum imperijs obnoxiæ, quâ in omnes animorum ſuorum receſſus Ductorum ſuorum oculos ſubditi deducant. *Et lucerna ardentes in manibus veſtris.* Quod lumen eò eſt neceſſarium magis, quò nemo ſat nôſſe poteſt, utrùm Evangelico cingulo ex omni parte adſtringatur, ab illa maximè, quæ à tergo eſt. Dum enim nos umbris involvimus, nec quid ſentiamus, & agamus animorum noſtrorum Ducibus expromimus, accidet non rarò, ut dum credimus nos religioſæ perfectionis beatis faſcijs egregiè circumplexos eſſe, miſerè diſcincti vivamus, iiſque pateamus periculis, quæ nimiâ confidentiâ faſcinatos, & magnificâ ſui opinione deceptos inevitabili ruinâ opprimunt. Quare qui per eas tempeſtates, quas in ſtagnis Apoſtolicis Dæmon ciet, effugere naufragium cupit, is ad primũ ſurgentis venti afflatum cum Petro procla-

clamet. Manum huc aliquis, nè mergar! Id quod nobis Sanctus suadet Augustinus. *Si motus est pes tuus, si titubas, si aliqua non superas, si mergi incipis, dic: Domine, pereo; libera me. Dic: pereo; NE PEREAS.*

Ser. 13. de Verb. Dom: Tom. 26. 24.

21. Hîc ego audire mihi videor, qui miseris modis deceptus virtutem jactat, & inter undas scopulus, & inter ventorum turbines caute Marpesiâ fortior esse gloriatur. Negant hi clamandum sibi esse: PEREO; siquidem probitate suâ ceu cortice supernatent; sed neque nomen, vel umbratilem naufragij noverint speciem. Et quânam, inquiunt, ratione dicemus: PERIMUS: dum insultamus undis, & sub pedibus nostris maria gemunt? si naufragij nomine gravis in Deum offensæ culpa notatur, equidem, quæ Dei in nos pietas est, nullus, si loquamur in commune, Filiorum Ignatij hujus se reum agit; quòd si verò uterq; nostrûm, procellarũ alluentium, & interitum minitantium nomine, compellamus perturbationum tumultus, &

impetus rerũ externarum; si vobis istæ non dehiscant cum internæ quietis detrimento, ac animi molestia: felicior planè vobis lætitia, & innocentior vita contigerit necesse est, quàm Paulino Nolæ, vel apud Burgundiones Bernardo. Querebatur modestissimus Monachus eas, quas sentiebat, commotiones animæ, vel periclitantis, vel in lacrymabilibus imperfectionibus submersæ, deflebátque. Et vos Sanctissimis Viris sanctiores inter præsentis exilij fluctus deprehensi ceu Olympi quidam persistitis, nullis vel lenissimis Etesiarum susurris expositi? Bernardum audiamus: *Proprij reatûs conscientia non me requiescere sinit, sed de die in diem* VEHEMENTER ME TORQUET, *de die Judicij vehementer terret. Sanctè viventium merita*, MEA FECI, INVIDENDO, PECCATA. Et Bernardus quidem in se vulnerum cicatrices agnoscit, at nos scilicet ab omni livoris nota purissimos nos esse jactamꝰ? si quis autem est, qui credere id possit, an is ingenium, an cor habere dicendus est?

De inter. Dom. c. 31. Tom. 16, 68.

To-

Totidem ferè verbis mellifluo Abbati adſtipulatur Paulinus Epiſcopus: illud Charitatis prodigium; Exemplar innocentiæ, & inſtrumentum Spiritûs ſancti, *Pauper ego & dolens, qui adhuc terrenæ imaginis ſqualore concretus ſum*; ET PLUS DE PRIMO QUAM DE SECUNDO *Adam carneis ſenſibus & terrenis actibus* REFERO. Paulinus ille, qui, ut viduæ ſolaretur inopiam, ſemet in mancipium Barbaris vendidit: qui, ut Chriſtum ſequeretur, Dynaſtias, quas habebat ampliſſimas, & Faſces conſulares abjecit: qui SS. Literis adeò ingenium & ſtylum locupletavit, ut omnia ejus ſcripta eliquatus quidam è ſacris Voluminibus ſuccus videri poſſit; Is inquam Adamo ſe ſupparem fecit, helluoni perduelli, & in Deum perfido: palámque profitetur, *plus de primo quàm de ſecundo Adam terrenis actibus ſe* REFERRE! & vos Chriſti Transfigurati nobiliora, ſi ſuperis placet, ectypa; nive palliati, & coronati radij eſtis? Næ profectò, ſi ſe ſibi fateatur, animus, reperiet in ſe pro-

Ep 8. ad Sever. To. 2. 59.

cel-

cellas, à quibus submergitur, & Balænas à quibus devoratur. In hunc certè modum Bernardus Threnos suos absolvit. *Conscientia hominis abyssus multa, Mare magnum est, & spatiosum manibus: Illic* REPTILIA, QUORUM NON EST NUMERUS. Exanimat me tam formidabilis sententiæ tonitru: QUORUM NON EST NUMERUS! & tamen qui orationis meæ filum incîdit, & Ductori suo pectus occludit, sinum suum tam purum etiam ab alga, tam placidum vel ab aura, tam pellucidum & opulentum gemmis affirmat, quàm est fluvius ille, qui Dei Civitatem præcingit. Fallimur, fallimur! *Conscientia hominis*, ABYSSUS MULTA; ILLIC REPTILIA. Is etiam qui pedibus nititur velut alter in Canticis Sponsus, auro purissimo fusis, non solùm titubat, sed cadit, non modò semel per annum, & nonnunquam per mensem, sed septies per unius diei decursum. SEPTIES IN DIE CADIT JUSTUS. Neque verò quispiam objiciat mihi, quòd non optimâ fide Sapien-

De Inter. Dom. c. 4. Tom. 2. 6. 4.

Prov. 24.

pientis oraculum protulerim, quo ſicut cadere probi, ſic & reſurgere dicuntur: *Septies in die cadit Juſtus, & reſurgit.* Tuetur quippe cauſam meam Bernard9, & magnis vocibus: reſurgit, inquit, ſed qui auxilium implorat, ſed qui protenſo brachio regentium invocat manus. RESURGIT, *ſi tamen cadat in die, ut ſe cadere* VIDEAT, ET CECIDISSE SCIAT, *& reſurgere cupiat,* ET REQUIRAT MANUM ADJUVANTIS.

22. In hac luce veritatis tam invictæ, & effati ab Anachoretis Religiosíſque univerſis recepti, reperire ſit aliquem, qui non candidè Moderatoribus ſuis animum aperiat, cauſetúrque, ſe, quod manifeſtet, non habere? Nemo ſe credat adamantem inſerendum Coronæ Servatoris, ea de cauſa, quòd ſe non videat vel luto inquinatum, vel picis fuligine tinctum non deprehendat. Nullus Apoſtatarum Angelorum, aut cum Adamo vetitum pomum rapuit, aut cum Davide ſponſas militibus: & tamen infinita eorum multitudo in ſtagni liquefacti cal-

caldarijs ardet ob noxas incorporeas, &, ùt sic dicam, inaspectabiles. Hæ nimirum longè perniciosiores sunt, & insanabiliores, quia famam non commaculant vilitate terrenâ. Dioscori, Eumenij, Meletij, atque Arius ipse, qui Tunicam inconsutilem Christi laceravit, & in omnes propemodum totius Ecclesiæ Fontes virus sparsit, enormia scelera perpetrârunt, quamvìs essent à sensuum cœno, & avaritiæ rapinis alienissimi. Quapropter quisquis fastûs sui, arrogantiæ suæ, invidiæ suæ naturam ac progressus recognoscet, is in thesauris suis plus plumbi, quàm auri, & numerosiores tritico paleas inveniet. Non hæc mea, sed Magni Archiepiscopi Ambrosij sententia est. *Qui se hîc aurum putat*, HABET PLUMBUM: *Et qui putat se granum tritici, habet paleam, quæ posſit exuri. Hîc sibi multi aurum videntur, non illis invideo.* Superbia est, & extrema stoliditas, tam magnificè de se, déq; rebus suis ampullantium, ut eam mirari satis non posſint, nisì qui pari furore delirant. Nihil *Serm. 20. in Psal. 118. To. 10. 232.*

dicunt, quod non tanquam Delphicum Oraculum accipi; nihil agunt, quod non Apotheosi consecrari; nihil animo versant, cui adorando non totos hominum cœtus submitti velint. Aliorum verò dicta & facta perinde despiciunt, ac scoriam egentem ustrinæ, ac stipulas pabulum flammarum. NON ILLIS INVIDEO. Quoniam isti veluti redivivi Pharisæi efferentes se se ad sidera, & Thymiama sibi adolentes ad pedes usq; Publicanorum abjiciuntur, ubi eorũ Thus esse sulphur ostenditur, ipso quin etiam Deo vindicem eorum tumoris se promittente futurum, ac tam solutionem decimarum, quàm austeritatem jejuniorum, quibus inflantur, manifestarijs reis, & depeculatoribus civium postponente; *sibi aurum videntur. Non illis invideo.* Additque causam S. Doctor, jacto simul fulmine quamlibet Babylonem eversuro. *Multis qui se massam putant auri,* Zach. 13. *dicit sapientior auri massa : Omnes nos fornax probabit.*

23. Neque verò à fulgure immunes præ-

præſtat illa, quam cum Deo, per continuum meditandi uſum, intercedere ſibi conjunctionem, arbitrantur. Eliciunt miſeri è ſplendoribus Evangeliorum, quæ contemplantur, non lucem veritatis, ſed funeſtum execrabilis arrogantiæ fumum. Minùs ſanè proximorum ſuorum famæ oblatrarent, ſi mentem veris ſplendoribus irradiatam, non fanaticis imaginibus deluſam haberent. Eſt in hoc argumento, divina potiùs, quàm humana Theologi Gregorij Nazianzeni animadverſio. Priùs, inquit, quàm Iſaiæ Cœlum panderetur, appareretque Regnantis Trinitatis ſpecies, fremebat is in Iſraëliticum Populum tantâ vehementiâ, ut cadaveris eum nomine appellaret, à vertice uſque ad calcem in putredinem reſoluti. Enumerabat victimas rapinis profanatas; corrupta largitionibus tribunalia; mercimonia uſuris adulterata: Templum quæſtu dedecoratum; omnem deniq; Terram Sanctam chorearum petulantiâ, infamiâ crapularum, & impietate ſacrilegiorum cœlo in

odium versam. Quid multis? tota Prophetiæ illius prima quinq; capita Cataclysmus quidam dirarum & criminationum in Judæam videtur, ità tamen, ut siccus ipse, nè unâ quidem ejus stillâ conspersus, remaneret. Vix autem Seraphinos solio Majestatis divinæ circumfusos, & Omnipotentiæ Ministros conspexerat, cùm derivavit continuò in se, quas revulserat, cataractas: peccatorem se fatetur, ac turbæ, quam damnaverat, immistus submissiorem deinceps clamorem edidit; demisitq; cristas, quas in ejus capite opinio integritatis erexerat. *Ipse* Orat. 7. *quoq; Isaias, priùs quàm Domini gloriam* Tom. 115. 76. *thronúmq; illum excelsum, & Seraphinos conspexisset, in Israëlitas quidem magno clamore invehitur*: SIBI AUTEM PARCIT, *atque à se tanquam ab insonte, abstinet*: POSTEA verò QUAM HÆC VIDIT, ME MISERUM, *inquit, & quæ deinceps sequuntur.* Ità nimirum superbis illis alienæ vitæ Catonibus, & ventosis illis, propriarum virtutum amplificatoribus eveniret, si animos eorum veræ

ac ſolidæ contemplationis dono Chriſtus communicaret. Parciùs certè ſecum viventes carperent, & in vanos ſuos tumores, & intolerabilem in perviden-dis ſuis vulneribus cæcitatem paulò ſeverius judicium exercerent. Nempe tam ſaturos ſui facit nox illa mentis ad cognoſcendas res divinas caligantis. Equidem ſi cœlum ſuſpicerent, ſi Deum viderent, agnoſcerent profectò ſe ſe curationis egere, plurimíſque ulceribus deformatos. Advolverentur profectò pedibus eorum, quos Pietatis Duces nacti ſunt, auxilium implorarent, ac depoſitis exiſtimationis propriæ turpibus ſquammis, efficerentur in oculis ſuis parvi, magni in divinis. Quòd ſi parùm abfuit, quin Nazianzenus notaret immodici zeli in arguendis aliorum delictis, Prophetam falli neſcium, ut qui populos alloquebatur Deo linguam regente; multò magìs vereri ego debeo funeſtas eorum illuſiones, qui, diſſimulatis tot maculis cordium ſuorum, miſerabiléſq; ſuimet palpatores, in omnem nævum, quem vel

in fronte, vel in fimbria ex virtute viventium videre sibi videntur, utrâque manu secures vibrant, & pro potestate flammis adjudicant. Neq; est, cur hanc doctrinam, tantâ sanctissimorū hominum auctoritate nixam, nihil ad se pertinere arbitrentur Sacerdotes illi, qui per semitas Perfectionis volant potiùs, quàm currunt. Contingent siquidem metam, si monstranti viam fuerint obsecuti. Bravium verò nullatenus referent, si eò procurrant, quò sua eos confidentia egerit. Sanè vulgò amens habetur ambulator, qui Dux suus ipse est. *Qui se sibi Magistrum constituit,* STULTO SE DISCIPULUM SUBDIT. *Ego quod expertus sum dico; & faciliùs imperare, & securiùs possem praeesse alijs multis, quàm mihi soli.* Cui Bernardi documento hanc sui fiduciam improbantis robur & auctoritatem adjungit S. Joannes Chrysostomus, dum phreneticum appellare non dubitat superbum quemlibet, nec sibi de se ipso suspectum. *Non potest esse superbus,* QUI FATUUS NON SIT.

Epist. 87. *ad Oger.* *Tom.* 58. 373.

Hom. 39. *ad Popul.* *Tom.* 20. 167.

24. At

24. At profectò hujus sententiæ judicium subterfugere nemo speraverit, tametsi magnis cohortibus ad summum vel Sinaitici, vel Calvarij montis culmen gradientib⁹ ducem se præstiterit. Quamvis enim ductu nostro complures in Cherubinos Evangelicæ sapientiæ, & in Apostolos Zeli, prodigi sanguinis, mutati fuissent: nunquam tamen certi animorum nostrorũ Duces erimus, quamvis in aliorum promovendâ virtute non falsi, nec infelices fuerimus. Equidem oleo defæcatissimo Viduæ Lecythum Elias Propheta ditaverat, & farinam in ejus cista perpetuârat. Nihilo tamen minùs, quod largitus est alteri, tribuere sibi non potuit, coactúsq; est victum ac vitam precariò ab illamet femina petere, quæ illi panem vitámq; debere se fatebatur. *Non poterat Elias* (attonito similis scribebat Augustinus) *de Misericordia Dei dare sibi, quod lagunculæ dedit?* Ipsi quin etiam Galenus ac Hippocrates, qui Græciam, Orientémque totum Alexipharmacis suis instruxerant, Hom. 8. ex 50. To. 26. 179.

ausi non sunt vel unius digiti sui reduviæ mederi. Vult nimirum Deus, ut Superioris januam pulses, ipsíq; te indices, si Spiritûs sancti unctïonem illam desideras, quæ in vera Ecclesia de capite derivatur in membra. *Sicut unguentum in capite quod descendit. Unctio salutaris* (verba sunt Bernardi) *non barbæ, sed* CAPITIS *est*. Qui ergo Præsidibus suis se non submiserit, quovis punice siccior, & arenâ quâvis sterilior jacebit. Quapropter monito S. Ephremi, alterius Moysis instar ab Anachoretis habiti, orationem omnem concludo. Si videris, inquiebat Senex gravissimus, solitudinis Tyronem proprijs sensis nitentem, ac jam jam Eliæ ac Pauli more in aërem sublatum ad cœlum Empyreum attolli, manum volanti injice, & in arenam detractum abjice, nè ipsis è nubibus, Simonis instar venefici, turpiter fractis cruribus, ruat in præceps; aut ceu Lucifer, quem levitas vanitatis suæ depressit, & supplicijs addixit æternis, ex ipso firmamento decidat. *Si conspexeris adolescentem*

Serm. 14. in Cant. Tom. 112. 38.

tem propriâ voluntate in cœlum aſcendere, Paran. 35.
TENE IPSUM: *Expedit enim ipſi.* Tom. 30. 65.
Eadem verò, quæ à me dicta ſunt, ut juvenibus noſtris frenum injicerem, Anachoreta quilibet, cui acta diutiùs in ſpeluncis vita, antiquiórq; obſervantia Regulæ, ſibi dicta pariter arbitretur; ut qui fraudibus Sathanæ, non minùs circumveniri poſſit, ſi contemptis Archimandritarum inſtructionibus, ipſe ſibi ſignare veſtigia voluerit, in conſiliorum divinorum via. Finijt demum S. Diaconus timoris ſui argumentum prolato ſapientis oraculo, qui prudentem à ſtulto eo diſcrimine ſecernit, quòd, qui ſemel in errorem inducti ſunt, ſibi merè in privatis perſuaſionibus placeant. *Via inſi-* Prov. 20.
pientium recta CORAM IPSIS: *qui autem ſapiens eſt*, AMPLECTITUR CONSILIA. In hac diſſertationis meæ Coronide repeto, quod mihi David Thema commodaverat, & cum eodem dico: *Diligit Dominus Portas Sion ſuper omnia Tabernacula Jacob*: In Societate tentoria omnia vel manibus Angelorum

 texta,

texta, & aureis diſtincta filis, ſi Portis comparentur, quas nobis Deus fabrefecit, ſpeciem omnem amittunt, & tanquam ſinè corporib9 umbræ vaneſcunt. Hæreat ſemper memoriæ, inter quatuor Portas, ingreſsûs in Religionem, exitûs ad gloriam, reditûs in Ægyptum, Portam Meridianam, CONSCIENTIÆ MANIFESTATÆ, principem locum obtinere. Hæc enim nos removet à terribili oſtio, quod Babylonem ducit; hæc nos immittit Religioni, redditq; de perfectionis incremento ſecuros. Hæc denique à morte ad Beatam Immortalitatem, & à mortuali lectulo ad regni Thronum tutum tranſitum præbet. Eam & glorioſam & patentem conſervabimus, ſi ad eam ſubditi ſinceri humileſque, ac Superiores amantes & læti reſideant. E tam Sanctæ Portæ ſuperliminari ſuſpendatur Chriſti invitantis ſententia. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & EGO REFICIAM vos.* Utrique verò baſi Portæ hujus plùs quàm cæleſtis, tutelaris Societatis Angelus inſcribat:

Matth. 11. 18.

HÆC

HÆC PORTA DOMINI, JUSTI INTRABUNT PER EAM. Nam qui bonus est, ipso in limine redditur optimus, & qui vitio aliquo laborat, dum eam permeat, efficitur sanctus. Ità est. Ità sit.



EXHORTATIO III.

In Pervigilio S. Ignatij.

Et Lucernæ ardentes in manibus vestris, *Luc. 12.*

ZElus animarum, Gentilitium Societatis Insigne, quàm sit suâ naturâ præclarus, quantique à se fieri docuerit in vita sua Christus Servator noster, & in legibus suis Dux noster, Ignatius. In has magno suo malo peccaret, qui nihil, aut parùm operæ, in spirituale proximorum auxilium con-

conferret. Ejusmodi pro ſalute Gentium cura, quemadmodum antehac in Societate noſtra, haud vulgaris extitit, atque ea idcirco à Deo, viris ſapientiæ & ſanctitatis famâ celebribus, condecorata eſt, ità ſi quando ſubſequentibus temporibus non nihil intepeſceret, totum Ordinem maximo periculo exponeret, nè noſtro illo tepore offenſus Deus, duobus, iiſq; nobiliſſimis ornamentis, qualia ſunt, ſapientia fructuoſa, & virtus collaudata, nos ſpoliaret, quæ in Majores noſtros olim tam liberaliter contulit.

25. OMnes Patris illius Filij ſumus, qui tam obſequenter propoſito Conſilio paruit, ut pro ejus obſervantia faces Evangelicas tam compreſsâ manu ſtringeret, & intimo pectore complecteretur, ut earum uſum poſſeſſioni cœleſtis ac beatæ Civitatis

tatis præferret: *Cujus Lucerna est Agnus.* Tantum in Ignatio, dum viveret, desiderium exarsit, improbos homines ad frugem, & Provincias ac Regna ad vitæ sanctitatem revocandi, ut non differre solùm, verùm etiam periculo Visionem Dei & salutem æternam exponere sustineret, dum in dubio tam molesto certum interim haberet, se Dei Opt. Max. gloriam, in ea, quam procurabat, animarum conversione promoturum. Idque optavit eò ardentiùs, quò flagrantiorem sitim salutis humanæ deprehendisset in Mundi Servatore, cujus institutæ à se Societati, & nomen indidit, & zelum mandavit. Quæ utrùm ità se habeant duobus præsentis horæ trientibus, quos sibi præsens allocutio vindicat, cognoscemus: quantâ scilicet Jesus Christus Deus & Idea nostra flagraverit animarum siti, quámque Instituti nostri proprium sit, vacare penitus conversorum profectui, & peccatorum conversioni. Quare quisquis S. Parentis Filius audit, pandat manum, stringat facem; &, qui

mos

mos illi loquendi fuerat, ignem inferat Spiritûs Sancti terris omnibus, universísque cœtibus mundi detecti pariter & incogniti; nec antè quiescat, quàm viderit, non absimili hujus incendij diluvio omnium corda gentium ad salutem eorum, qui vivunt, superobruta, quanta fuit olim aquarum in universum orbem inundatio, ad eorum interitum, qui vivebant.

26. Et profectò tanto desiderio Veritatis lucem cæcis hominum mentibus inferendi, atque à vitiorum sordibus expurgandi Servator noster exarserat, ut neque viventem inter nos explerent Myriades hominum ad frugem conversorum, neque modò ad dexteram Patris imperantem exsatiet innumerabilis Orthodoxorum multitudo. Id scilicet Salomon in quarto Ecclesiastis sui capite & prævidit ipse; & posteris prænuntiavit. *Est unus, & non est secundus, & Frater non est ei. Nec est* FINIS *omni labori ejus: & quidem oculus ejus* NON SATURATUR DIVITIIS. Quâ in descriptione S. Hie-

S. Hieronymus effigiem Verbi agnoſcit hominum redimendorum causâ humanam naturam amplexi, cujus deſiderijs nulli ſatis animarum quæſtus reſpondebant, quin, quò plures Evangelio lucrabatur, eò plures concupiſceret, & à Patre ſuo ſibi ſubmitti poſtularet. *Cujus laboris non eſt finis, portans noſtra peccata, & oculus ejus non ſatiatur divitijs: ſemper noſtram cupiens ſalutem.* Quam populorum inſtruendorum cupiditatem ſupremâ voce in omnes orbis plagas miſsâ vel moribundus expreſsit, cùm diceret: *Sitio. Quid ſitis?* ſucclamat hoc loco Drogo; *Ergóne plus cruciat* SITIS, *quàm* CRUX? *Sitio! quid? veſtram fidem.* Hæc nimirum ſitis erat, quam Samaritanæ querebatur; hic ille cibus fuerat, cujus eſuriem Diſcipulis indicaverat: cùm feminæ diceret: *Da mihi bibere*; Apoſtolis verò: *Ego cibum habeo, quem vos neſcitis.* Eſuriebat Jeſus in Phariſæi domo, & in Canæ nuptijs: non illarum menſarum dapes, ſed vel dolentis Magdalenæ lacrymas, vel Convivarum Fidem,

In cap. 4. Eccleſ. Tom. 2. 1. 12.

Lib. de Sacram. Dom. Tom. 10. 341.

Io. 4. & 8. 32.

Fidem, quam prodigiosorum calicum gustatio Divinitati suæ faciebat obnoxiam.

27. Nec diversa fames illa fuit, quâ in solitario nemore sub quadragintadiale Jejunium conficiebatur. *Et cùm jejunâsset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt.* Cujus, si gnarus Cacodæmon fuisset, dum exhiberet Christo lapides, rogâsset potiùs, non ut in panem, quo vesceretur, eos converteret, sed ut in Sanctos Abrahæ Filios commutaret: quibus scilicet expleret immensam cupiditatem, Judæam omnem novæ Religioni submittendi *Esurit non cibum hominum, sed* SALUTEM (uti scribit S. Ambrosius) CIBUS ENIM CHRISTI EST REDEMPTIO POPULORUM. Neq; Filius Virginis palati delicias contemnebat solùm, ut qui animis lacrymísq; peccata sua deflentium pascebatur, sed ipsis propemodum Templi celebritatibus interesse dedignabatur: eò quòd inter holocausta, quæ adolebantur, non aliam hostiam Cœlo dignam existi-

Matth 4.2.

Serm. 36.

existimaret, quàm resipiscentium salutem. Quare Paschate, Scænopægia, & alijs sacris Templi solemnibus, instructionem rudium, & reditum peccatorum ad Deum semper habuit potiorem. Id Sophonias de ipso vaticinatus est tertio Prophetiæ suæ capite: *Deus tuus in te fortis salvabit te, & lætabitur in te, quasi in die solemni.* Omnis Christo festa Lux erat, quâ vel improbos corrigebat, vel docebat rudes. Profani contrà illi dies erant, Templo licèt solemnissimi, si nihilominus inter symphonias Levitarũ, & Pontificia odoramenta, animæ peccatorum pedicis implicarentur, & voluptatum rosarijs porrò pergerent indormire. Ob eam rem S. Hieronymus, Prophetæ sententiam exponens, eam amplificat in hunc modum. *Lætabitur in te, quasi in die solemni. In te delectabitur, quasi pinguissimam solemnitatis suæ hostiam* SUSCIPIENS SALUTEM TUAM. Ut adeò Deus nostrâ causâ in Crucem sublatus Discipulis suis verè, ac divino sensu dicere potuerit: *Vos*

Sophon. 3. 17. apud LXX.

In cap. 3. Sophon. To. 21. 173.

Ioan. 7. 8. *ascendite ad diem festum hunc, Ego autem non ascendo ad diem festum istum.* Solemnitates enim meæ non in eo vertuntur, ut arietes cædantur, ardeant Thymiamata, Tibiæ personent ac Tubæ. Illud mihi Pascha demum est, cùm mensas nummarias deserunt Publicani; cùm Peccatrices Alabastra confringunt; cùm Centuriones ac Reguli genua frontémque Trinitati, quam promulgo, prona veneratione submittunt. *Quasi* PINGVISSIMAM SOLEMNITATIS SUÆ HOSTIAM *suscipiens salutem tuam.* Quamvìs autem indicijs tam manifestis mirè resplendeat inæstimabile pretium, quo Christus animas nostras licitatus est, omnem tamen admirationem meam superat ea cogitatio, quâ voces illas Mysterijs & Ænigmatibus involutas cogitatione retracto, quibus videbatur è vitæ suæ sacris fastis horas omnes ac dies expunxisse, quos non publico Magisterio impendisset, dedicâssétq; turbarum instructioni, & saluti populorum. Audite, & adorate Charitatis prodigi-

digium. Quo tempore verba faciebat de Spiritu divino, qui Discipulis suis post excessum suum, superventurus esset in cœnaculo congregatis, sic omnem illius munificentiam, & in privatos Auditores suos congerenda beneficia collegit. *Mittam vobis à Patre Spiritum Veritatis. Ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis, quia* AB INITIO *mecum estis.* Joan. 15. 26. Quis verò tam reconditam abstrusámque sententiam capiat, cum sacris Evangelistarum annalibus manifestè pugnantem? Quis enim est, qui possit credere, Petrum, Andream, Joannem, Christo, vel in Bethlemio specu in lucem edito, vel in Ægypto exulanti, comites hæsisse, cùm postremus istorum eo tempore non dum natus fuerit, & duo priores vix post trigesimum vitæ ejus annum, nempe, postquam à Joanne Baptista in Jordane tinctus, & proclamatus Messias fuit, Servatori se adjunxerint? nunquid enim Matthæum in Apostolorum Collegium non tum primùm cooptavit, cùm Capharnao

transiens à sordido quæstu abduceret hominem, & ab adulterio avaritiæ ad beata sponsalia cum Evangelica paupertate contrahenda provocaret? An autem fatebimur tam ab hoc, quàm à Bartholomæo, ac Philippo Christum parvulum cum Pastoribus ac Magis jam tunc adoratum fuisse? *Quia ab initio mecum estis.* Quòd si autem hæc, nisi Divinis oraculis repugnemus, dici non possunt, credendum erit prorsus, non relatos à Christo in censum Annorum suorum, nisi vitæ suæ postremos: quo scilicet tempore, novi Testamenti Præconibus in monte designatis, iisque comitantibus Galilæam, Judæámq; peragravit, ad Dei cognitionem & perfectionem Evangelicam Judaicos cœtus erudiens, & à terrenæ mercedis luto ad cœlestia beatitatis æternæ præmia sustollens.

28. Cùm hæc omnia Beatus Legislator noster perpetuâ Vitæ Christi meditatione didicisset, in eam mentem adductus est, ut Religiosum Ordinem conderet, qui se totum saluti proximorum devo-

devoveret. Igitur Edictum ejuſcemodi primis Conſtitutionum, quas conſcripſit, paginis præfixit, palàm profeſſus unicum Sectatorum ſuorum eſſe finem debere, dedicare ſe penitus Converſioni, ſeu Ethnicorũ per Indias, ſeu Hæreticorum, & Improborum per omnes Provincias, quaſcunque chartis ſuis Geographia complexa eſt. Neq; verò tali propoſito ſcopo, qualiſcunq; alterius Inſtituti alumnis, inferiores nos conſtituit, imò altioribus quibusq; æquavit; neque commiſit, ut ullus Societatis hujus Alumnus hominũ ulli, vel cum Elia in Carmelo degenti, vel cum Moyſe Sinam habitanti poſſet invidere. Age enim, quodcunque celſiſſimum Chriſtianæ vitæ genus, animo concipe, ex Anachoretarum montibus ad primos Angelorum Choros enitere: atq; ex eo culmine, ad primorum Confeſſorum Catacumbas, ergaſtula, & cavernas Martyrum, cogitationem ac ſtudia demitte: non tamen invenies ullam vitæ conditionem, quam chariorem ſibi Deus habeat, aut ſancti

viri faciant pluris: Apostolico nimirum eorum scopo, qui aut sudant, aut loquuntur, aut scribunt, aut agunt, quò Fidem nostram rudes edoceant, & peccantibus Inferos pro concione recludant, ut, per illarum pœnarum cognitionem, eos ipsi obserent sibi, & ad consequenda parata innocentiæ præmia seipsos exstimulent. Qui mihi fidem non habet, credet is, uti spero, Richardo de S. Victore, Theologo, aut omnium primo, aut certè nulli ejus, quâ vivebat, ætatis, secundo. Sic ille quadragesimo quarto capite Benjamini sui disserens: Nullis quidem, inquit, Omnipotentia divina limitibus circumscribitur. Videtur mihi nihilominus, in illa favorũ cœlestium immensitate, talis aliqua gratia eminere, quam ultra tendere beneficijs nequeat ille, cui inexhaustum est præmiorum ærarium. Fallor sinè dubio, cùm ità disputo: nam ubi nullus est finis, fieri non potest, ut sint ulla confinia. Attamen nullis inclusa terminis Dei Potentia illud: *non ultrà*; exiguitati ingenij mei reipsa videtur

tur exhibere. *Nescio si potest homo ali-quid à Deo in hac vita majus accipere; ignoro*, AN POSSIT HAC GRATIA MAJOREM INTERIM ALIQUAM DEUS HOMINI CONFERRE, QUAM UT EJUS MINISTERIO PERVERSI HOMINES IN MELIUS MUTENTUR: *Ut de filijs Diaboli filij Dei efficiantur.* Equidem haud dicò, non esse; at me non videre confirmo, quodnam ministerij genus possit Deus, aut in ideis suis describere, aut in Ecclesia sua constituere, quod dignitate præcellat Evangelico Magisterio, quô perduelles Cœli, sacrarum litterarum tonitruis, percelluntur: Hæreticarum novitatum Auctores, Veteris Theologiæ syllogismis, refelluntur: blasphemi Crucis obtrectatores, ac temerarij conculcatores Decalogi, ad emendationem, ac pœnitentiam revocantur.

Part. 1. de Ben. c. 44. Tom. 16. 101.

29. Quòd si Doctrina Richardi vim habet ac pondus, utì profectò habet, quis erit nostrûm, qui cùm se videat ministerio tam celso admotum, vocandi

nimirum mortales omnes ad Beatitudinis Regnum, & Christi ſanguine redemptis Tartarum occludendi; non penitus amore ſui muneris exardeſcat, totúmq; ſe ſaluti perfectioníq; conſecret populorum? num in hoc dignitatis gradu poſiti, aut æſtimare, aut cupere, aut cogitare aliquid poſſumus, præter emendationem, ſalutémq; animarum? atqui exclamat Bernardus, miſerans pariter, & indignans: *cadit aſina, & eſt, qui ſublevet eam*: PERIT ANIMA, ET NEMO EST QUI REPUTET! Id ego non dico, licèt poſſem fortaſſis; cùm Operarijs Societatis evenire ſimiliter queat, ut majora miſerantis animi ſigna prodant, erga miſerum aliquem vel graſſatorum interceptum inſidijs in itinere, vel in foro interemptum, quàm præ ſe ferant, erga tot animas, quotidie ſtrangulatas à Dœmone, & ad ultimam, dehiſcentis Orci, crepidinem protractas. Illud certè vereor, nè Threni, quibus S. Abbas Præſulum quorundam, quibus major cura de Fundo, quàm de Templo, dolor-

Lib. 4. de Conſid. Tom. 13. 127.

dolórq; acerbior ex inopia decimarum, quàm è vitijs animorum in pejus ruentium, deteſtabilem incuriam deploravit, cadere in nos aliquo pacto poſſint; è quorum memoria, vitæ, quam profitemur, dignitas proſcribit res alias omnes, quæ nobis non ſuggerant animas in vitia præcipites, & Gentes errorum ac Schiſmatum æſtuoſo Pelago ſubmerſas. Vapulant inſolabilib9 lamentis aures meæ; ſi quando proventum negârit Apulia, & agri fefellerunt. Non autem affirmare perinde poſſum, videri à me omnium vultus mœrore dejectos, impatientésq; ſolatij, ob tantam honeſtarum actionum ſterilitatem, & primævi fervoris, in noſtri temporis Chriſtianis, ſummam egeſtatem. Fieri proinde poteſt, ut non neminem noſtrûm Bernardi fulgur perſtringat, majorem acceptorum damnorum, quàm ſcelerum perpetratorum impatientiam, exprobrantis. PATIENTIUS FERIMUS CHRISTI JACTURAM, QUAM NOSTRAM. Supputatur, accuratiſſimâ diligentiâ, quodcunq; *Ibidem.*

çujuscunq; censûs intertrimentum; & in Rationum libros refertur quælibet agri ſpica ; utrùm ſubinde pari ſolicitudine laboretur, ut cognoſcatur, num auctus Peccantium, & imminutus peccata ſua damnantium numerus, id ego illis ſcilicet expendendum relinquo, quorum eſt, vel Evangelia interpretari, vel ſemet accuſantes abſolvere. Interim clamat Bernardus: *Quotidianas expenſas quotidiano reciprocamus ſcrutinio*; ET CONTINUA DOMINICI GREGIS DETRIMENTA NESCIMUS. *De pretio eſcarum cum Miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt: rara admodum cum Presbyteris celebratur collatio de peccatis Populorum.* Quod de dolore noſtro hactenus, idem de lætitia, dictum volo. Age, in rem præſentem veniamus. Hodie ad primas Veſperas Templorum noſtrorum valvæ pandentur, &, in debitam grati animi ſignificationem, commentario inſcribemus nomina Principum, ac Magnatum, qui Beati Patris noſtri oſſa venerati ſunt. Ego quidem ipſe gaudeo, ſi oblatus mihi Cata-

Catalogus frequentes exhibeat, qui sacros triumphos Altarium nostrorum præsentiâ suâ cohonestârunt. At quis syllabum texit eorum, quos nostri Sacerdotes peccatis expiârunt, aut numerū init Hostiarum incruentarum, quibus sunt ijdem refecti: aut quos à vitæ licentia ad modestiam Parentis nostri exempla, è suggestu recitata, reduxerint? Avertat Deus, ut magnitudinem præsentis celebritatis metiamur, vel à peristromatis parietum, vel ab instrumento argenteo Altaris, aut à Symphoniacorum harmonia, aut à frequentia Nobilitatis & populi, ad Domos nôstras concurrentis. Illud verò foret longè deterius, si paucis illis exceptis, qui ad Dei tabernaculum, & ad Ignatij tumbam, positis genibus, iram divinam precum sanctitate mitigant, non exhorrescèremus longè majorem numerum eorum, qui Sanctuarij Divinitatem, & Psalmodiam profanant, garrulitate, tam sonanti, ut obtundant aures precantium, & immedicabilem plagam inferant omnibus, qui ab exteris Gentibus

Ro-

Romam, Martyrum cineres, in Sanctæ Urbis Basilicis, adoraturi, venerunt. Non erant profectò Christi studia similia illis affectibus, quos in diebus nostris solemnibus experimur. *Lætabitur in* TE, *& delectabitur, quasi pinguissimam* SOLEMNITATIS SUÆ *Hostiam*, SUSCIPIENS SALUTEM TUAM. Et quamvìs ea studiorum dissimilitudo non ad omnes, sed ad paucos pertineat, longè tamen absurdissimum foret, si vel unus inter Ignatij Socios esset, cui animus non deficeret, dum videt tantam, in tanta vulgi multitudine, erga præsentem Deum irreverentiam, & subinde maximis lætitijs incederet, dum undam se se prementis populi, aut celebritatem, quã sacrificijs nostris præsentiâ suâ Nobilitas facit, contemplatur. Id quod in Templis nostris deploro, pari doloris sensu queror evenire Lycæis nostris. Ostentamus stipatas discipulis Academias, & sicubi nostrarum Præceptionum Auditores per myriades censentur, triumphamus scilicet. Atqui optarem ego, poti-

potior nobis esset cura modestiæ, ac pietatis eorum, quos scholæ nostræ erudiũt; cuperem, ut sicut labore nostro docentur subtiliter disputare, ità discerent dignã homine Christiano vitam vivere. Hæc illa causa est, ob quam ædium nostrarũ spatia Legislator noster contraxit, nempe ut sapientiæ Theatra studiosæ juventuti laxaret. Voluit litterarum illicijs acerbæ illi ætati, Christi axiomata, & iræ divinæ terrores instillari. At verò, si vel frequentiæ, vel laudibus, quibus exedræ nostræ coronantur, acquiesceremus, quid nisì vile Pædagogorum officium, nimis alienum à consilijs nostris, nimísq; natalibus vestris indignum occuparemus? Quòd si nobis nobilitas, frequentia, profectúsq; illorum, qui sub disciplinis nostris adolescunt, placet; displiceat sanè, offendátque, si minores in Divinorum observatione mandatorum, quàm in humana Theologiæ, ac Dialecticæ scientia, progressus fecerint.

30. Si verò extra portas ædium nostrarum pedem protulerimus, & vel ad pri-

privatorum atria, vel ad publica fora excurrimus, quot, quantǽque sunt ijs locis corruptelæ, quas nondum correximus, quarum tamen emendationem studijs nostris Instituti nostri ratio commendavit. Ipsius Oceani spatia immensa, quædam veluti Hesebonis Piscinæ videri possint, si peccatorum grandi illi diluvio
Eccles. 1. comparentur. *Et imminutio non poterit numerari* (ut est apud Ecclesiasten) cujus Oraculum in vulgatis Biblijs ità legitur. *Et stultorum infinitus est numerus.* Ex-
in c. 1. Eccl. clamat hoc loco Hieronymus. *Tantus*
Tom 11. 4. *est numerus seductorum, & eorum, qui de grege Domini rapti sunt, ut supputatione non queat comprehendi.* Jam verò, quos Deus ad retinendos à lapsu, revocandósque à vitijs homines vocavit, possúntne in tam lacrymabili calamitate, tantáque multitudine perversorum, deceptorúmque mortalium, non vehementissimè commoveri, non penitus ardescere; ut cadentibus manum porrigant, detrahántq; in terram adversum cœlo verticem attollentes? Equidem Deus non

vide-

videtur posse amplius aliquid, aut subli-
mius mortali homini conferre, quem se-
mel ad revocandos ab interitu homines
extulerit. Et nos, tam illustri Præfectura
donati, pereuntes animas intueri susti-
nebimus, quin advolemus in earum au-
xilium, quibuscunque studiorum, com-
modorum, molestiarum, vulnerum, cru-
ciatuum impendijs? & neglectis non-
minùs commoditatibus, quàm spretis,
quæ fortè subeunda sunt, tormentis, ac-
curramus: nè videntibus nobis offen-
datur Deus, & nè in exercituum nostro-
rum conspectu, Christi Crucem Lucifer
agat in Triumphum, eo ferè modo, quo
quondam Arcam Testamenti captivam
rapuerunt Philistæi. Nec hîc ego audi-
am, qui opponat, non paucos à nobis,
in dies ad frugem converti. Petam pri-
mùm ab eo, qui sic disserit, num ex illis
ipse unus sit, quorum zelo atq; industriæ,
numerum pietati redditorum, Ecclesia
debeat? Subinde respondeo, non satìs
esse Christi Ministro, ut nè ille offenda-
tur ab omnibus, nisi etiam ad unum
omnes

omnes illum obſervent, adorentque. Hoc ipſum S. Joannes Chryſoſtomus, non dicam Religioſis in hoc natis, prorieq; Provinciarum omnium ſaluti dedicatis, ſed planè toti Antiochenæ concioni propoſuit. *Nemo mihi dicat, quòd multi correcti ſunt: hoc non eſt quod quæritur*, SED UT OMNES. *Quouſque hoc non video, reſpirare non poſſum.* Mementote, inquiebat Religioſiſſimus Antiſtes, non eſſe ſatìs, ut vivamus, eò quòd dimidia corporis parte membra vigeant, nec in venis febris exæſtuet, dum pars reliqua corruptis humoribꝰ oppreſſa vitales ſpiritus intercipiat. *Multi correcti ſunt: hoc non eſt, quod quæritur, ſed ut omnes.* At erravi: cùm ſanitatem in tanta corporis parte requirerem. Vel unius brachij gangræna ſatìs, & plus quàm ſatìs eſt: exulcerata manus ſufficit; & hoc quoq; nimium eſt: ſufficit infectus toxico digiti unius articulus, ut mortem inferat homini, cæteris omnibus membris integro, ac valenti: NAM SI VEL UNGUEM SOLUM *offendentem*

Hom. 13. ad Pop. Antiochenum.

Ibidem.

tem subvertimus, totum corpus condolet. Et satis nempe habebit desidia nostra, laudare in corpore mystico Ecclesiæ membrum aliquod non putrefactum: cùm in tot alijs suis partibus ulcerum fætore aërem inficiat, & horrore marcoris intuentes exterreat? Tam citò nobis exciderunt curæ, atq; itinera, quæ Summus Pastorum pertulit, cùm ex centenis ovibus una deficeret? *Pastor ille centum oves habebat, & UNA AMISSA, non sentit, de nonaginta novem salute, delectationem.* Unus erat unicus è primis Christianis Corinthi homo impurus, qui lustra frequentaret; nihilominus acerbissimo luctu pariter & dolore Paulus fremebat, nec lacrymis ejus tot aliorum integritas aut solatium afferebat, aut modum. *Apud Corinthios* UNUS ERAT TANTUM *fornicarius, & tamen tantùm gemebat Paulus. Nè igitur dicas, quòd pauci relicti sunt, qui non sunt correcti.* Quid? Tametsi omnes omnium gentium populos, orbémq; terrarum universum industria nostra Christo peperisset, *Ibidem.*

novos nihilominus concupiſcere debe-
remus orbes, inſatiabili quadam cupidi-
tate inflammati, alios atq; alios Crucis
cultores conquirendi. Eo nempe con-
ſilio, ut ea re charitatem Chriſti Jeſu, quâ
licèt, imitati, ejus pariter deſideria in ju-
vandis hominibus nullis unquam ar-
ctata limitibus exprimeremus, cujus no-
men in noſtris Inſignibus præferimus.
*Oculus ejus non ſatiatur divitijs, ſemper
noſtram cupiens ſalutem.* Jam verò nos,
quos innumerabilis errantium multitu-
do circumſidet, contenti ſcilicet erimus,
in tanta improborum hominum turba,
exiguo choro illorum, quorum voces in
Dei Laudes ſermonibus noſtris ſolvi-
mus, & in ſemitas Juſtorum veſtigia de-
duximus: dum interim ejus mandata
à totis impiorum agminibus palàm ac
paſſim proteruntur. Heu me! hâc eti-
am ætate noſtra per omnes angulos mu-
nitarum Urbium, & patentium pago-
rum vox illa perſonat: *Stultorum infi-
nitus eſt numerus!* Nóſque interea, ceu
in culturam obſtinatorum animorum
ſecre-

secreti à Deo non essemus, somnos nostros placidè dormiemus, sinemúsq; cum summo quidem muneris nostri opprobrio, ut excubent scelera, Virtúsq; ob sectatorum infrequentiam indice habeat opus? *Tantus est numerus seductorum* UT SUPPUTATIONE NON QUEAT COMPREHENDI. Credámne autem fieri posse, ut qui hæc audit, hæc intelligit, multiplicatorum adeò scelerum horrore non obrigescat? nec simplici fulmine manus armet, quòd ad impietatis excidium rapiat, priusquam ultima Virtutis semina penitus elidantur?

31. Et profectò minùs immedicabiles forent cordis mei cruciatus, si tot inter ferventes Curatores Animarum, qui degunt inter nos, viderem aliquem eam ob causam saluti proximorum oscitanter insistere; quòd res gereret ad famam illustres: quòd gravissimi momenti negotijs distineretur: quòd hilaritatis inauditæ ludis, ac longè illecebrosissimis recreationibus indulgeret. Illud verò dolore me conficit, non tam quòd non

nemo Alumnorum Ignatij negligat animas, quàm quòd eas ob rem nihili negligat. Non ſunt abſimiles lacrymæ meæ querimonijs Auguſtini, qui nullum finem faciebat extinctũ in Popularibus ſuis divinum amorem deplorandi, quem nimirum non Babylonica flumina pomparum, deliciarum, Principatuum, Imperiorum, ſed vanarum ſolicitudinum, & ſordidiſsimi quæſtûs tenuiſsimæ ſtillæ oppreſſerant. Atq; eam ob rem in has voces prorupit. *Quid amas, ut Deum non ames?* Ignoſco propemodum Julio Cæſari, quòd mundi Conditorem non amârit, utpote qui toto mentis affectu ad ſubjugandum Septentrionem, & Romanum Imperium occupandum rapiebatur. Ità Sardanapalum pœne abſolvo, cujus animo Dei memoriam expulerunt innumerabiles voluptates, quæ tot Orientis Regna ferinis ejus cupiditatibus tributaria fecerant. At verò vos Hipponæ Cives privati, quo pretio inæſtimabilem gemmam charitatis in Chriſtum veſtræ divenditis? Alius eum pe-

In Pſal. 79. Tom. 12. 298

dibu

dibus premit, ob aſpectûs unius licentiam: alius à ſe illum abjicit, ut injuriam aliquam perſequatur: alius ignominiâ illum afficit, ob paucarum mercium rapinam. Eſt, qui eum inaſpectabili cruci ſuffigat, vel deſiderio vindictæ nunquam conſequendæ, vel cupiditate rei nullis unquam rationibus obtinendæ. QUID AMAS, *ut Deum non ames?* Hoc ipſum ſcilicet unicuiq; noſtrorum hominum objicio, ſi quis fortè in Apoſtolica procuratione Animarum ſe gereret remiſſiùs. Quæ deniq; res eſt, aut tam grandis, aut tam honorìfica, vel illecebroſa; quæ à frontibus noſtris coronam Apoſtolatûs revellat? Equidem oculis noſtris amphitheatra nō patent: Triumphi, vitæ noſtræ generi, non conveniunt; Honores à nobis Vota noſtra proſcribunt: Venatio, Luſus, Epulæ, Divitiæ in ædibus noſtris ſunt ſinè nomenclaturâ. Supereſt igitur, ut vel inutilis libri lectio, vel otium familiaris colloquij, vel viſitationis infructuoſæ evagatio, vel deambulatio per plateas populo

frequentes, illa demum ſint, quæ nos à divinis expeditionibus, à peccatoribus emendandis, ab erudiendis populis abſtrahunt. *Quid amas, ut Deum non ames?* & nè illius imperium per novas regiones ac ditiones proferas? Ah nimiùm carò ſtaret ignavis, furtivum, à zelo noſtro, transfugium!

32. Id ego de iſtorum fuga dicere poſſum, quod de aliorum luxu Zeno. Intraverat vir ſanctus Crœſi cujusdam palatium, dúmq; in cœnationibus & conclavibus, quæ tantùm Patritium accipiebant, aulæa ductili auro texta, ſcrinia gemmis diſtincta, abacos ſub argento gementes, parietes picturâ illuſos, pavimenta ſtrata tapetibus alij mirarentur, attonitus exclamavit: Proh! quot ego animarum funera, in heteromallo atq; auro tumulata conſpicio? quæ vos immotis oculis intuemini. Tam vani luxûs pretio innumerabiles apud Barbaros miſerrimam ſervitutem ſervientium turmæ redimi poterant, & à longæ mortis ſupplicio liberari; quotquot ine-

inediâ confecti sua corvis cadavera sub dio reliquerunt. Manifestum id protinus fieret, si apparatûs, à Cruce Christi tam alieni, divenditi pretium erogaretur in eos, quorum pudicitiæ paupertas insidiatur, vel quos victûs vestitúsq; inopia ad desperationẽ adigit. O QVANTARUM NECES ANIMARUM IN PHALERIS PENDENT! *cujus ornamentum si solvas in pretium, distribuásq; necessitatibus singulorm, ex eorum respiratione cognosces*, QUANTORUM MALO ILLE CONSTET ORNATUS. Hæc tamen omnia, quæ à Zenone dicta sunt, pauca videbuntur Ambrosium audientibus; qui vanorum ornamentorum pestem, editámq; ab ijs stragem non aliquorum solùm excidio definivit; sed palàm professus est, in uno Prætoris alicujus aut Consulis annulo immensam aridorum ossium struem concludi, & integras miserorum Colonias per inhumanam barbariem in resplendenti gemma sepeliri. *Infelix, in cuius potestate est, tantorum animas à*

Serm. de Just. Tom. 13. 171.

Cap. 13. de Nabuch. To. 10. 236.

morte defendere, ET NON EST VOLUNTAS! TOTIUS POPULI VITAM POTERAT ANNULI TUI GEMMA SERVARE. Id ipſum ſcilicet Auditoribus meis objicio, eóq; acerbiore doloris ſenſu, quòd illinc quidem in ſumptuoſæ avaritiæ feralibus ſuggeſtis non niſì verminantia corpora deploremus, hîc verò Animas à Culpa, negligentium operariorum culpâ trucidatas, & per eorum incuriam maxima regna vel in tenebris Idololatriæ, vel ſcelerum contagione deſtituta univerſa Cœleſtis Reſpublica deploret. Quemadmodum igitur hominis glorioſi adamas reus eſt omnium, quoſcunq; per compita fames confecit, ſic omnes noſtras Salutationes inutiles, omnia injuſſa ſtudia, relaxationes omnes, quas nec prudentia, nec Leges probaverint, reas produceret Tribunal Chriſti, condemnabítq; jacturæ omnium earum gentium, quæ per eas horas, quas otium nobis abſtulit, fuiſſent à nobis vel privatis colloquijs eruditæ, vel adhortationibus publicis perſuaſæ, vel ſacrâ exhomo-

homologeſi expiatæ, vel editis in lucem libris vitæ dedoctæ; & ad perfectam vivendi rationem inſtitutæ. *O quantarum neces animarum in Phaleris pendent!* In ipſis etiam Domibus noſtris, nisì flagraret zelus, qui per Dei gratiam in hanc uſq; ætatem ardere perſeverat, vel ipſos etiam Angelos pallore tot funera ſuffunderent, quæ Mundi Reparator illius deſidiæ imputaret, qui peccantium ſaluti non providit in tempore. Deum immortalem! quantus numerus defunctorum gratiæ viveret hodiéque ac Virtute vigeret: ſi, qui vel inter magnarum ædium fumos, vel inter afflatos á Magnatibus odores, tot bonas horas perdit, eos ille perdocendis ab omni aliorum auxilio deſtitutis, aut improbis hominibus ſalutari timore percellendis impenderet. *Totius populi vitam poterat annuli tui gemma ſervare.* Id autem animadverti ab omnibus velim: non licere jam nobis per vitæ noſtræ genus, velimúsne ſpiritualem proximorum ſalutem promovere, nécne. Poſtquam enim nos

Deus ob eam maximè causam à profana vivendi consvetudine secrevit, ut Evangelium propagaremus, & vitia extirparemus, severam à nobis semper rationem exiget eorum, qui à nobis non emendati Tartareo Draconi in prædam cessere. Et profectò videtur mihi Deus Anachoretas Appeninicolas, & Carthusiarum Alumnos sic alloqui: Pascite sanè vos lacte Psalmorum, & melle Silentij, nec vos moretur tot facinorosorum hominum extrema necessitas, qui vel per impietatis abrupta, vel in Barathrum damnationis æternæ quotidie devolvuntur: hanc enim curam Ignatij Filijs demandavi. Istos, Servatoris Gentium nomine sumpto, & omnibus alijs functionibus, ipsâ etiam Psalmodiâ, exsolutos, vacare huic rei propriæ leges jubent, eáque privatim eorum provincia est, ut Filio meo Collegæ additi delinquentes emendent. Præ nobis certè nemo majorem rationem à Deo postulabitur eorum animorum, qui pietati non renascuntur; quoniam nullum æquè

æquè cœtum paribus privilegijs ornârunt Christi Vicarij, & à ritibus Ecclesiasticis exemerunt, eo solùm nomine, ut tantò expeditiùs spiritualibus commodis mortalium omnium nos commodaremus. Quippe si quinq; Virginibus illis liliorum fragrantia satis non fuit, quòd lucernarũ eas splendor deficeret, quid nostrûm aliquo futurum esset, qui sui muneris oblitus incolumitatem animarum in postremis curis haberet? *Etsi namq; Virginitatem serves*, CHARITATEM NON HABENS, *extra sponsi thalamum manes*. Per nos olim steterat, ut hujus militiæ Regnorũ omnium potissimùm utilitati consecratæ signa sequeremur; At postquam à tot annis, & stipendia capimus, & in Christi tentorijs habitamus, urgentissima necessitate premimur, Jesu & Ignatij, Ducum nostrorum, Apostolicis legibus, pugnando, sudando, moriendo, parendi. Id si præstemus, quælibet nobis in præsens & futurum præmia tutò polliceamur: at quoque gravissima, vel in hac vita, time

Hom. 34. ad Pop. Antiochenum. To. 10. 160.

timere pœnas debemus, si contrà, quàm faciamus, negligenter altissimum Instituti nostri Magisterium obeamus.

33. Tam infelicem desidiam nisì strenuè excuteremus, malè profectò tum Disciplinis nostris, tum rei familiari ominarer; quibus nos tam copiosè Divina Clementia, & ornavit, & instruxit. Evenire nobis nimirum posset, quod Sanctulo accidit, cujus vitam ac miracula tertio Dialogorum suorum libro Gregorius Pontifex recenset. Vastatâ Gothorum armis S. Laurentij Martyris Basilicâ in agro Verano, Sanctulus inculpatæ vitæ Sacerdos, Architectos, operásque ad instaurandas ejus templi ruinas convocavit. Cúmq; commeatus alendis tam piæ molitionis administris eum deficeret, tam diu se in omnem partem versavit, donec in desertum alicubi furnum incideret, in quo ingentis magnitudinis panem reperit, nive lactéque candidiorem; eum extemplo inter fabros dividit: atq; hi quò avidiùs Angelicâ illâ annonâ se pascebant, eò magis mirabantur absum-

pti

pti panis, reliquias augeri. Videbantur eorum dentes in aratra prodigiosa mutati, frumentum multiplicare, ut vitam tolerarent, dum eum minuerent, ut mortem arcerent: *Acsi fragmenta panis illius* PER ESUM CRESCERENT, *& cibum comedentium ora repararent.* Subinde quemadmodum paulatim labor, ità prodigium defecit. Ad eundem planè modum Nos quoque, quos Christus ad Ecclesiæ suæ instaurationem vocavit, compluribus extructis ædibus, Academijs institutis, Collegijs annuo censu dotatis, donati ab ipso fuimus; & à seculo, & quod excurrit, quanto sumus aucti numero, tantò ampliora subsidia à Beneficentia Principum, pietatéq; Populorum necessitatibus nostris sublevandis accesserunt: *Acsi fragmenta per esum* CRESCERENT : *& cibum comedentium ora* REPARARENT. Avertat verò Deus, ut laborem remittamus, nam si nos manum ab opere, suam pariter Deus ab usitata sua liberalitate retrahet. Haud equidem sum ignarus, tantas rei familiaris angu-

Dial. l. 3. cap. 37. To. 35. 421.

angustias, quibus ubiq; gentium conflictamur, soli præsentium temporum calamitati, quæ magnam Europæ partem premit, adscribi oportere. Nihilominus abs re non erit, perscrutari minutiùs, utrùm communis calamitas non aliqua ex parte arcessatur, à zelo in nostrûm aliquo minùs fortè, quàm olim, ardenti: útq; vereor futurum, nè deficiente Charitate, animarum avida, deficiant pariter corporis alimenta, sic timerem nè scientia quoq; collabesceret, si quis inter nos, nobilissimi hujus præmij coronâ reperiretur indignus. Nemo est, qui non videat, quantopere Deus in hanc usque ætatem, voluminibus editis magno numero, quæ nostri Scriptores eruditionis, ac Doctrinæ tam multiplici genere vulgârunt, eo applausu Orthodoxorum, & Summorum Pontificum approbatione, quam nos quoq; ipsi, cum summo quidem pudore, quo nos tanta benignitas afficit fateri debemus; minimum hunc Cœtum illustrare voluerit. Vix jam Bibliothecæ satis laxæ sunt Scriptorum nostro-

ſtrorum operibus capiendis. Nihilominus ſi tam præclaræ facultatis uſus in profectum animorum parciùs diſpenſaretur; exclamaret Sapiens: *Sapientia abſcondita, & theſaurus abſconditus*, QVÆ UTILITAS IN UTRISQUE? At enim tonitru longè vehementiore Academiarum noſtrarũ fundamenta concutit Hildebert⁹ Turonenſis Epiſcop⁹, qui quemadmodum haud vulgaria Sapientiæ ornamenta promittis ijs, qui eam ad emendandos animos conferunt, ſic ſterilitatem illuſtrium Scriptorum & bonarum artium interitum ominatur cœtibus illis, qui ſatìs habent ſeſe inter comparatæ doctrinæ ſplẽdores circumſpicere; quin eruditæ lucis, quâ divinitus illuſtrantur, radios in proximorum emolumenta derivent. *Scientia diſtributa ſuſcipit incrementum, & avarum dedignatur poſſeſſorem*: NISI PUBLICETUR, ELABITUR. Quapropter ille, cúmq; illo & ego, concludimus neceſſarium prorſus eſſe, ut in Hæreſibus coarguendis, explicandis litteris ſacris, erudienda juventute,

Eccl. 41.

Epiſt. 1. To. 13. 129.

ter-

terrendis peccantibus, ſacris Inſtitutis confirmandis, omnes corporis animíq; noſtri vires expromamus, nisì lugere velimus in Societatis noſtræ terreſtri Paradiſo copioſum illum fontem exaruiſſe, qui quatuor in orbis partes diffuſus, influente Numinis largitate, omnes toto orbe Provincias Doctrinæ vitǽq; ſanctitate irrigavit. Quòd ſi autem vel minimùm, hic alios juvandi ardor intepeſceret, continuò Hæredibus orbaremur, qui à Bellarminis, Clavijs, Patavijs, Maldonatis, Salianis, Pinedis, Leſſijs, Vaſquijs, Suarijs, & toto illo prolixo Catalogo doctiſſimorum Virorum, quos primo Societatis noſtræ Seculo nobis anteceſſores dare Deo viſum eſt, traditam ſapientiæ lampadem acciperent. *Noli ergo claudere rivos doctrinæ tuæ, ſed juxta Salomonem deriventur fontes tui foras, & aquas tuas in plateis divide.* Exercitationem atque uſum poſtulant ſapientiæ theſauri, nè cum noſtro ipſorum damno illius venam nobis obſtruamus.

34. In qua exercitatione non acquieſco,

ſco, ſi noſtræ Societatis Sacerdotes illos duntaxat excolant, inter quos verſantur, nisì tantam quoquè zeli vim exſerant, ut abſentes quoq; ſolâ nominis ſui famâ cohibeant à lapſu, & in ritè factis confirment. Si quis enim Evangelicâ prædicatione Auditoribus tantùm ſuis proſit, non eſt is Chriſti Apoſtolus, nec dignus Ignatio Alumnus. Narrentur oportet ab Auditoribus noſtris axiomata, quæ de Cathedris noſtris audierũt, eáq; paſſim per cõpita & in unaquaq; Urbis domo recitentur: ſitq; expoſitum à nobis Evangelium tanquam divinum quoddã fermentum, qvod totam maſſam condiat Emporiorum Chriſtianorum; ut adeò Doctrina noſtra non minùs ab aliis relata, quàm audita ex nobis, animam animabus inſpiret. Ità profectò contigit ad Niniven, in cujus foro concionatus Jonas tanto impetu ac ſpiritu dixit, ut continuò, quas intentaverat, minæ in regia narratæ thronum cinere, Regem ſacco obruerint. Clamavit & dixit. *Ninive ſubvertetur.* ET Joann. 3.

PERVENIT VERBUM AD REGEM *Ninive.* Non quidem Jonas, inquit Rupertus, in Regiam penetraverat, sed ejus verba illic narrata Regnantis Principis manibus sceptrum, & capiti diadema excusserunt. *Pervenit verbum ad Regem Ninive. Non dixit* ET PERVENIT JONAS, *sed pervenit verbum ad Regem.*

Lib. 2. in c. 3. Ion. To. 71. 179.

Neq; Paradoxum videatur, quòd ego à successoribus Apostolorum id exigam, quod Apostolus à Neophytis Thessalonicensibus impetravit. En vobis verba, quibus abrogare fidem impium sit. *A vobis enim* PERTONUIT VERBUM *Domini* (sic enim S. Chrysostomus legit) *Non solùm in Macedonia, & in Achaia, sed in omni loco Fides vestra, quæ est ad Deum,* PROFECTA EST. Eum in modum, ait Os aureum, quo moschus aut electrum non tantùm vasi, quo asservantur, odorem suum impertiunt, sed odoriferos halitus totis regiarum ædium porticibus diffundunt, imò fragrantiæ suæ delicias etiam foras proferunt: sic doctrina, pietásque verorum

1. Thess. 1. 8.

Dei

Dei servorum dedignatur proximos solùm, ac familiares illuminare, nisi procul etiam degentibus emendatioris vitæ semina & Charitatis igniculos transmittat. *Quemadmodū unguentum odoriferum fragrantiam suam in se ipso* NON DETINET, *sed protinus* EAM EMITTIT: *ità* PRÆCLARI VIRI *famâ suâ multos juvant, & meliores reddunt.*

Hom. 2. in Ep. 1. ad Thes. Tom. 5. p.

Sanè ipsos quoq; Catechumenos Idololatris, quibus cum versabantur, salutarem impietatis suæ pœnitentiam injecisse, & Christianis Alpes ultra, & trans maria colentibus animos ad Martyrii palmam fortitudinis suæ famâ constat addidisse. *Doctrinâ itaque & Eruditione vicinos quidem omnes replevistis*: ADMIRATIONE VERO IPSUM ORBEM. Num igitur de Religiosis jam olim in Domo Dei versantibus, tôtque annorū spatio in sanctitatis schola eruditis non dicetur id, quod Apostol' litteris consignare potuit de illis, qui ab Idolorum cultu ad veri Dei agnitionem nuper admodum transierunt? Equi-

dem mortalium miserrimi essemus, si qui nati in Ecclesiæ gremio, in Societatis divinis planè legibus constitutæ, tam à sapientia celebratæ, tam sanctis hominibus illustratæ, refertæque adeò viris omni virtute spectatissimis, sinu educati sumus, iis loco ac palmâ cederemus, qui ortu Idololatræ, & vix dum à lustralibus Baptismi aquis sicci, nobilitârunt patriã, & Mundum illustrârunt clarissimis exẽplis egregiæ pietatis, & fortitudinis in morte expeditæ? foret autẽ ille, plùs quã credi posset, longè miserior, non miserabilis quidem, aut miseratione dign⁹; qui in tanta frequentia laboriosissimorũ Operariorũ Evangelicas Lampades quaquaversum circumferentium, sive cùm Gentibus salutis præcepta divulgant, sive cùm Cæli perduellium corda conterunt, non ardentem facẽ, sed vel fuliginosum titionẽ non nisi vanissimo ambitionis, & excellentiæ propriæ fumo gravem, aut cassam arundinem, quam semper ex ancipiti stolidóque humanarum promissionum eventu pendentem omnis

omnis auræ afflat⁹ agitat, manu præferret, aut caducum florem desidis vitæ, contentæ virenti gramine studiorum curiosorum, nec emicantis ad illuminandas tot regiones, populósq; qui Dæmonū irretiti vinculis in tenebris sedent mortiferæ cæcitatis. Atq; ille profectò à scopo nostro nobis præfixo toto cælo aberraret; nec unquam id Deus faxit, ut inter Asseclas Francisci, & Ignatii Alūnos vivat, qui nō sustulerit ardentē Zelo facem, quam nulla ærumnarum, nulla adversitatum, immensa licèt, æquora extingvant. Id nimirum animum meum gaudio perfundit, quòd datum à Christo consilium, ipso expressum opere ab unoquoq; vestrûm aspiciam: *Et Lucernæ ardentes in manibus vestris.*



EXHORTATIO IV.

In Pervigilio S. IGNATII.

Sint lumbi veſtri præcincti & Lucernæ ardentes in manibus veſtris. *Luc. 12.*

ZElus animarum à ſui affligendi ſtudio ſeiunctus, aut nihil omnino agit, aut qvamvis agat, parùm proficit. Quare Chriſtus Apoſtolis primò Cingulum, dein' Lucernas commendavit, idque non verbis modò, ſed etiam factis: cùm differret quietem, ſubiret incommoda, periculis occurreret, ita duntaxat ut quàm pluri mis ſalutē afferret. Paulus quoq; Apoſtolus Dominum ac Magiſtrum ſuum ſeqvutus, propria ſemper incommoda alienæ ſalutis procurationi coniunxit, eò ſe

eò ſe potiſſimùm convertens, ubi res erat plurimis ærumnis, atque periculis expoſita. Idem primi noſtri PP. præſtitêre, avidiſſimi non pœnarum minùs, quàm animarum. Hoc ipſum pariter agunt Miſſionarii noſtri, cùm in utriſq; Indiis, tum etiam in Europa. Hoc & ipſi faciamus Pauli ſcilicet Diſcipuli, Ignatii Filii, Fratres illorum, qui tanta tulerunt, ferúntque etiamnum, ut peccatores ad ſanctitatem Vitæ, & Barbaros ad Fidei veritatem adducant.

35. VErbis hiſce numero quidem paucis, ſed Myſteriorum plenis, omnia Inſtituti noſtri, & cujuslibet alterius à noſtro non abhorrentis volumina, veluti compendio, cõtinentur. Sacrorum quippe Cœtuum, qui propriæ vitæ ſanctitate non conten-

ti, ad procurandam insuper alienam incumbunt, universa demum Perfectio in eo versatur, ut ardentibus Lucernis instruantur manus, & animus pariter ac corpus arctis veluti nodis adstringantur: quod ipsum scilicet hodierno in Evangelio Christus commendavit, geminas ejus, qui Apostolicum munus profiteatur partes esse dictitans, studium ardentissimum animarum, & implacabile bellum cum naturæ cupiditatibus susceptum. *Sint Lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Et sanè duo hæc sibi adeò mutuo nexu illigantur, faces nimirum Apostolicæ, & sacra Cingula, ut, si quando ista laxari vel dissolvi contingat, illas continuò extingui, aërêmque, quē cælesti luce irradiare debuerant, graveolenti fumo replere necesse sit. Flamma quippe, splendórq; harum Lucernarum pendet ferè ab asperitate zonarum, quæ sicut à Christo primo loco laudatæ sunt, ità radios quoque lampadum antevertunt: cùm nequeant istæ nostris in manibus fulgere, nisi lumbos

bos illæ noſtros conſtrinxerint: neque ulla ſit vel induſtria, vel doctrina ad permovendos animos ſatìs efficax, nisì cupiditatum victoria, fugáque commodorum, & vigorẽ nobis adjiciat, & addat auctoritatem. Hæc igitur cauſa eſt, quòd Seruator noſter de comprimendis nos priùs cupiditatibus admonitos voluerit, antequam radios juberet diffundere. Primùm enim inculcavit, *Sint Lumbi veſtri præcincti:* ac deinceps ſubjunxit: *Et Lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Neque alia S. Ignatii Fundatoris noſtri ratio fuit: dum, quos huic atq; alteri Orbi convertendo deſtinavit, eos ex alieno nutu pendẽtes, & ad omnia peræquè paratos, nec modò rebus omnibus, ſed & cupiditatibus vacuos, planéq; dominos ac debellatores à ſe optari ſuis in Cõſtitutionib⁹ ſignificavit; ità nimirũ ut locis omnib⁹, & omnib⁹ horis inextinctâ quâdam afflictationis propriæ ſiti arderemus, & ejus quidem tantæ, quantam omnino nobis ſuggerere odium noſtri, & vitæ hujus exilium ſuppeditare poſſit.

Voluit nos à patria, à necessariis, à magistratibus, atq; honoribus etiam sacris remotos, verbo à rebus omnibus, quæ vel animum gloriâ, vel voluptate corpora possent afficere. Ac quidquid nobis præscribit, ut in Præcones Evangelii, atq; in Apostolos effingeret, non segniùs ipse præstitit, priusquam in aciem prodiret, & æternam mortalibus gloriam suppliciáq; nunciaret. Eum namq; in finem se in speluncam abdidit Manresæ, ubi sacco malè tectus, ferreis catenis cinctus, detecto capite, nudis pedibus, lacrymis perfusus & sanguine, noctes ardentissimis precibus junxit, plures continuos dies sinè cibo potúq; transegit, neq; alio subinde levamento, quàm aquæ haustu, ejúsque dimensæ, modicóque pane inediam solvit. Indè post annum tot inter ærumnas exactum prodiens in apertum, famularem operam Nosocomiis impendit, pernoctavítq; in plateis; maledicta & verbera ab effræni turba pertulit, nautico pane, corrogatísq; mēdicatò leguminibus vitam toleravit, mare sinè

finè Viatici præsidio transmisit, nudis plantis, ac quovis mendicabulo egentior lustravit Palæstinam, Alpes scipione nixus superavit, neq; aliâ supellectile instructus ad iter, quàm cucurbitulâ, quâ frigidam hauriret. Hic idem per hyemis algores concreto in glaciem stagno se collo tenus immersit, ut exortam in malè sani juvenis pectore libidinis flammam restingueret. Rursum exposuit se se virgis Academicorum, strictis cupidorum hominum pugionibus, Diris atq; maledictis eorum, quos vel arguerat, vel confutârat, furiis demùm hæreticorum, quos impugnaverat. Parùm vel nihil hactenus dixi. Eò usq; Ignatii Zelus ac tolerantia processit, Lampades simul ac Zonas socians, ut æternæ quoq; gloriæ securitati renunciare non dubitârit, versariq; diutiùs, vel cum salutis suæ periculo, inter ærumnas prolixæ hujus mortis dicam, an vitæ mortalis? optaret: dum interea daretur aut schismate ab Ecclesia abstractos, aut superstitione delusos, cum Deo in grrtiam reducere. Ad sum-

summam: omnibus omnia factus, & sibi nullus; adeò arctè tum in his, quæ ad naturæ necessitates, tum in illis, quæ ad Gratiæ decora pertinent, cinctu se illo adstrinxit, quem nobis hodie Lucas commendavit. Idcirco videmus utrumque polum non verborum modò, præceptorúmque, sed exemplorum quoquè splendoribus ab eo illustratum. Ad parendum itaq; monito huic Evangelico, imitandúmq; paternum exemplum, omnes ego hodie Ignatii Filios excitare conabor, oblatis unicuiq; Lucernis, atq; Cingulis: contendámq; adeò, verum ac proprium animarum studium illud demum fore, si ejus rei gratiâ quævis incommoda devorentur, sic ut neq; valetudini, neq; vitæ ipsi pro salute populorum parcamus. *Sint Lumbi vestri præcincti.* En! Incommoda catenata: *Et Lucernæ ardentes in manibus vestris.* En Zelum! qui illuminet, atq; accendat.

36. Atq; iste quidem Zelus adeò proprius est ejus, qui humani generis Servatorem propiùs sequitur, ut dici, haberi-

beríq; ejus Diſcipulus haud quaquam poſſit, niſi qui deſideriis animarum peccati vinculis exſolvendarum, & revocandarum ad Crucis vexilla Gentium metam nullam, modúmq; poſuerit. Id ſanè Paulo Apoſtolo à primo uſq; Converſionis ſuæ tempore ſolemne ſemper fuit, immensâ ſcilicet cupiditate flagranti, quò non pauciores Eccleſiæ adjungeret, quàm ejus antea inimicus, quà falſæ doctrinæ toxico, quà intẽtati ſupplicii metu abſtraxiſſet. ET CONTINUO *in Synagogis prædicabat* JESUM, *quoniam hic eſt Filius Dei.* *Act. 9. 20.* Atq; in hoc opere ſic animum ardens Neophytus fixerat, ut non aliud dies noctẽſq; ageret, cogitarétve, quàm ut Crucifixi gloriam latiſſimè proferret, ac Propheticis luminibus plurimas Orbis provincias impleret, quas lethales antè dominantium errorum tenebræ oppreſſerant. Interea tamen dum fluvios hujus rei cauſſâ tranaret, ſulcaret maria, Caucaſos ſuperaret, vaſtas ſolitudines peragraret, exciperétq; alibi ſaxorũ in ſe ruentiũ grandinẽ, alibi

virgas pateretur & compedes, nullum devitans periculum, quò Evangelio, cujus se Præconem meminerat, & reverentiam conciliaret, & populos subjiceret; nescio quî factum sit: ut abjectissimo subinde metu dejiceretur adeò, ut nisi, Spiritu Sancto dictante, sacris id Annalibus consignatum esset, vel Poëtæ alicujus figmentum, vel invidentium calumniam facilè censeremus. Primùm enim, nè Judæorum potestati traderetur, supplex Tribunis accidit, & Custodes suos infimis precibus obsecrare sustinuit. Tum sportâ conclusus è Damasci mœnibus se demisit, tantâ cum Apostolicæ constantiæ injuriâ, ut in hanc usque diem omnes, qui ad eam fugam advertunt animum, tam ignavus timor haud mediocriter offendat. Demum ut Proconsulis secures à cervicibus suis averteret, ad Romanum Tribunal provocavit, & causæ suæ judicem Neronem legit, illud regnantium probrum, Hydram illam omnibus è flagitiis conflatam. Quam ob rem Joannes Chryso-

stomus: *Qui cælum despiciebat* (inquit) *ac Angelos, quo tandem pacto hæc præsentia diligebat? Igitur cujus rei gratiâ ista faciebat?* En tibi tam abstrusi Ænigmatis Oedipum! effugiebat Paulus mortē, eò quòd sibi vitam relicturus videretur nimiùm paucis ad eam diem Nationibus subjugatis. Me miserum! (exclamabat generosus & sitiens Animarum bellator) tot à Christo redemptæ sunt Gentes, quotquot & ante ejus mortem fuerunt, & ad Mundi usq; finem futuræ sunt ubiq; terrarum. Ego verò ejusdem Apostolus de vita discedam tam paucis adhuc populis Christo submissis? non sinam, non committam, ut tam paucis laureis coronatus ad Superos transeam. Quin ergo me sportâ clauditis, atque è Damasci muro ad fugam dimittitis? Excubias pecuniâ corrumpite, precibus Centuriones conciliate: appellemus ad Cæsarem. Sit licèt Nero, qui Romæ dominatur, illum ego judicem postulo, tantùm ut vitam protraham, plurésque mihi liceat Christianis signis succentu-

Hom. 7. de laud. Pauli To. 3.7.181.

ria-

riare Professores Fidei,& Sectatores virtutis: *Cujus rei gratiâ ista faciebat? Procul dubio, ùt diutiùs* PRÆDICATIONI INSISTERET: *metuebat, nè pauper* HINC, *atq; inops* MULTORUM SALUTIS *abscederet.* At enim, quo tempore Cæsaris sceptrum Judicio interponebat, jam Arabiam converterat, Palæstinam erroris convicerat, Syriam oratione perculerat, sacraverat Asiam, Macedoniam illustrârat, erudiêrat Peloponesum, Illyrios percurrerat, Ægei maris Insulas prodigiis suis obstupefecerat, Cypri & Cretæ Regna optimis Præsulibus firmaverat, & (si antiquis Hispaniensium Ecclesiarum Traditionib⁹ credimus) tot illa Regna & exercitas bellis Gentes Christianæ mansuetudinis jugo subjecerat; eum deniq; se præstiterat, ut licuerit Ecclesiæ divinas inter laudes illud decantare, quòd universum Mundum Pauli Apostoli prædicatione docuerit. Jam verò, quî fieri potest, ut qui hæc audit, hæc legit, vergente licèt in senium ætate, breviq; adeò migraturus,

par-

partem ullam quietis capere poſſit, nec exardeſcat, cùm & in Societate Apoſtolorum ſocia vivat,& fortè ad hunc diem, nè tot quidem animas ad vitæ ſanctitatem adduxerit, quot Paulus Regna, quando nondum audebat è vita excededere, nè in conſpectum populis à cultu ſaxorum ad SS. Triados adorationem induſtriâ ſuâ traductis incomitatus veniret? *Metuebat nè* PAUPER HINC *atque inops multorum ſalutis abſcederet.* Vel dimidiam Orbis terrarum partem erudiſſe veris Apoſtolis parum videtur; & erit aliquis Apoſtolici muneris Vir abundè ſecum contentus, mortémq; intrepidus oppetet, qui nec infrequentem deſerto in littore pagum inter Zeli ſui trophæa numerare poſſit? Quòd ſi ità eſſemus animo comparati, fatendum profectò foret, vel non ſatis nos agnoſcere, quantum Deo debeamus, vel Apoſtolicorum operum dignitatem non ſatis æſtimare. Zelus itaque, zeli nomine indignus eſt, niſi laboribus, ſplendoribúſq; ſuis à ſexcentis urbibus, ab innu-

meris populis, ac universo propè hominum genere tenebras errorum dispellere contendat. *Metuebat nè pauper hinc, atque inops multorum salutis abscederet.* Ille nimirum, quem stipabant Ephesii, circundabant Corinthii, Philippenses, Galatæ, tot deniq; Christianorum Ecclesiæ, quæ ab ipso edoctæ cervices suas Evangelicis Legibus submisêre. Proh! Istæ demum faces sunt ardentes, atq; lucentes; Optare nimirum, procuraréq; pro viribus, ut Christi jugo subdantur, quotquot omnino mortales cælo teguntur.

37. Neq; tamen his facibus contentus fuit Pauli ardor, nisì majorem illis adjungeret à zona splendorem, quâ sese ad id opus accinxit. Erudire nimirũ ac Cœli regno adiicere Urbes cupiebat, sed eas præ cæteris, ubi nũquã adhuc veri Numinis nomẽ sonuisset: concionari populis; sed illis potissimùm, quib⁹ nullus dũ apex Legis Novæ fuisset expositus. Auditores quærebat publicandis fidei capitibus planè novos, quibus nulli etiamnum alii

pro-

priores Evangelistæ ruditatem detraxissent: quò nempe fieret, ut dum illi tantæ rerum vocúmque novitati repugnarent, quippe quas hactenus nè auditu quidem percepissent; tantæ præterea difficultati præceptorum, quam nullus adhuc usus mitigâsset; consiliis demum usq; adeò arduis, quæq; ab humanis affectionibus plurimùm abhorrerent, & cretam istam, quâ tegimur, imò constamus, mirùm quantùm superarent; ipse in se prudentum hujus seculi convitia provocaret, & omnes profanorũ hominum iras in caput suum averteret; unúsque adeò gemeret inter vincula, & verbera furentium Barbarorum. Testatur hoc ille in Epistola ad Romanos, ubi ait cupere se quidem Christi Colonum esse, verùm inter horrida, & densis impedita vepribus memora, non autem in viridariis multo flore ridentibus, & copioso melle stillantibus. *Certans Evangelizare*, UBI NON EST NOMINATUS CHRISTUS. Ad quas voces attonitus denuo exclamabat Chrysostomus. *Vides*,

C. 15.

Homil. 19. *in c.* 11. *ad Rom.* To. 42. 182.

des illuc accurrentem, UBI PLUS ERAT LABORIS, *ubi plus erat sudoris.*
Tam rigidæ virtutis æmulum nullo modo se præstaret, qui satis haberet, levia piarum quarundam animarum errata pro Sacro Tribunali remittere, vel majusculas etiam noxas Virorum nobilium, & Indicos circùm odores spargentium Matronarum; nihil porrò pensi habens cursitare per pagos, expiare triremes, xenodochia lustrare, solari captivos, moribundis præstò esse, animare ad subeundum fortiter supplicium eos, qui ob admissa flagitia, vel resti ad infamem trabem, vel securi ad feralem truncum occumbunt. Pauli comes non est, nec Alumnus Ignatii, quisquis sibi non proponit abdita inter Alpes, ac propè sepulta castella, urbes trans mare sitas, orbe toto remota regna, adversos pedibus nostris populos, & qui montes accolunt, vel vicino polo algêtes, vel ferventis Plagæ ardoribus fumantes. *Certans evangelizare, ubi non est nominatus Christus.* Igitur Apostolica sapientia non captat thea-

theatra, quæ verborum acuminibus festivo plausu respondeant: quin Lybiæ potiùs arenas,& Scythiæ scopulos pervestigat,ubi expertes humanitatis Mauri,& latentes sub ursorum exuviis Barbari excipiant cum risu Miracula Evangelii, & argumentorum nostrorum aculeos hastarum acie retundant, findántq; securibus. Haud paulò amplius, mihi crede, requiritur, ut Apostoli Nomen promerearis, quàm ut in copiosis urbibus de marmorea Exedra,& auratis strata tapetibus unius aut dimidiæ horæ spatio, ídq; ter, quatérq; per mensem declamitentur periodi vanissimâ curâ dimensæ, atque à Poëtis emendicatæ fabulæ, descriptionésque pingentium penicillis, quàm scribentium stylo aptiores: id quod à nonnullis, tametsi rarissimis, fieri, vanis in dicendo, ínque agendo remissis, nisi blandiri nobis volumus, fateamur necesse est. Prodire itaque in arenam ac Solem oportet, pressâ pedibus mercedis omnis spe, cultu egestatem, lumbis cilicium, sanctos Codices mani-
 bus,

bus, ardorem oculis, ore æternitatem, genis lacrymas, membris pallorem, moribus sanctitatem, totis denique medullis Auram, Radios, flammam Sancti Spiritûs præferentes, suadere castimoniam, ringente lasciviâ: Eleemosynas, repugnante necquicquam Avaritiâ, promovere: Modestiam, ipsius ante oculos Ambitionis, extollere: & utcunque obstrepat Hæresis avida rapinarum, & infensa Sacramentis; fremátq; falsis addicta Numinibus, & cruoris appetens Superstitio; palàm amplificare Christi gloriam, sive panis in speciem sese conformantis, sive nostram induentis humanitatem, ut suâ nos divinitate vestiret. *Certans evangelizare*, UBI NON EST NOMINATUS CHRISTUS. Hos enimverò, hos oculis designat Paulus, quibus inter omnes omnium gentium populos minima cæli cura, præcipuúmque terræ studium, quive omnium maximè Petri Claves abominantur, & Sacerdotii characterem execrantur: in his versantur ejus curæ, in his labores insu-

mit

mit omnes, qui duriſſimorum marmorum inſtar reſiſtunt ſcalpro Monitorum, imò qui non ſolùm hebetent armorum aciem, ſed manus quoquè Artificum lædant, deforméntque illum vulneribus, quiſquis ipſos efformare in Abrahæ Filios, & cæleſti aptare Fabricæ allaborat.

38. Nè verò quis exiſtimaret, hæc tam grandia, támque ardua intra ideam conſtitiſſe, quàm Perſecutoris recèns converſi dolor, & primus Neophyti fervor ſibi deſcripſerit, quin ſubinde lineamentis iſtis, inflammato, ùt fieri ſolet, animo ductis pares ab Apoſtolicis operibus, zelo & aſperitate vitæ confirmatis colores acceſſerint, luculentos hujus rei teſtes habemus in Actis Apoſtolicis, quotquot eâ tempeſtate Lyſtræ habitârunt. Cùm enim Judæi tam copioſo eorum numero, quos novus Gentium Magiſter Chriſtianis partibus adjunxerat, vehementiſſimè offenderentur, Auctores fuêre Lyſtrenſibus, ut illum urbe pellerent veluti perduellem in patrias Leges, & novorum Numinum invento-

rem, quæ neq; cognita hactenus, neque omnino probabilia essent. Itaq; horum susurris commotum vulgus, factóq; impetu, lapides in Paulum rapuêre, ac saucium, atq; seminecem ad mœnium fossas traxerunt. *Persvasis turbis, lapidantes Paulum traxerunt extra Civitatem, æstimantes eum mortuum esse.* Dilapsâ subinde plebe, Paulus ad se reversus, ùt erat plagis fædum in modum affectus, regredi continuò Lystram paravit. Itáne verò tu illam urbem repetas, quam & Judæi habitant, jurati tuorum dogmatum hostes; & Asiatici colũt, à quib⁹ inflicta modò ibì vulnera nec dum in cicatricem coierunt? id scilicet est, quod quæro, inquit Paulus. Hos ego populos arctiùs complector, qui me maximè oderunt: Illas urbes in Academiam deligo novæ hujus Philosophiæ, in quibus meo mihi sanguine stat oratio, nec plures Auditores, quàm lictores nanciscitur. Ac quamvìs Paulus tunc quidem se Derben reciperet, mox tamen ad pristinam stationem regressus est. Impatiens ab

Act. 14. 13.

ea

ea gente se divelli, quæ si non mortuum, pro mortuo tamen illum, ac pæne sepultum sub injectorum lapidum acervo destituerat. *Ecce lapidibus obruitur*, inquit Gregorius. *Nec tamen à Veritatis sermone removetur.* Ac deinceps S. Pontifex non vividis magis, quàm gravibus Antithetis tanti Viri prodigia exponit: membris omnibus saucij, neq; tamen pallidi, saxorum turbine perculsi, sed inconcussi; sibíq; vel in deliquio præsentis intérq; ludibria, injurias, mortes usq; illæsi. Admiratur in Apostolo novas ex infirmitate vires collectas, & majori è vulneribus sono tonantes voces, robúrq; ab ipsis laboribus collectum. *O quàm fortis huic viro inest* INFIRMITAS! *O quàm victrix pœna! O quàm dominatrix Patientia! ad arguendum* REPULSIONE PROVOCATUR, *ad prædicandum* PLAGIS ERIGITUR, *ad propellendam laboris lassitudinem* PŒNA REFOVETUR. *Quæ ergo hunc adversitas superet;* QVEM PŒNA FOVET? I nunc, & Ideas tantùm dic fuisse Tyro-

Lib. 31. Moral. c. 15. To. 37. 513.

nis tum fortè primis fletibus indulgentis, quòd ad abolendas injurias, quas Ecclesiæ priùs intulerat, vel inter adversantium tela cuperet prædicare Christum, cujus scilicet sanguine ruberent etiamnum Clavi, teperétque Calvariæ clivus. En! illuc revertitur, ubi eum paulò antè hostium immanitas humo afflictum exanimem reliquerat. *Cúmque evangelizâssent, & docuissent multos,* REVERSI SUNT LYSTRAM, *confirmantes animos Discipulorum.* Quis porrò frigidos illos (sunt autem in magno ferventium numero pauculi) Apostolico zelo præditos esse dicat, qui ad omnem vel levissimam injuriā expallescunt, & ad quamlibet jacturam despondent animos, studiúmque alienæ salutis abjiciunt? Proh quantum dedecus! si currentibus illuc Apostolis, ubi in eos vulgus fremit, furit Nobilitas, fulminant Magistratus: zelus nos omnis deficiat, si quando nos populi, quibus erudiendis operam navamus, vel non colunt beneficiis, vel laudibus in cælum non ferunt! Hoc enimverò esset

Act. 14. 20.

ſet Zonas à Lucernis ſejungere, vel potiùs abjicere utraſque, quas tamen Servator noſter in Sectatoribus ſuis eſſe voluit inſolubili nexu colligatas. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Ah! *quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet*: cùm præſertim Chriſtus id non præceperit modò, verùm ipſe quoquè præſtiterit; cùm per labores continuos, per aſperrimas difficultates, per ærumnas omnis ſolatii expertes hominum ſaluti conſultum iret, & Evangelium promulgaret.

39. Sanè Dei Filius, (ùt notat Tertullianus) ab eo uſq; tempore, quò ſe palàm ad erudiendam Synagogam, & novam Legem publicandam contulit, tam invictæ adverſùs res quaſq; aſperas patientiæ ſeſe præbuit, ut pro ſalute Animarum nulla unquam incommoda recuſaret; non itinera quamvìs longinqua, non victûs egeſtatem, non Scribarum inſultus, aut invidiam Phariſæorum, non criminationes lapidéſve Pontificum: ſemper & ubiq; promptus ad ferendum miſe-

miſeris auxilium, nihilq; devitans, dum aliis prodeſſet, ſive faſtidiorum, ſive vigiliarum, ac nè quietis quidem maximè neceſſariæ crebras, moleſtáſq; interpellationes. *Cùm de Domino ſit Magiſter,* PATIENTIA ERUDITUS, *non contendit, non reclamavit. Nullum volentem ſibi adhærere non ſuſcepit, nullius menſam tectúmve deſpexit.* INGRATOS CURAVIT, *Inſidiatoribus ceſſit, non peccatores, non Publicanos averſatus eſt.* Id verò patuit apertiſſimè, cùm fortè ad ſolemnes epulas à Simone invitatum eò loci Magdalena occupavit: Femina per id tempus, utì clara natalibus, ſic amoribus famoſa. Hæc, ùt Auguſtinus advertit, nec vocata, nec à quoquam introducta epulanté Magiſtrum confidenter adiit, & ingerens ſeſe intempeſtivè convivio de peccatorum ſuorum venia interpellavit. Quid aliud tum expectarent omnes, quàm ut tantus Hoſpes importunam, atque impudentem mulierem durioribus verbis repelleret? Deeſſe videlicet Synagogis & Templis Atria, ubi ad Cle-

Lib. de Patient. To. 58. 279.

Clementiam ſuam poſſet confugere, niſì etiam in Magnatum ædibus, atq; ipſo refectionis tempore ſibi negotium faceſſeret? nunquid non in Salomonis porticu, in Olivarum ac Thaboris monte, ſui copiam iis ſe facere, qui de morũ emẽdatione loquentẽ audire velint, & in plateis quoq; operiri, qui vel admiſſorum indulgentiam, vel reſponſum dubijs in rebus expeterent? Cur igitur ſibi occurſaret tam alieno tempore ac loco, nihil hoſpitum injuriam verita, nihil accumbentis incommodum, quando ſcilicet corpori vectigal illud perſolveret, quod viventibus omnibus à natura impoſitum ſit, quódq; ſibi præ ceteris debeatur, poſt tot ac tantos labores pro ſalute communi exantlatos? At nihil horum ille vel dixit, vel cogitavit: ſed eo etiam loco ac tempore, planctibus importuno, lacrymantem mulierem excepit, ac blandè conſolatus, adhortatúſq; abſolvit, non alio planè modo, quàm ſi ad ſe hymnis vacantem, vel Sacrificiis intentum acceſſiſſet. Sed parum hoc eſt præ illo, quod

quod allaturus ſum. Nam qui Matronæ hujus gratiâ convivium interrupit, idem aliàs vilis atq; infamis mulierculæ cauſsâ refectionem omnem, quamvìs præterlapſa jam fuiſſet prandii hora, recuſavit. Cùm enim ad oppidum Sichar feſſus admodum, & ſiti confectus, à Diſcipulis, ut cibum ſumeret, moneretur, indignabundo ſimilis rejecit amantiſſimas ſuorum de ſe curas ac preces. De Anima, inquiebat, ad frugem reducenda nunc agitur; & vos mihi cibum objicitis? & curare corpus jubetis? ego verò non hunc modò, ſed alios denuo quadraginta dies, totidémq; noctes impaſtus velim producere, dum id unum efficiam, ut errores ſuos deteſtetur, quæ mihi hauſtum frigidæ, quam ut ab ea peterem, neceſſitate compulſus ſum, paulò antè negare ſuſtinuit. *Interea rogabant eum Diſcipuli, dicentes. Rabbi, manduca. Ille autem dicit eis: Ego alium cibum habeo, quem vos neſcitis.* Quam ob rem S. Ambroſius palàm omnibus edicit, qui delicias Chriſto parare vellent, non id facerent

Ioan. 4.30.

rent advectis à Phaside prædis, aut felicis Campaniæ fructibus, sed oblatis potiùs animabus, quæ vitæ prioris maculis fletu deletis ad meliorem aspirent. *Cibus enim Christi est* REDEMPTIO POPULORUM. Ad eundem modum, acceptis de Lazaro graviter ægrotante nunciis, reditum suis in Judæam indixit; *Eamus in Judæam iterum.* Cúmq;illi ad hæc attoniti ponerent ob oculos, quibus insidiis ejus vitam Sodaliúmq; suorú tot illic conjurati hostes appeterent: *Rabbi, nunc quærebant Judæi te lapidare; & iterum vadis illuc?* vos, contrà reposuit Christus, prorsus ignorare videmini, quid rei demum sit animas salvas cupere. Ardor hic inter spinas efflorescit, quiescit inter labores, inter dolores exultat, gaudet periculis, damnis triumphat, à morte vigorem capit & vitam. Nemo igitur vestrûm speret, posse me à cœpto itinere, objectis, qui me maneant, lapidibus, dimoveri: Nam quemadmodum vobis Faces simul ac Zonas commendo, sic etiam ardens præcordiis meis Zelus quie-

Serm. 36. To 10. 157.

Ioan. 11. 8.

quietem odit, & tuta, planáq; dedigna-tur: amat verò, ac ſtudioſè veſtigat, non ærumnas duntaxat, verùm etiam Carni-ficinas. Habeo Bethaniæ fletus de me bene meritis abſtergere, habeo & alios hactenus adverſatos monitis meis mihi conciliare, & patiar fortè, tantæ ſpem meſſis intercipi præteritarum me-moriâ tempeſtatum? Conjurent in nos ùt libet, Archiſynagogi, quotquot omni-no per Judæam meum nomen execran-tur, & arma in perniciem noſtram uni-verſi corripiant, qui miniſtrant Templo, ac Pontificibus adulantur. Ruant in hoc caput non jam grandines, ſed gran-dia ſaxa, & totæ de montibus rupes: nunquam ego illuc non feſtinare con-tendam, ubi ſpes affulget obduratos ali-quos emolliendi, ac peccatores emen-dandi. *Eamus in Judæam iterum*: Et, ſi modò mihi dent manus, præceptíſque ſeſe meis accommodent, qui ſpectatores patratis à me prodigiis intercrunt, feram libenter omnes de torrente Cedronis ſilices, vel ereptâ Davidi fundâ, vel Semei cujuſdam manibus in me conjici.

40. At-

40. Atque iſta Chriſti ad Apoſtolos monita dictis, factiſq; comprobet unusquiſq; noſtrûm neceſſe eſt, nisi velit de Albo eorũ, quos ille vineæ ſuæ cultores dedit, immortali cum dedecore ſuum nomen expungi. *Eum ſiquidem* (ùt apertè pronuntiat Chryſoſtomus) *qui iſtud ſuſcipit officium*, *non* OPORTET MOLLEM ESSE. Nisi ergo prompti ſumus ad quævis incommoda, difficultates quaſvis, quin & tormenta & extrema quæq; ſupplicia ſubeũda; jam mun⁹, qvod olim ſuſceperamus, turpiter deſerimus, atqve illis nimirum Apoſtolicas partes, & palmas tranſcribimus, qui nullo quietis amore tanguntur, & quibus animorum atq; fiduciæ ſatis eſt, ut læto vultu fortiq; pectore diſtrictos in ſe gladios excipiant, & vel in mediis flammis feſto cantu Pſalmos, Hymnóſve pangant. Unde porrò Chryſoſtomus, *neq; ſaltèm*, ait, *attingere qvidqvam debet præclari muneris*, *nisi paratus ſit millies animum ſuum tradere in mortem atq; diſcrimina*. Quiſquis de horum numero non

Hom. 6. de S. Paulo. To. 3. 7. 178

erit, is pro animarum quæſtu, quas traducere ad Chriſtum debuerat, jacturam potiùs faciet, reddétq; à Chriſto alienas. Nã profectò, ſi quis de Societate noſtra Sacerdos, laborum fugitans, averſóq à moleſtiis animo conſpiceretur, cùm ejus operâ ſublevandi forent, qui jacent; confirmandi, qui nutant; exterrendi, qui peccant : Deo reconciliandi, qui ſeceſſionem ab eo fecerunt: in eam facilè homines opinionem adducerentur, ut perexigui momenti eſſe crederent æternitatem, quam prædicamus; quando ſcilicet ii ipſi, quibus cæterorum ſalutem procurandi provincia impoſita eſt, adeò parùm ejus rei ſatagere viderentur. Quippe, ſi Beatitatis Regnum, inquient, tale omnino eſt, ac tantum, ùt à nobis pro concione deſcribitur, immenſis nempe voluptatibus affluens, & inæſtimabilibus exornatum triumphis : quòd ſi etiam tam horrenda ſũt Tartara, quàm dicendo repræſentamus; quâ ratione fieri ſubinde poteſt, ut paucarum noctium vigilias, aut paucorum dierum iter, aut pau-

paucarum etiam horarum inediam, refugiat aliquis, ut ab æternis incendiis arceat, qui temerè impiéq; sese illuc præcipites agunt? útq; suis primùm advolutos pedibus mox dimittat ad Superos æternùm cum Deo regnaturos? certè si ullus inter nos degeret tã fædæ ignaviæ, qui ut labori ac molestiæ parceret, commodare cadentibus manum gravaretur, næ illa tam grandia, quæ de sempiternis suppliciis, præmiísque à nobis circumferuntur, atq; ostentantur excogitata potiùs ad quæstum, & ad conciliandam Templis nostris frequentiam, solitudinémq; nostris ab ædibus removendam, quâm certa, & indubitatæ fidei oracula, uno vindicandorum ab interitu hominũ studio, inculcata crederentur. Etenim si, ùt verbis præferimus, ità planè sentiremus, non utiq; tam dura nobis viscera, tam immites ac inhumani cuiquam sens⁹ essent, ut quieti suæ postponeret tot animarum interitum, quas generis nostri Assertor, per acerbissimos mortis dolores, Orco abstraxerat.

Utor hâc dicendi vehementiâ, non qvòd id inter nostros homines accidat, verùm eam ob causam, ut nè vel in unum unicum id unquam cadat. Qvocirca & Chrysostom⁹, fatidico veluti tonitru, cœptam in molles ac delicatos alienæ salutis Ministros orationem sic ferè absolvit. Qui suarum vel commoditatum, vel necessitatum oblivisci, animarum causâ, nequit; is, si nihilominus immunem à noxiis vitam agere volet, in sylvas se potiùs cum Anachoretis recipiat, ac solitarios illos scopulos conscendat, in quib⁹ liceat ipsi arbitrio suo temperare diẽ, ídq; omnino agere, quod vel animi solatio, vel corporis quieti potissimùm conducat. Vir autem Apostolicus *paratus sit millies animam suam tradere in mortem, atqve discrimina: Dicit enim Dominus: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat Crucem suam. Ergo qui non tali animo est*, MULTOS SUO PERDIT EXEMPLO, *magísqve utile est, si qviescat sibíqve vacet, quàm si procedat in medium.*

41. Du-

41. Durum hoc quidem dictu, sed verissimum est; adeò quidem, ut non aliâ re magis Apostolicum nomen exornare quis possit, quàm istâ laborum, incommodorúmq; patientiâ. Omne aliud decus, quantũcunq; speciosũ atq; excellẽs sit, satis haud erit, ad veneratione atque auctoritatem apud alios nobis comparandam, si quando nõ satis præcincti, adstrictíq; Zonis, Lucernas interim populis præferamus. Quisquis proinde in Ignatii disciplinam se tradidit, ejus scilicet Viri, qui Filios suos esse voluit in expurgãdo terrarũ orbe Adiutores Apostolorũ & Collegas, lõgè aberrat à vero, si putet se alio nomine in Ecclesia, hoc est Christi vinea, cōmendandũ, quàm solo illo industrii atq; impigri Coloni. Deponamus igitur, Vos ego, PP. Reverendi, obtestor, hunc errorem, si cui fortè nostrûm ignavia tam turpiter illusisset; ut laudem is nihilominus & auctoritatem apud alios sibi promittat, quamvis à Majoribus degener, suis renunciare commodis, duráq; perferre pro communi sa-

lute detrectaret. Videor mihi rem istã in Sacris Canticis egregiè adumbratam intueri: quando scilicet Sponsa pessimis accepta modis fuit à milite; adeò, ut, detracto per vim paludamento, plagis insuper mulctata, & ore ipso vulneribus deformato, vix è manibus illorum elaberetur. *Percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi Custodes murorum.* Porrò grandis illa, & suppar Angelis Anima neutiquã his calamitatib⁹ perculsa, multò etiam, quàm antè, ardentiùs perrexit ingeminare voces, & obtestari obvios qvosq;, ùt à profanis Religionibus ad Deum se converterent, qui cælum terrámque nõ ob aliam causam è nihilo condidit, quàm ut hîc qvidem coleretur, illic verò penitus agnosceretur. *Adjuro vos Filiæ Jerusalem, si inveneritis Dilectum meum, ut nuncietis ei, quia amore langveo.* Vix hæc verba prolocutam, ingens hominum multitudo circumstetit, aures pariter & fidem ejus dictis adhibitura. Quódq; maximè mirum, ejus pulchritudinem

Cant. 5. 3.

dinem ſupra regiarum puellarum venuſtatem inſolitis planè laudibus extulêre. *Qualis eſt Dilectus tuus ex Dilecto, O pulcherrima mulierum?* Quî verò pulcherrima, ſi mundo ſuo exuta, ſi deformata vulneribus, & recenti cruore diffluens, aut tabo potiùs oblita vix ſpiritum trahit? Poterant, non nego, ejus fortitudinem, patientiam, ſanctitatem celebrare; neq; id mirum nobis accideret: cur autem à venuſtate commendent, quando maximè informis, & ſuis deſtituta ornamentis eſt, id enimverò non ſatìs aſſequor, atq; perſpicio. Adde: quòd talē eam antehac nunquam ſalutârint, cùm tamen aureas manibus armillas, & capite coronam gemmis diſtinctam, cùm plenum floribus ſinum, & Phrygio pictam opere chlamydem humeris ferret. Nunc deniq; mirantur, nunc ad cælum illam efferunt, velut oris gratiâ, & majeſtate cultûs maximè renidentem, cùm ornatûs inopia contemptum, & horrorem inſuper vulnera paritura viderētur. Nè autem imprudentibus excidiſſe id

encomiũ arbitraremur, eoſdem plauſus ad calcem ej⁹ capitis ſubinde inſtaurant, & formâ ſideribus certantem prædicant. *Quò abiit dilectus tuus, O pulcherrima mulierum? Quò declinavit? & quæremus eum tecum.* Verùm, quod hæc omnia ſuperat, ipſe quoq; cæleſtis Sponſus conſentit. Non enim ſponſam ſuam Eccleſiam tunc laudibus affecit: cùm maximè ipſi blandiretur, ac tenerrimo amoris ſenſu in eas voces prorumperet: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Neq; cùm in ej⁹ conditoria fortè introducta, quovis Sole ornatior indè prodiret; aut cùm ab omni parte odores diffunderet; ſive cùm fixis in cælum oculis ſponſum inclamaret: *ubi paſcis, ubi cubas in meridie?* tum verò venuſta demum, atque ad miraculum exculta illi viſa eſt, cùm collectâ magnâ Myrrhæ copiâ pectus implevit, cúmq; ſe colendis Engaddi vineis totam addixit, quo loco illæ querelæ audiuntur: *Portavimus pondus diei, & æſtûs. Faſciculus Myrrhæ Dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Quibus verbis

con-

continuò Sponſus plenas admirationis voces repoſuit. *Ecce tu pulchra es, Amica mea, ecce tu pulchra es.* En ornamenta illius, qui Dei magnitudinem aliis propalet, faſces nimirum amariſſimæ Myrrhæ, laborioſiſſimi operis inſtrumenta, chlamydis ac cæteri ornatûs jacturam, deniq; livorem à plagis, & à vulneribus cicatrices. *Percusſerunt me, vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi.* Hæc injuriarum, atq; damnorum colluvies fuit, quæ illas Solymæ voces expreſſit: *O pulcherrima mulierum.* Idem planè accidit, accidétq; impoſterum ſacris Familiis, quas Deus, ut ſaluti plurimorum conſulerent, inſtituit: idémq; adeò huic etiam minimæ ſuæ Societati eveniet. Obſervabitur ea ſemper, ſuſpicietúrque; non ob id tamen, quòd opes ingentes, domi quidem egens, viſendas in Templis exhibeat, ſtructis auro argentóq; Altaribus, ad populorum pietatem excitandam. Neq; etiam ob id, quòd Principum munificentiâ, noſtrorum Gymnaſiorũ moles, ſectis exornatæ la-

pidibus usq; ad nubium viciniam promoveantur; sed neq; si Bibliothecas editis à se voluminibus impleat; neque si mamillis Regum lactata, & Pontificiis pasta favis, uberes redditus, honorum gradus, Academiarum Principatum fuerit adepta. Verùm si vexetur à Politicis, laceretur ab invidis, diris exsecrationib9 devoveatur ab Atheis, probris omnibus ac maledictis configatur ab Hæreticis, ab Ethnicis compingatur in carcerẽ, ab omnibus demum, qui vel Christianum nomen, vel virtutem oderunt, variis discerpta modis, vulgi ludibrium, otiosorum in circulis fabula, Satyricorum argumentum, barbaræ immanitatis scopus evaserit. Erant primi nostri Patres docti sanè, ùt qui maximè, sed peregrinorum idiomatum rudes, numero pauci, famâ obscuri, domicilii ac victûs egentes, omnium injuriis expositi, cane pejus & angue tenebrionibus illis exosi, qui per id tempus errorum zizania Catholicæ veritatis tritico clanculum inserebant, improbis demum omnibus invisi,

visi. Et tamen hi ipsi, utcunq; obstreperent, fremeréntque Hæretici, Politici, Athei; amanter excepti fuêre à summis Pontificibus, Maximorum Regum expetiti votis, à Dominantibus quoquè Urbibus culti, ac vitæ præsidiis liberaliter instructi, à Nobilissimis Academiis certatim iuvitati, ab omnib⁹ passim per Italiam, Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, haud aliter, quàm delapsi Cælo, Angeli dicam, an Apostoli? accepti habitíqve. Mox in utrasq; Indias, quæq; ad Orientem, quæq; ad Occidentem protenduntur, ab earum Regnatoribus missi, ut vastissimas eas Regiones, nõ multò antè detectas, Christianis Sacris imbuerent: ad eúmq; finem in celeberrimis quibusq; Emporiis Instituti sui colonias constituerent. Omnes ubiq; pronas eis aures præbebant, mirabatur pro se quisque; ac nemo non illos aut in patria, aut in vicinia saltèm retinere peroptabat. Ingẽs enimverò Paradoxum! quòd terrarum Orbis eorundem hominum simul celebraret exem-
pla

pla virtutum,præceptionésque ad astra tolleret, simul Leges ac rationē vivendi pessimè traduceret, ac criminaretur. Illi nāq; ipsi, qui per cœtus adeò famæ nostræ obtrectabāt, suos nobis interim Liberos & instituendos in templis, & in scholis erudiendos committebant. Ad summā: quò magìs appetebamur linguis & calamis, nè dicam ensibus, eó ampliùs à Magnatibus, à Litteratis, à Populo colebamur. Unam omnium ad nos undique accurrentium vocem fuisse diceres: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, O pulcherrima mulierum?* Nemo igitur tam iners atq; ignavus sit, ut dicat: Ecquis porrò tot injurias, ærumnásq; ferre possit, quin curâ illorum se abdicet, quorum dentibus laniatur; ovésq; deserat conversas in Tigres? Itáne verò, quis hoc possit, ais? Potuêre innumeri de nostris per omnes orbis plagas. An non enim Alumni fuêre Ignatii Nobiles illi, strenuíq; Operarii atq; Catechistæ, qui apud Æthiopes saxis obruti, flammis absumpti apud Japones, in America sagit-

gittis confixi, laqueo enecti in Britannia? Quíve dejecti in undas, aut securibus in partes divisi, aut per summam barbariẽ vivi, spirantésq; in fossis sepulti sunt? cedo autem ex his omnibus unum, cujus in pectore vel scintillam ardoris profusus è corpore sanguis exstinxerit; ejus, inqvam, ardoris, quo ferorum adeò infensorúmq; sibi hominum salutem procurabant. Quid? annon etiã nostri sũt sodales, qui hac quoquè tempestate ab Ecclesiæ Romanæ hostibus vel in vincula conjecti, vel in exiliũ ejecti, vel plagis contusi, vel in eqvuleo suspensi, non cessant tamen Petri Principatum liberis vocibus defendere, ac transfugas ad Christi castra reducere? Nè fallamur, oro; Divini verbi Præconibus, majores ad eam rem vires, & animos addunt, accusantium clamores, & famosæ calumniantium Satyræ. Tantum abest, ut cælestium mysteriorum explanationem vel propter calumnias, vel ob irrogatas sibi molestias abrumpant.

42. Et

42. Et ùt noſtri homines id non præſtarent, præſtitit certè Jobus, & adeò quidem invicto animo præſtitit, ut vel hujus unius recordatio non poſſit non incredibili nos ardore ſuccendere ad diffundendos eò allacriùs Evangelii radios, quò minùs liberaliter accipimur, imò quò liberaliùs vapulamus. Sedebat Vir ille, in putre ſterquilinium abjectus, fædis per artus omnes vulneribus obſitus, fortunis ſuis everſus, deſertus à famulis, vexatus ab amicis, ab uxore etiam contumeliis laceſſitus, Filiorum deniq; Filiarúmque, quos una dies omnes abſtulerat, cadaveribus circumſeptus; neq; tamen in tantis calamitatibus, in tam gravi luctu, tam fœdo loco, in his totius corporis plagis unquam deſtitit de rebus divinis verba facere, & ad præſentes poſteróſq; vaticinia proferre. Neglectâ igitur ſuorum vulnerum curâ, in id totus incubuit, ut, qui eum audiebant, æterni Numinis Providentiam adorarent, ejúſque, ſævientem licèt, dexteram exoſcularentur, ſi quando probis,

ſuiq;

ſuiq; amantibus, vel immittit adverſa, vel ab aliis permittit inferri. *Totum corpus diris perfuſum ulceribus* MYSTERIA LOQVEBATUR, *nec acqvirendis propriæ remediis ægritudinis*, SED SACRIS VACABAT SERMONIBUS. Ambroſii hæ voces ſunt, quem in ſtuporem dederat miranda in eo Viro concordia fulgentium Lucernarum, & torquentium Cingulorum. Nos verò, qui ante oculos habemus Principem Virum, neq; ſacro chriſmate delibitum, neq; Dei pro ſalute hominum morientis, aut Martyrum ſaltèm exemplo ad patientiam excitatum, deſiſtemus porrò à convertendis hominibus, ſi vel ingratos experiamur, quos docuimus; vel acceſſu difficiles, quos nondum inſtituimus? Eccur autem, ut obtineam, nè noſtra nos incommoda, damnáq; moveant, quando referre oportet manipulos lacrymis irrigatos, aut ſanguine aſperſos, cur, inquam, Jobum commemoro tantâ virtute Virum, Deóque tam familiarem? ſurgent contra nos in judicium extremo illo

Lib. 2. de Interpell. To. 10. 247.

illo intereuntis Mundi die Mater Darii & Conjux. Hæ namque à Regni Æmulo captæ, in ea profligati Exercitûs fortuna, in ea direptorum impedimentorum, libertatísq; jactura, in ea demum Imperii nunquam recuperandi desperatione, id unum perpetuò rogitabant, an Darius tantæ cladi superstes esset, atq; etiamnum sceptro potiretur: testatæ salvo eo atque incolumi, nec servitutis ignominiam, nec Regnorum jacturam gravem sibi dolendámq; admodum fore. *Illæ suæ calamitatis oblitæ*, inquit Historicus, NEGABANT SE CAPTAS, SI VIVERET REX. Ergóne molles ac delicatæ mulierculæ luxui, & Imperio assuetæ nihili pendunt vincula, quæ incurrerunt, regna quibus exciderunt, si modò viveret is, cujus inertia & imperitia exercitum prodidit, atq; ipsis etiam tantæ calamitatis causa exstitit? Nobis contrà subrepet tædium, vel agendi, vel scribendi si quis fortè importun⁹, ac petulãs nos stylo pupugerit, aut temerario dente momorderit: qvamvis vel

Q. Curt. l. 3. To. 10. 18.

vel manibus tangamus fructum è laboribus & elucubrationibus nostris redundantem? *Negabant se captas, suæ calamitatis oblitæ, si viveret Rex.* Satìs enim verò superq; est, si dilatetur Fides, Innocentia propagetur, percipiatur Evangelium, Veritas agnoscatur, deniq; si Crux adoretur, & Christus vivat, sive renatus in pœnitentium animis, sive primùm natus in iis, qui nuper ad fidem adducti sunt. Satìs id inquam est, ut nihili faciamus injurias, contumelias, dolos, quoscunq; vel meditantur, vel expromunt in nos Hæretici, atq; è Catholicis vafri aliqui, vecordes, invidi. Sanè, nisì duabus è Persia feminis inferiores esse volumus, quæ *negabant se captas, si viveret Rex*: negemus, nos probris ullis, aut damnis affectos, si modò nostræ orationis fervore, ac sanctitate vitæ id effectum à nobis fuerit, ut Deus quàm latissimè regnet, & ubique terrarum triumphet. Sed cur ego à retroactis seculis, & annalibus Macedonum argumenta conqviro, quibus Zelum nostrum ad

N pœ-

pœnas durem, & insatiabili animarum siti accendam, cùm his ferè similia petere è qvolibet portu ab Institorum avaritia & cupiditate regnantium potuissem? utriq; enim iras, ac tempestates Oceani lacessunt, vel ut opes accumulent, vel ut novas ditioni suæ Provincias adjiciant.

Hom. 60. in C. 18. Matth. To. 25. 287. *Si enim Mercator*, inquit Chrysostomus, *ut rem familiarem amplificet, terroris plena maria navigat: Et nos pariter saluti nostræ salutem adjiciamus proximorum; Dominum imitemur, & nihil pro Fratribus omittamus.* An ergo Apostolicus ille ardor, ac studium extollendi Christi trophæa, ubi antehac Idola constiterant, & ex hostibus amicos, supplices, lacrymis cineréque perfusos reddendi: hic, inquam Zelus non torrentes pervadet, non flumina superabit, cùm interim spes lucri, & mercimoniorum cupiditas, velis, remísq; properet, feratúrque per maria nullis terminata littoribus, atque ab uno ad alium Orbem omnis incerta portûs excurrat?

43. Sed nimiùm fortè mihi de Ignatii

tii Filiis videbor promittere, cùm ab eorum aliquibus tam parùm impetrem. Petieram quippe magno suspiriorũ ardore, magnâ precum humilitate, monitísque iterum atque iterum repetitis, ut silentium in Templis, modestiam in plateis conservarent: Neq; tamen omnes, tam æqua licèt postulanti, morem gerunt. Num igitur sperabo fore, ut, quibus adeò grave est, continere lingvam, sive præsentis illic maximè Christi reverentiâ, sive nè circumfusæ multitudini exemplo suo præbeant offendiculum; Hi subinde libentibus animis, cùm ità res postulârit, linguam vel præscindendam expromant, vel mortem ipsam inter flammas pro Christi gloria, prôq; hominũ salute oppetant? Istis nimirum pergam occinere; *Nihil pro Fratribus omittamus*; qvi cùm ob Apostolicum mun⁹, quod gerunt, parati esse debeant vincula, catenásq; membris omnibus accipere, quoties id scilicet proximorum salus exposceret, neq; os interea cohibere velint, neq; oculos tantisper demitte-

re, quando vel maximè opus foret, ut nè intentos in ſe Fidelium oculos offendant? Quid horum inficiabere? An offenſam illorum, qui viros Religioſos cōfabulantes in Baſilicis, aut curioſos in compitis intuentur? An eorum vecordiam, qui poſthabito Evangelicorum operariorum nomine, ac munere, nîl dubitent inurere Ordini toti notam, nè ſcilicet ſeſe vel fabellæ unius narratiunculâ, vel aſpectu rerum non periculoſarum quidem, ſed vilium tamen atq; vulgarium, ac ſuam tum garrulitatem tum curioſitatem defraudent? Non ſic profectò edocti ab Apoſtolo fuimus, qui cùm inaudiiſſet Neophytos turbari, eò quòd Chriſtianorum menſis carnes inferrentur, forſan ab Aris Ethnicorum ad publica civitatis macella translatæ, ſanctè affirmavit, temperaturum ſe ſibi, dum viveret, ab omni carnis obſonio, ſive domeſtica illa foret, ſive ferina: ſiquidem hæ dapes ulli Chriſtiano homini poſſent eſſe fraudi. En tibi ejus
1 Cor. 8.11. verba: *Quapropter ſi eſca ſcandalizat Fratrem*

trem meum, non manducabo carnem in æternum, nè Fratrem meum scandalizem. Indè conversus ad eos, qui nullâ habitâ ratione perniciosi exempli, omne gen⁹ carnium nullo discrimine devorabant, non sinè lacrymis subjunxit: *Et peribit infirmus in tua scientia Frater, propter quem Christus mortuus est? sic autem peccantes in Fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam in Christum peccatis.* Quin ergo Paulus, nè quem fortè illorum, à quibus observabatur, vel liberiore inter ambulandum obtutu, vel intempestivo sermone intra Templorum adyta prolato offenderet, rogâsset æternũ Numen, ut sibi fas esset lumina è fronte revellere, lingvam è faucibus abstrahere, maluissétq; adeò sinè luce, sinè voce, quàm vel unius cujuspiam è Catholicis offendiculo vivere. Et erit posthac aliqvis, quem adeò nulla salutis alienæ cura solicitet, ut suam nostrámque famam proscindere non reformidet, eâ solùm de causâ, nè sibi rumusculi alicujus narrationem sacris in locis interdi-

cat, aut in publico veter oculos illaudatâ viris sanctis libertate circumvagari? sed Deo sint laudes, quòd, si fortè unus aliquis inter nos degit proximorum salutis incurius, numerentur contrà tot alii, qui perpetuis, molestissimísq; laboribus hoc unum contendunt efficere, ut læsæ dudum Divinæ Majestatis Rei, cum ea in gratiam revertantur. Quot rogo Juvenum nostrorum per festos dies, quos iis Divinæ humanǽq; Leges, à difficili studiorum curriculo vacuos, capiendæ nonnulli qvieti concessêre, Crucifixi signum manibus præferentes in frequentissimis vicis Evangeliú exponunt, tam numerosâ concione, támq; luculento fructu, tum rudium agricolarum, tum otiosæ plebis, quin & virorum Nobilitate, Religionéve spectabilium, nec raró etiam Infulis fulgentium, ut fortè Roma non habeat Apostolici Zeli spectaculum vel majus vel æquale! Quemadmodũ verò istud cũprimis clarũ est Nominis nostri dec⁹, ità illos meritò pudore debet suffundere, qui cum gravi studio-
rum

rum labore non admodum premantur, infreqventes nihilominus sunt, tum in dicendo, tum in agendo, velut Apostolos decet. Subeamus, Patres mei, subeamus incommoda, & salvæ nobis res sunt. Hoc primus omnium egit ipse Fundator & Auctor Ecclesiæ Christus Dei Filius. Hoc post illum Apostoli, quibus antiqvissimum semper fuit, maximè ardua expetere, eásq; adire Provincias, ad qvas nulla hactenus Novæ Legis, imò neq; veri Numinis cognitio pervenisset. Hoc deinde omnes tum nostri, tum aliorum Ordinum strenui, gnavíq; Operarii præstitêre, qui suis semper commodis, & quiete, licèt necessariâ, aliorum emendationem ac salutem potiorem habuerunt. Qvòd si hoc agentes morbus, aut mors ipsa occupet, næ nos beatiores essem⁹ infirmi, ac moribūdi, quàm sani ac valentes: multóq; etiam magìs mortui, quàm vivi florentésque. Et quidni hoc ego à Sectatoribus Crucis exigam, cùm id ipsum Bernardus à Cruce signatis militibus postulârit? Depugnate (ait ille

in Epistola ad Templarios) depugnate, strenuè pugnas Domini: vel enim Saracenos prælio superabitis, & Palæstina vos laudibus in Cælũ vivos efferet; vel inter Barbarorũ acinaces in acie cadetis: & tum vos Angeli excipient, ac lætos, ovantésq; ad cælestes triumphos deducent. Si verò ex me quæretis, utram sortem malle debeat, qui crucẽ pectore gestat, nihil dubitabo dicere, vitâ laudibus quoq; ac laureis coronatâ, optabilius, Deo Judice, ferétrum esse, quod cæsus ab hoste Christi miles premat; vel etiamsi sinè honore tumuli medio in campo putrescat, seu barbarico ferro transfixus, seu equorum ungulis, rotísq; curruum obtritus. *Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus. Gaude fortis Athleta, si vivis & vincis, in Domino: sed magis exulta, & gloriare, si moreris, & jungeris Domino. Vita quidem fructuosa, & victoria gloriosa, sed utrique Mors sacra præponitur.* Si laborabimus, vires ac vita nos destituet? Sinite, ut exclamem: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

Exhort. ad Mil. Templ. To. 401. 81.

enim

Enimvero de ſuperiore loco Sacras interpretari Litteras, è nobilibus Exedris Controverſas Theologiæ Quæſtiones explicare, Luci publicæ dare docta Volumina: ſacris intereſſe Cœtibus: Magnatum confeſſiones excipere, res eſt illuſtris ad famam, & ad Meritum quæſtuoſa. Sed his omnibus *Mors ſacra præponitur.* Quanto feliciùs in tuguriis ruſticorũ morbus contrahitur, dum eos edocemus, quâ ratione poſſint grandes olim effici, quamvìs nunc adeò humiles ſint atque deſpecti? Qvanto præſtat vel inter peſte contactos in Noſocomiis, vel in Caſtris vitam hanc mortalem exuere, ut morientibus vitam procuremus immortalem? *Gaude ſi vivis & vincis in Domino, ſed magis exulta, ſi moreris, & jungeris Domino.* Tam ſanctè ex hac vita decedenti accinent Angeli: *Mortuus eſt in oſculo Domini.* Nihil iis precari majus poſſum, qui & fulgore Lucernæ prælucent cæteris, & duro cinctu ſe ipſos arctiſſimè conſtringunt. *Sint Lumbi veſtri præcincti, & Lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Ità precor, eveniat.

EXHORTATIO V.

In Pervigilio S. IGNATII.

Et vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum. *Luc. 12.*

S*Atis haud eſt, ut Viri Religioſi cum Zelo animarum cingulum mortificationis coniungant, niſi mentem habeant extremi Judicii accuratâ conſideratione defixam. Ex cognitione ſuppliciorum æternorum eam morum compoſitionem ducemus, & noſtra cum externis colloquia ad tam ſeriam gravitatem conformabimus, ut omnia noſtra facta, dictáque peccantibus timorem ingerant, & contumaces ſub jugum mittant. Neque hoc Charitati quidquam officit. Hæc enim Apoſtolatûs fulgura nunquam*

quam ab urbanitatis placido sereno disiungit, qui nisi Magnatum domos emendet, non frequentet. Quapropter cum proximis perpetuus sit de Deo sermo, & in fronte nostra quædam æternitatis imago refulgeat.

44. ITáne verò ad fingendum dignum Evangelii Ministrum, nec sana doctrina, nec proba vita sufficiat? Non sanè: qvippe si ista sufficerent, geminis propositionibus quæ præmissam sententiam antecedebant, omnem Apostolatûs descriptionem Christus absolvisset. *Sint Lumbi vestri præcincti, & Lucernæ ardentes in manibus vestris.* Cupio vos, inquit Servator Discipulos suos alloquens, perturbationum vestrarum dominos; atq; eam ob rem Zonâ vobis lumbos adstringo. Cupio vos divinarum Litterarum, & Legis peritos ac gnaros; & idcirco manus vestras ardentibus facibus armo. Nihilominus nisi perturbationum moderationi, & sapien-

tiæ

tiæ ſublimitati junxeritis inſuper gravem quandam, ſeriámq; in agendo, loquendóqve majeſtatem, quam vobis mortis veſtræ, & judiciorum meorum plena terroris cognitio pariet, nihil ab animabus, qvas vobis com̃itto, impetrabitis. *Sint lumbi veſtri præcincti, & Lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Et verò præclaris adeò dotibus vigorem ſimul ac robur addetis, cùm ultimæ diei Tribunal obverſabitur oculis veſtris, frontémq; ac caput illo cinere reſperſeritis, in quem nos Adami culpa propediem reſolvet. *Et vos ſimiles hominibus* EXPECTANTIBUS DOMINUM *ſuum.* In cujus rei commemoratione pluſculum immoratus Servator, & veluti oblitus cingulorum & Lampadum, ſubinde vitæ brevitatem, mortis incertum tempus, ſeveritatem judicii, Diſcipulorum animis altiſſimè impreſſit. Quippe ſi quando animam tam felici pavore examinis illius divini meditatio impleverit, qualiſcumq; demum ſcientia ſatis idonea eſt ad Religionem audienti-

entibus iniiciendam, & qvælibet vitæ aſperitas ad exemplum valet, & profectum aliorum. Ea propter poſtquam Meſſias in Olivarum monte delectis à ſe paulò antè Præſulibus promulgationem novæ Legis demandâſſet his verbis: *Euntes docete omnes gentes*; deinceps vocibus Angelorum eosdem voluit admoneri, ut oculos à triumphali pompa illuſtriſſimæ nubis averſos, in id Tribunal referrent, è qvo Filius Hominis irrevocabili ſententiâ omnes in malum obſtinatos olim fulminaturus eſſet. *Viri Galilæi qvid ſtatis aſpicientes in Cælum? Hic Jeſus qvi aſſumptus eſt à vobis*, SIC VENIET. Non abſimili terrore Timotheum Alumnum ſuum Paulus Apoſtolus perculit, priuſqvam ſacras Litteras eum juberet exponere. *Teſtificor coram Deo & Chriſto Jeſu, qvi* JUDICATURUS EST *vivos & mortuos, per adventum ipſius, & Regnum ejus, prædica verbum.* Innuebant ſcilicet tum Angeli Collegii Apoſtolici Primatibus, tum Epheſiorum Paſtori Gentium Doctor,

Matth. 28. 19.

2. Tim. 4. 1.

2. Tim. 4. 1.

ctor,&,siquidem vultis, inquiebant, improbis hominibus salutarem terrorem incutere, impiorum cæcitatem discutere ad vitæ sanctitatem pios promovere, vosmetipsos in abyssis iræ divinæ sepelite,ut postmodũ, veluti cũ Jona de tẽpestatib⁹ & Monstrorum faucibus emersi, qvamlibet Niniven contremiscere,& in Sionẽ quandã cœlestẽ pœnitentiâ & virtute cogatis immigrare.Patres mei!qvod Apostolis Spiritus Beati, quod Apostolus Timotheo, quod Christus Præconibus omnibus Veritatis suggessit, idem ego mihi, vobisque edico atq; denuntio. Si mentem merserimus stagno illo vindicis Dei Justitiæ, complebimus sanctitate omnes, quotquot in nostros se sinus receperint, & vitæ suæ Duces nos legerint. Quippe futuræ vitæ certa persvasio tam serios, atq; maturos in verbis, atq; consiliis nostris nos faciet, ut qvisquis nobiscum egerit, ad pedes nostros tanquam animo defectus prolabatur. Eo modo, quo ad præsentiam Cherubini Joannes animo linqvente concidit.

Con-

Contrà si à studio animorum illa gravitas abesset, quæ non aliunde, quàm è divini furoris timore consurgit, in ostentationem abiret prædicatio,& Industriæ proximis adhibitæ in otiosam cum illis consvetudinem, inanem pietate,& desidiâ vitiatam vanesceret. Quam ob causam ego sub hujus diei occasum Ignatii Filios ad seriam in omni actione nostra gravitatem, ut quæ tum maximum momentum afferat rebus nostris,tum sinè qua nec primorum Patrum nostrorum Successores, nec veræ imagines Alumnorum Christi futuri unquam simus, exstimulare contendam. *Et vos similes hominibus* EXPECTANTIBUS DOMINUM SUUM. Æternitati vos immergite, omnésq; animas præsenti naufragio, in quod sua eos delicta propellunt, extrahetis.

45. Huic gravitati, qvam suademus, non defuturos, qui intercedant, facilè intelligo: Eò scilicet tendere orationem meam, ut nostræ Academiæ Carthusiarum muta silentia,ut divinæ cultores vi-

neæ in Anachoretas ſpeluncarum habitatores commutentur. Avertat hoc Deus! ut tam gravem injuriam inferam Inſtituto noſtro, univerſos, quotqvot ſumus, ad animarum ſalutem dirigenti. Non vos in ſylvas ablego: non in antra compingo: ut ſoli inter feras uni Numinis contemplationi vacetis. Qvid? in turbas vos mitto, propellóq; non in urbes minùs, qvàm in pagos, jubeóq; credere, maximam neceſſitatem Ordini noſtro incumbere, ut agat cum omnibus; ſed fervore ſcilicet ſupra omnes eximio. Sic Auguſtinus ſcripſerat, de Verbo inter homines homine qvidem, verùm adeò illos magnitudine meritorum ac prodigiorum ſplendore ſuperante, ut vel ſolis aſſumptæ naturæ ornamentis inter Evæ Nepotes, quamvis innocentes, non ſecùs ac in cælo Sol inter Planetas refulgeret. *Specioſus forma præ filiis hominum.* ETIAM INTER
In Pſal. 44. To. 12. 149. FILIOS HOMINUM PRÆ FILIIS HOMINUM.

46. At ſi tã excelſos animos tantámq; gra-

gravitatem præferremus, nullus, inquies, se nobis jungeret, prorsus ut nemo propius Solem aspicit, cavens scilicet nè fulgore nimio acies oculorum hebetetur. Vel igitur nobis conciliatrix animorum affabilitas concedatur, vel vitæ genus mutetur necesse est. Quis enim nos nullis urbanitatis officiis excultos, & ob inhumanitatem intractabiles animi sui Patres velit? Adde; si Domus nostræ tam severæ austeritatis fulguribus succingantur, in fugam eæ Christianos avertent, eo planè modo, quo fumantem & horrificum Sinai montem vitârunt olim Hebræi. Vincit hæc ratio. Neq; ego unqvam in animum meum induxi, ut vos in sylvestres, horridósq; populis homines fingerem. Tantum abest, ut morum comitatem & elegantiam improbem, ut etiam magnoperè reqviram, eámq; ab omnibus exigam: sed quæ à motuum omnium compositione, sermonísqve sanctitate non dissideat. Sic igitur in Sacerdotibus nostris & Magistris urbanam comitatē, & gra-

vitatem Evangelicam conſpirare oportet, qvemadmodum in Chriſto humana divináq; natura coaluit. Qvippe tam arcto nexu in Mundi Reparatore Humana Divináq; natura coiiſſe cernebantur, ut nè in ſepulcro qvidem, cùm ejus anima ſe à corpore diviſiſſet, Divinitas Verbi rigentia morte, livoréq; ſuffuſa membra deſereret. ſemper & ubiq; utraque promicabat è Filio Virginis, ſed præcipuo quodam naturæ immortalis fulgore coruſcante. Sociavit ſe hominibus Æterna Sapientia, noſtram utique carnem induta, ſed humanæ Hypoſtaſi, Perſonam Divinam ſubrogavit. Itaq; Meſſias Naturâ & ſuppoſito Deus erat; Homo verò ſolius naturæ creatæ additamento. Indè factum eſt, ut nunqvam vel in humanarum miſeriarum humilitate munia divinitatis omitteret. Ubera ſugebat in Cunis, & eodem temporis momento cæleſtes globos circumagebat, ac Seraphinis dividebat Imperia; tam aptè utriuſq; Naturæ officia moderatus, ut nec inferioris humilitas ſupremam

mam Magnitudinem inobſcurerat, nec hujus ardentes radii alterius glebam diſſolverent, aut umbras diſpellerent. Lubet Auguſtinum audire, tam prodigioſam miſturam graphicè deſcribentem. SIDERA REGENS, UBERA LAMBENS. *Ità magnus in forma Dei, ità brevis in forma Servi*: UT NEC ISTA BREVITATE MAGNITUDO ILLA MINUERETUR, *nec illâ magnitudine iſta brevitas premeretur. Neqve enim qvando humana membra ſuſcepit*, OPERA DIVINA DESERUIT. Simus ſanè humani, comêſq; in proximos; ſed ſimul modeſti: familiares; at graves: affluamus ſuavitate ſermonis; ſed Apoſtolicis ſenſis armatâ. Eorum domus intremus, noſtrarum non obliti. Patiamur eorum officia; ſed nullam Legibus noſtris irrogemus injuriam. Aſſiſtamus gemmatis eorum Thronis; at oculos non avertamus à clavis, qvibus Cruci noſtræ configimur. Fidem in ſe noſtram probent; ſed virtutem revereantur. SIDERA REGENS, UBERA LAMBENS

Serm. 27. de Temp. Tom 4. 8[?]

Audiantur humana caducáque cupientium vota; dum illi pariter noſtris effatis,& ſublimi noſtræ Philoſophiæ aures accommodent. Nobis illi, qvid parent, qvid moliantur exponant, dum interim à nobis edoceantur, qvàm ſit neceſſarium eſſe magnos in cælo: verbô: qvæ in iis excolendis adhibetur humanitas, doctrinæ, qvâ inſtruuntur, nec robur emolliat,nec nervos infringat. *Ut nec iſtâ brevitate magnitudo illa minueretur, nec illâ magnitudine iſta brevitas premeretur.* Stillet cum Chriſto ſponſo melle os noſtrum, & cum Chriſto Judice gladium ancipitem proferat, ſic ut favi dulcedo recreet,& aciei fulgor pavorem incutiat. *Ità magnus in forma Dei, ità parvus in forma Servi.* Amicitia cum Modeſtia, Hilaritas cum Majeſtate componantur: ut hinc eorum neceſſitates audiam⁹, illi contrà Evangelium, qvod promulgamus, viciſſim audiant. Et ſi qvando alterutram laudatarum partium minui ac remitti neceſſe foret; periclitetur ſanè comitas, dũ gravitas ſibi conſtet, ac imperet. 47. Ejus-

47. Ejuſmodi monitum, quamvis omnes alios ſacros Ordines tangat, nobis tamen imperatur longè ſeveriùs. Alumnis qvippe Cœtuum aliorum, qvi ante noſtrum exorti ſunt, tum annorum ſeries, tum rerum præclarè geſtarum magnitudo, ſi fortè non indulget, excuſat tamen ex parte qvandam Evangelicæ gravitatis incuriam, ſi ea fortè illorum zelo miſceatur. Nos autem in orbe tam novos, ut paucos ſupra ſeculum annos numeremus, nemo ſeu de profanis, ſeu ſacri Ordinis hominibus feret, vel latum unguem diſcedere ab ea gravitate morum, qvam Genus humanum nunqvã non conſpici vult in ejus viri comitatu, qvi ſe correctorem morum, & Eccleſiæ ſalem venditat. Haud eqvidem ſatìs exponã, qvod propoſui, niſì acerbas qverelas Qvinctiliani retulero, quas Inſtitutionũ ſuarum qvarto libro tranſmiſit ad poſteros. Peracriter invehitur Rhetor clariſſim⁹ in imperitos qvosdam declamatores, qui omni arte deſtituti, ſuo tãtùm tumore inflati, in ipſo dicendi exor-

dio auctoritatem audebant sibi apud plebem conciliare, seu inusitatis vocibus, Tropis Hyperbolicis, translationibus Poëticis, seu iis denique Phrasibus, qvas olim scholæ pepulissent, & proscripsissent Rostra. *Illud ex præceptis veteribus manet, nè qvod insolens verbum, nè audaciùs trãslatum, nè aut obsoletâ vetustate, aut à Poëtica licentia sumptum in* PRINCIPIO DEPREHENDATUR. Non ingeniosi sunt, inqvit magnus Romanæ Eloqventiæ Artifex, sed stolidi, qvi primo ad dicendum ingressu temeritatem & fastum ostentant. Omnem Figurarum audaciam, omnem vocum tumorem procul habere debet Orator in auditu causarum. Qvippe cùm recentissimæ sint concionis aures, severissimâ trutinâ qvamlibet vocem expendunt, & notant. Qvin nos qvoqvè ipsi in orationis Exordio tanqvam novitii homines severis judiciis subjicimur, totum id qvod vel abundat, vel luxuriat, castigantium. NONDUM ENIM RECEPTI SUMUS, *& custodit nos recens audientium*

Lib 4. Instit. Tom. 56. 39.

tium

tium intentio. Tum forſan audacior aliqvis ſonus; aut licentior Translatio diſſimulari poterit, cùm orationis curſu fatigatus auditor oranti ſe permittit, ſeu quia jam perſvaſus cauſæ favet, ſeu qvia nō ampliùs timet, nè in pueriles ineptias prorumpat, emēdicatóſq; fucos Orator oſtētet. *Magìs conciliatis animis, & jā calentibus* HÆC LIBERTAS FERETUR. Totum hoc minimæ atq; etiamnum exordienti Societati noſtræ aptetur. Qvamcunq; licentiam, qvæ fortè deprehenderetur in viro tale vitæ genus profeſſo, cui complura ſecula reverentiam & auctoritatem contulerunt, vel veniâ, vel etiam favore proſeqvuntur. Eandem autem in nobis deteſtantur oppidò, & maledictis inçeſſunt. In illis familiaritas parùm cauta, paterna benevolentia exiſtimatur; in nobis Charitas, ſi propior amicitiæ fuerit, ceu palàm perfrictæ frontis impudentia, decoctæ verecundiæ probrū, marcentis atq; effœtæ Virtutis, intepeſcentíſqve fervoris labes proſcinditur. Ità cùm de Republicâ

Christianâ bene meriti, licèt non vocati negotiis se ultrò ingerunt, auctoritas putatur, beneficio preces occupantis: contrà novi correctores iniquitatum, nisi & contentione precũ, & violentiâ præceptorum adigantur, ut sententiâ suâ lites componant, ceu Christiani Mundi Aristarchi, & Harpyiæ in omnẽ prædam intentæ, & sub amicorũ & pacificatorum larvâ impunè grassantes omnium vocibus exploduntur.

48. Reformetur igitur externa nostra species in eam factorum dictorúmque integritatẽ, quâ intelligant omnes in hoc ambitionem nostram laborare, ut in eorũ animis, qui nos alloqvuntur, vel conservemus, vel instauremus eam innocentiam, quàm è Baptismi fonte retulerunt. Deprehendat unusquisq; nos nec maximis, nec minimis alio consilio jungi, quàm ut in eorum cordibus Mosaicas Tabulas describamus, & vivum templum, Deo virtutum, construamus. Fateri cogamus orbem universum, vitari à nobis animas

ut-

utcunque auro inclusas, si emendari recusent: simul venire nos in colloquiũ vel cum Rege, vel cum servo, simúlque eos in vera Spiritûs Sancti sacraria permutare. Prædixit id Viris Apostolicis è Clero suo S. Ennodius. *Malas conscientias aut intrare contemnitis,* AUT IN SACRARIUM INGRESSÆ DEDICATIS. Dict. 12. To. 27. 235. Ut autem tam generosam perficiendi populos rationem teneamus, attolendi nobis in cælum sunt oculi, & à Solis aspectu in terram obtutus referendus, ut quod is in putri verminosóq; stagno effecit agnoscamus. Et primùm ille quidem eluviem omnem exsiccat, quæ planitiem occupabat; penitúsq; exsugit graveolentis luti humorem. Id tamen Planetarum Princeps haud consequitur, nisì à fastidita palude magnam vaporum copiam ad se traxerit, quorum partem in pluvias eliquat, aridis campis subventuras: partem pingit in Irides divinæ Clementiæ nuncias, aliam demum in fulgura fulmináq; accendit ad terrorem & reverentem om-

nipotentis iræ cultū adactura mortales. Hæc tam felicium Metamorphoseon forma, Societatis Operariis exemplar esto, ut muneris sui partes ritè obeant. Demittant sese ad improbos emendandos, eósqve in cælestes imagines transforment, seu liberalitatis in pauperes thesauros suos profundentis seu cōcordiæ inter Magnates sublatis dissidiis redintegratæ, seu implacabilis odii adversùs vitia, & inflexibilis Constantiæ
Matth. 5.14. in defendendis oppressis. VOS ESTIS LUX MUNDI. Nempe: ut depulsâ sterilitate, pestiferóq; halitu expurgato, inundatos illuvie campos in uberes agros convertatis, reductis in viam, qvi errabant, & confirmato sese allevantium gradu.

49. Quam profectò agendi rationem tres illi Angeli tenuêre, ubi primùm, se Abrahamo sub ilice Mambræ residenti obtulerunt. Vix enim Sancti Juvenes ingens Patriarchæ Tentorium intraverant, cùm subitò angulus omnis illius hospitii virtutis qvoddam Sanctuarium eva-

evaſit, Nobiles in veſtibulo præſtolantes, Matronæ cubiculum ſervantes, famuli Diverſorium curantes, armentorum cuſtodes, vinearum coloni, Excubiæ pagi, cùm intuerentur vultûs modeſtiam; cùm audirent, quâ ſermonis ſanctitate cæleſtes illi Oratores uterentur; damnârunt continuò præteritam vitæ licentiam, adeóqve in Beatorum ſpirituum cæleſtem ſpeciem ſe reformârunt, ut totus ille cœtus, cælum qvoddã Empyreum, terræ tantiſper commodatum, videretur. AD EORUM INTROITUM PARTES OMNES DOMUS PROFECISSE IN MELIUS (ità de eorum adventu ſcripſit Philo) *afflatas aurâ qvâdam virtutis abſolutiſſimæ.* Ex hoc Typo ducatur Angelica forma alios vel bonos, vel meliores efficiendi: niſi ad ingreſſum noſtrum, vel in privatorum ædes, vel in Prætorias Magiſtratuum, aut etiam in Auguſtas Regias omnes earum inqvilini ſua commiſſa deplorant, amiſsàmq; innocentiam recuperant, ſumus eo, quo inſignimur, characte-

Lib. de Ab. *To. 107. 209.*

ractere indigni. Neq; verò Patres tantùm familias, & magnarum ditionum Principes, maximíq; terrarum Reges, quos alloqvimur, & quibus vel à Consiliis, vel à Confessionibus sumus, vitæ integerrimæ speciem, majorésq; humano sensu animos ab intima familiaritate, quâ nobiscum utuntur, referant, mundóq; exhibeant oportet: verùm etiam illi à quibus vix videmur, seu cùm ad herum ingredimur, seu cùm recedimus; tam potenti divini timoris impetu, in eorum pectora, à frontis nostræ gravitate immisso, percelli debent, ut pejerare servus; alienæ famæ detrahere Palatinus; rapere Curialis; Nobilitas vindictam meditari; Juventus lascivire; feminæ se pingere desinant: unde fiat, ut intimo pietatis sensu commoti, Christo mancipentur, juratâ in perpetuum ejus consiliorum custodiâ, AD EORUM INTROITUM PARTES OMNES DOMUS PROFECISSE IN MELIUS.

50. Et qvamvis ea res admodum ardua, & prodigio similis videatur, parum

id

id nihilomin⁹ foret, aut nihil, prout muneris noſtri ratio poſtulat, ſi dũtaxat, dũ adſumus, Aulæ, qvas adimus, vitia deteſtarentur; qvin & poſt diſceſſum noſtrum perſeverare pietas debet, qvam præſentes impreſſimus; qvemadmodũ poſt Angelorũ diſceſſum, totum Abrahami domicilium in conſtanti ſanctitate perpetuò remanſit. Eqvidem his tribus oratoribus, poſt introductos præſentiâ ſuâ mores bonos, in primi Iſraëlitæ domo idem uſu veniſſe arbitror, qvod ſigillis metallo gemmâve elaboratis accidit. Hæc materiæ admota, vel Aqvilam, vel Cygnum, aut illam deniq; formam imprimunt, qvam cavâ ſui parte inſculptam geſtant. Qvæ ſubinde in re ſignata perſeverat, qvamvìs in abaco reponantur, claudantúrqve, vel gemma, vel aurum, figuræ illius artifices. At verò inſtar monſtri foret, ſi annulo ſignatorio in pera repoſito, & à re ſignata remoto, expreſſa per ſigillum imago fugeret, atq; evaneſceret; ſic infeliciſſimus, & monſtroſiſſim⁹ redderetur Apo-

ſto-

ſtolatus noſter, ſi virtus, qvam populi ab exemplis ſermonéqve noſtro traxerunt, per abſentiam noſtram interiret. Efficeremus ſcilicet non jam converſiones, ſed defectiones; niſi videlicet perduraret integritas, quam à nobis edocti acceperunt. Spirant nihilominus impreſſa lineamenta, tametſi vel ſcalprum rumpatur, vel ſculptor obierit. Nulla tabula, cui ſuprema manus impoſita ſit, tingentis penicilli eget porrò, ut depictos vultus aut adumbratarũ Regionum imagines conſervet. Foret ſanè dedecus haud ferendum, ſi ſacrorum præceptorum divinum Magiſterium minùs haberet virium ac facultatis, quàm umbratilis picturæ luſus obtineat; & qvod in telam penicillus valet, in corda zelus noſter non valeret.

51. Tam laudabilem virtutis, in proximis ductum noſtrum ſecutis, perſeverantiam aſſeqvemur ſcilicet, ſi eorum ædes ingreſſi, ſeu ut ſermones cum illis de Deo ſeramꝰ, ſeu ut privatis ſimultatibus, vel publicis offenſionibꝰ eos eximamus

mus, corpore qvidem iis præstò fuerimus, verùm animo longissimè absimus. Væ enim servis Christi! si cum profanis hominibus in congressum veniant non minùs animo, ut genio suo litent, quàm corpore, ut eos erudiant. Tum enimverò major longè in nobis foret virtutis nostræ jactura, quàm eorum profectus, qvem nostris præceptionibus instituti fecissent. Nam qvi præter salutem animarum nihil cupit, eò corpus immittit, qvò ipsum Charitas vocat, sed mente fixus in cella est: gemitus, non plausus edit in prædiis, aut Palatiis, ad quæ à Magnatibus seu affectuum indomitorum moderator, seu admissorum delictorum futurus Judex invitatur. Nimia dedecorum est copia, quæ in magnis ædibus à vanitate obsessis, & fastu tumentibus in oculos & in aures passim incurrunt. *Magnum est* (exclamat Augustinus) *inter eorum verba versari qvotidie, & non excedere de itinere præceptorum*: AB HIS SEPARATUS EST OMNIS SANUS, NON LOCIS, SED ANI- *In Psal. 6. Tom. 12. 8.*

ANIMO. Et quoniam paulò antè de sigillo verba fecimus, illud versari præ oculis velim, ut nè cum illis scilicet coalescamus, quibus salutis eorum studium nos sociavit. Inter annulum & crustulum charta immittitur, ut signantis symbolum graphicè existat; quòd si autem cælatus chalybs aut ceræ aut glutini se penitus immerserit, jam neqve imprimuntur insignia, nec ille sordes evitat. En vobis ritè agendi formam ac modum, siqvidem Deo sincerum laborem præstare volueritis. Non se animus noster in eos, qvos ad frugem reducimus, effundat, aut cum iis sese commisceat. Seratur cum proximo sermo, tradantur præcepta, pietas instilletur, sed illi non incorporetur, ut sic dicam affectio nostra. AB HIS SEPARATUS EST OMNIS SANUS, *non locis*, *sed animo*. Qvid autem absurdius dici, aut excogitari posset, si cùm Ministros Servatoris oporteat mente, ac cogitatione intra sua claustra residere, etiam tum, cùm inter seculi filios sedent, sive ut eos
Sa-

pro sacro Tribunali peccatorū vinculis exsolvant, sive ut adversùs ea, positis ob oculos æternis, seu præmiis, seu suppliciis præmuniāt; si unquā aliqui indè digressi & in domum Dei reversi, mente ac voluntate eo, quē reliquerunt, loco persisterent, & studiorum ac contemplationis temporibus, relicta domicilia, & remotas regias, præposterâ cogitatione, reviserent. Itáne verò? de dignitate gradûs tui dejiceris, nisi absis animo, ubi corpore præsens es; & tu pòstquam aspectui tuo subtractus est, quem pro muneris Apostolici officio, vel solatus es ægrum, vel dubium consilio juvisti, recurris illuc, illic te figis desiderio, tum quoqvè, cùm conclavis tui paradisum inhabitas? Velim sanè, ut in omnium auxilium ad omnes excurramus: at pedibus scilicet, non affectu. Feramus eorum alloquia patienter, non magnificè jactemus. Ploremus, non gaudeamus, quotiescunq; vel à librorum nostrorum, vel à precum uberibus abstracti, cùm ità egentium necessitates, ac comoda po-

ſtulârint, à quiete ſacrorum tectorum ad ſecularium domorum ſtrepitus transferimur, ut aliena vulnera obligemus, quæ in miſerorum animis, aut haſta Sathanæ, aut concupiſcentiæ ſagittæ aperuerunt. *Ab his ſeparatus eſt omnis ſanus, non loco, ſed animo.* Quòd ſi Operarii Societatis animis ità comparatis, ſe contulerint ad Piſcinas Probaticas, quas innumerabiles corrupti mundi valetudinarii obſident, verſabuntur inter eos citra metum ſpiritualium detrimentorum, & cum æternarum coronarum lucroſiſſimo quæſtu.

52. Id nimirum Lotho evenit, quem S. Petrus auditu pariter, & viſu Angelum
1. Petr. 2. 8. appellavit. ASPECTU *enim &* AUDITU *juſtus erat.* Nempe Lothum Apoſtolus his coloribus pingit, etiamnum cum Abrahamo viventem, & ejus doctrinæ ſectatorem ac ſocium pietatis. At fallor: de illo Sodomam incolente ſcribit, Urbem tam depravatam, ut in ſe ſulphureum imbrem Cælo devocârit, gemino diluvio & undarum, quibus eſt oppreſſa, & flammarum; quibus conflagra-

gravit haurienda. Quî ergo fieri potuit, ut Homo Dei, effeminatæ gentis probrosis ſpectaculis, ab omni parte circumſeſſus, perpetuíſq; ac temerariis vócibus, quas in cælum turpiſſimum vulgus illud jaciebat, innocens nihilominus tum auribus, tum oculis appellaretur? *Aſpectu enim & auditu juſtus erat.* Solvit Ænigmatis nodum S. Gregorius, confirmátq; innocentem advenam, per omne illud tempus, quód in Republica tam profana extraxit, ab execrandis illis Orgiis nullam unquam voluptatem cepiſſe, quin tartarea illa tripudia, & enormia ſcelera ſummopere fuiſſe deteſtatum. *Aſpectu & auditu juſtus dicitur, quia iniquorum vita* NON DELECTANDO *juſti auris atq; oculos,* SED FERIENDO TANGEBAT. Id quod Petrus affimârat, cùm ſubjungeret: *Habitans apud eos, qui de die in diem* ANIMAM JUSTI CRUCIABANT. Non modò cum Civibus coloniæ illius in omne genus viciorum effuſæ pius Hebræus vitam egit, verùm etiam nuptias contraxit;

Lib. 1. c. 1 Tom. 37. 9

mercaturam fecit; rerum, negotiorúmque omni eo usu se illis communicans, qvem urbanitas, & civilis vitæ ratio postulabat. Semper nihilominus sangvineis lacrymis deflebat effrenem furiosorum hominum licentiam, neqve unqvam perduellis in Deum populi aut dictis, aut factis arrisit. *Iniqvorum vita non delectando Justi aures atqve oculos* SED FERIENDO *tangebat.* Igitur Religiosos, & serios per eam, qvam diximus, rerum æternarū meditationē nos conservaverim⁹, cùm nos ministerii nostri ratio cum Dagonis cultoribus agere cogit, nihil vereamur, nè amicorum nostrorū innocentiā unquam amittamus. Quòd si audientib⁹ nobis illi vel Genealogias, somniatorúmq; avorū seriē ambitiosè texant: aut injurias crudeli devictorum supplicio à se vindicatas jactent; aut brevissimorum Magistratuum suorum arroganter ostentent insignia; aut stolidâ pompâ luxum ab Evangelio damnatum, & delicias apud Inferos punitas traducant, eos vel corrigamus, ubi

spes

ſpes faciendæ frugis affulget, vel excæcatos erroribus, & Chriſtianorum axiomatum hoſtes vehementiſſimo doloris ſenſu lugeamus. NON DELECTANDO, SED FERIENDO *tangebat*. Habitemus inter illos ceu nobiles qvidam Sinai montes: ut dum ad radices culminis noſtri vecors turba choreas agitat, & fuſos auro vitulos thure vaporat, nos, Deo intra nos recepto, & ſacrâ caligine involuti percellamus tonitruis, & fulminibus improbos caſtigemus. Paucis: Aſpectûs noſtri majeſtas, & vocum auſteritas, improbitatis ſuæ horrorem hominibus vitioſis incutiant.

53. At exclamabunt aliqvi, ſi tam ſerios proximis nos æternitatis meditatio fecerit, eos illa pariter procul à domibus noſtris ſemovebit; ad quas ſe cõferunt non ſolo ſinceri doloris, & emendationis ſtudio, verùm etiam ſæpe, ut ſolatium aliquod domeſticis ſuis neceſſitatibus conqvirant. Homines nimirum ſunt animo carnéqve compacti, qvocirca ut eos jugo præceptorum ſubmittamus,

mus, necessarium est, ut non minùs præsentis vitæ difficultatibus occurramus, quàm præmiis æternæ consulamus. Haud equidem veto, lacrymas lacrymis misceri, quas etiã rei familiaris, aut famæ jactura expresserit. Recipiantur isti in sinus nostros, sed ad eum modum, quo Typicum illud Bethelis saxum, urgente somno, Jacobus admisit. Perspecta vobis Historia est. Optimus Juvenis Fratris minis subactus, dimissus à Parentibus in Mesopotamiam fuit, ut fraternam iram laboriosæ peregrinationis obsequio mitigaret. Fractus itineris longitudine viator innocuus decreverat à via fatigatos somno artus componere; in saxum igitur, quod sors obtulerat, procubuit: & sanè officiosum somnolento ac fesso grabatũ silex præbuit, sic blanditias & mysteria permiscens, ut media in quiete Cælum panderet dormienti, exhiberètq; Deum prodigiosæ scalæ incumbentem, per quam numerosæ cohortes Angelorum & descendebant (à virtute in præceps euntium sym-

ſymbolum)& aſcendebant; (à ſenſuum illecebris ad probitatem enitentium typus) *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens Cœlum: Angelos quoquè Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ.* Gen. 28. 12. Igitur, ùt animadvertitis, ea QVIES Myſteriorum Magiſtra, & celſiſſimæ contemplationis Mater ſomnolento Patriarchæ extitit, ſubjecto ſub aſpectum Numine, beatorum Spirituum obſequiis, ſtipato. Felices nos! ſi rupem illam ſimilitudine referemus, quæ patriarcham accepit. Cubanti frontis oculos in ſomnum clauſit, verùm eodem tempore oculos animæ reſeravit, ut cæleſtis perfectionis altiſſimam doctrinam hauriret. Qvòd ſi nos idem præſtemus, & humanorum ſolatiorũ blanditiis divinorum monitorũ excellentiam conjungamus, venerationi ſcilicet iis erimus, qvi nos ſublevandis miſeriis ſuis adhibuerunt. Qvare quemadmodũ Jacob è ſomno excitatus, & viſorum memor exclamabat: NON EST HIC

ALIUD, *nisi domus Dei, & porta Cœli*: & sublatum à terra SAXUM, qvod vice cervicalis usurpaverat, oleo, & defixo in ejus basim reverenti osculo in Altare holocaustorum consecravit: ità si homines seculares, post exoneratas in sin⁹ nostros miserias suas, & animi ægritudinem sibi leniri, & Christianæ patientiæ, ac qvantumvìs duris, divinæ Providentiæ decretis, se conformandi, desiderio succendi se sentirent, de genibus nos velut Interpretes Cæli venerarentur, & ad Domuum nostrarum parietes conversi perennaturis eas laudibus exornarent, dicéntque: NON EST HIC ALIUD NISI DOMUS DEI ET PORTA CÆLI. Et qvoniam primi nostri Patres tales profanis hominibus se præbuerunt, factum est, ut angusto decem annorum spatio tot Principes, tot Reges, omnes ubiq; terrarum populi, unde vitam toleraremus providerint; Collegia, Templa, nobis erexerint; Filios, animásque suas Fidei nostræ commiserint, & certatim pro se qvisq; nos ditionum suarum

Re-

Reparatores,& suarum mentium Duces expetierint. Qvô factum est, ut eo solùm tempore, quo S. Ignatius Societati præfuit, qvod intra sedecim annos stetit, centũ Domus, & Provinciæ duodecim fundatæ sint. Ah! Illi etiam,qvi ad nos instar Jacobi se recipiunt, ut fluxorum affectuum suorum caducos languores confirment, si secundùm officia humanitatis sentiant animam suam recreari, & ad absolutissimæ virtutis sublimia vota se inflammari,Societatem ceu beatitudinis sacrarium adorabunt, & nos pietatis Aras, & inflammatæ Charitatis Tabernacula vocitantes, terrenarum rerum copiâ, & conscientiæ perturbatæ communicatione superobruent. TULIT LAPIDEM *quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum fundens* OLEUM DESUPER. Tantum potest Zeli matura gravitas, etiam cùm solius qvietis gratiâ expetitur.

54. In hac blanditiarum ac monitorum, scalarum & pulvillorum,somni ac visorum cælestium temperie par est co-

mitati pietatem, & fervorem benevolentiæ prævalere. Contrà si AFFABILITAS nobis non ab eo studio, quo ideò ad sublevandas aliorum necessitates descendimus, ut aditum virtuti deinceps inserendæ præstruamus, mutuata, sed propria & nativa credatur; enimverò pro laudibus, quòd ad indicatas nobis necessitates descenderit, risũ feret, tanquam partus hominum ad seculi mores, & profanam humanitatem fictorum, & nihil ab aliorum luto ac sentiendi humilitate abhorrentium. Pro confirmatione hujus sententiæ meæ animum intendamus in geminos Angelorum aspectus Abrahamo primùm, deinde Lotho exhibitos. Venerabiles hi Nuncii principio tam illustri specie se obtulerant, ut Patriarcha uterque caput in terram demitteret, Cæli Cives confessus: subinde post summam existimationem, cùm eos propiùs intuerentur, humanum quid, in aëreorum corporum specie, deprehenderunt, quòd lingvâ Syriacâ loqventes audirent, qvòd viderent non

per

per inane ferri, ſed pedibus ſolo inſiſtere, atq; ideò ſplendoris illi⁹ atq; Majeſtatis, qvam adoraverant, prorſus obliti, egentes cibi Juvenes, & fraudibus obnoxios cenſuerunt, qvam ob rem & Sara, cùm ab iis interrogaretur, mentita eſt, & Abrahamus pariter, & Lothus dapes appoſuit, hícq; inſuper eos ab injuriis hominum, & violentia eſt auſ⁹ defendere. Exclamat ob eam rem Auguſtinus: *Ut aliquibus ſignis appareret eos divinitus miſſos*, QVI TAMEN HOMINES CREDERENTUR. Miſerum me! ubi vultuum cæleſtium ornamenta, & animorum carne detentorum argumenta comparent, principio Seraphini credimur, & ceu talib⁹ capita ſubmittunt terrarum Domini; iidem ſubinde deprehenſa in nobis vulgari qvapiam cupiditate, ſenſúq; plebejo, nos tanqvam homines aſpernantur, partibúſq; ſuis adjungunt, vel deliciarum vel honorum aucupio. In binis iis domibus ſuper earum commodis Angeli diſſerüerunt, & qvamvis incredibiles eventus præ-

Lib. 1. in Gene. To. 91. 165.

prænuntiarent, nihilominus obſervantia degeneravit in amicitiam, & cultus in epulas deſiit. Id genus opprobrii renovabitur in nobis, ſi mundanis hominibus nimiùm obſecuti, eorum perſvaſiones approbantes,& cupiditates operâ noſtrâ promoventes, non eos ad noſtra ſenſa erexerimus, & in ſuſpiriorum noſtrorum pietatem penitus converterimus. S. Auguſtini doctrinam audiamus, qvi tantæ ignominiæ periculum proſpiciens, ità eſt allocutus conſiliorum Divinorum Præcones. *Vult te mundus abſorbere?* TU ABSORBE MUNDUM. *Trajice illum in corpus tuum. Quod Petro dictum eſt, macta & manduca.* OCCIDE IN EIS QVOD SUNT, FAC EOS, QVOD TU ES. Inviſunt illi ad nos, ut mentem nobis ſuffarcinent negotiis, qvæ moliuntur; honoribus, qvos venantur; affinitatibus, qvas nectunt; luxu, qvem adornant; domo, quam exſtruunt: dimittantur viciſſim edocti à nobis, quàm fluxi honores; quàm vana Titulorum Nomenclatura; qvàm brevis

In Pſ. 134. To. 12. 97.

vis ad ſepulcrum via ; qvanta Sanctorum illorum præmia, quos dignitatum fuga, & Patrimonii in egenos profuſio ad Regnum evexit. Sic ut viſcus, quo illigabantur, nè ad montes æternitatis evolarent, inter manus noſtras in balſamum vertatur, qvod illos ſervet à corruptione cupiditatum, qvarum non minor eſt apud Babylonicos Cives ambitio, quàm exſecratio apud Solymæos. *Vult te mundus abſorbere? Tu abſorbe mundum.* OCCIDE IN EIS QVOD SUNT, *fac eos, quod tu es.*

55. Hìc ego dolore diſrumpor, & angore conficior: vereor enim, ut in magno verorum Ignatii Filiorum numero, degener aliqvis privignus deliteſcat, à communi zelo, & ſpectatâ omnium integritate, quam nobis S. Pater impetravit, & donavit Deus, adeò alienus, ut contrario ſenſu de illo dici poſſit oraculum ab Auguſtino prolatum, *Fac eos, quod tu es;* eò qvòd non jam emendet ſecum agentes, ſed deteriores etiam, qvàm fuiſſent efficiat. *Fac eos, quod tu es.*

Ca-

Caveat imò Deus omnibus bonæ voluntatis Christianis, nè in illius mores transeant, à quo sibi terrena desideria, ambitionem, superbiam ministrari animadvertunt. Poteróne autem dicere, quod omnino dicendum est? esse nonnunquam homines, sacrâ veste tectos, alieni incendii folles, dum consangvineis sui amplissimarum necessitudinum connubia; rationes exaugendi patrimonii; nominis splendorem; & Magistratuum, à quibus longissimis spatiis eos nascendi conditio removerat, enormes nundinationes, inculcant? Faxint Superi, nè inter Religiosos quoq; versetur aliquando, qui ad incrementa superbiæ infelices illos exstimulet, qui vel animũ ipsis emaculandum, vel vitæ genus, quod eligant, indicandum commisêre. Quid? cùm Apostolorum successores, quo scilicet nomine censentur omnes tum IGNATII, tum omnium sacrorum Ordinum Alumni, universos in modestiam suam, & contemptum rerum omnium, quas mundus mysticæ Hierosolymæ Civibus osten-

oſtentat, tranſmutare debeant, deinde vel inter nos, vel alios invenire aliquem fuerit, qui eos ad auri ſitim, & fumi famem proritet? Hoccine illud eſt, quod unumqvemq; noſtrûm monebat Auguſtinus: OCCIDE IN EIS QUOD SUNT, *fac eos, quod tu es?* Eja vibretur enſis Apoſtolicus, & in quolibet Chriſtiano qualiscunq; cupiditas, ſeu dignitatis Cruci adverſantis, ſeu avaritiæ nuditati Præſepii contrariæ amputetur. Hoc cæleſtium amputationum deſiderio ſuccenſus, & divini verbi gladio armatus, ad inſpiciendos Andronas veſtibulorum noſtrorum gradum facio. Frequentiſſimum illic Magnatum ac Nobilitatis, omníſq; conditionis hominum concurſum video; neſcio tamen an freqventiæ ſemper fructus reſpondeat. Nollem ſanè ut Auguſtinus ad ædium noſtrarum porticus transferret acerbam exprobrationem, quâ turbam perculit Chriſtum obſidentem, cùm is ad Jairi filiam à mortuis excitandam properaret. Moverat Servatorem infirmæ mulie-

lieris fiducia, quæ illi se turbæ miscuerat, continuóq; respiciens exclamavit. *Quis tetigit vestimenta mea?* Ad hæc atto-
Marc. 5. 31. niti Discipuli Divino Magistro respon-derunt: Et, Domine, inqviebant, unda-te Populi opprimit, & manum, qvâ con-tactus fueris, reqviris? Non te unus ali-qvis, sed innumeri elidunt. Non it reposuit Messias, inter tot, qvi huc, illúc-qve me pellunt, una unica est, qvam
Serm. 71. de Temp. To. 42. 139. pietas sua mihi propiorem fecit. *Cogno-scens virtutem quæ exierat.* Atq; hic Au-gustinus: *corpus*, exclamat, *Christi* MUL-TI MOLESTE PREMUNT, PAUCI *sa-lubriter* TANGUNT. Plurimi nos in-qvietant, & Theologiæ, ac sacrarū Litte-rarum studiis, divinarū rerū commen-tationi, visitationi Nosocomiorum, agentium animam auxilio, solatio, qvod impertiri solemus carcere conclusis, ob-strepunt, & prolixis sermonibus intra portarum nostrarum ambulacra horas occupant nostras. *Multi, multi, mole-stè premunt*, expallesco atq; exanimor, eorum, qvi nostrâ operâ ad diligendum

Deum

Deum, ad vanitatẽ conculcandam inflammantur, paucitas me cogit Augustini Satyram pertexere. PAUCI SALUBRITER TANGUNT. Equidem exordiũ cum aurora colloquia sumunt, sub meridiem resumuntur, & vix cadente Sole finem accipiunt. Utrùm verò hæc spiritualia sint, & Apostolica; lacrymæ, confessiones, Peregrinationes, eleemosynæ ab alloquio nostro redeuntium nobis indicabunt scilicet. Memini per ea tempora, quibus litteris operam dabam, notatum esse non neminem è Sacerdotib⁹ nostris, qui quotidie, per multas horas, Gymnasii peristylium inambulare soleret, neq; unquam è tam multis, quos alloquebatur, vel unum aliquem, aut in solitudines se recepisse, aut intra sacra Cœnobia se abdidisse. Vix denique, nescio quis, ex tot annorũ confabulationibus ad Romanam Probationis domum erupit, evasit; qui subinde dimissus à nobis, nimis quàm luculenter ostendit, ecquod otiasarum illarum nugarum argumentũ fuerit. *Corpus Christi*

multi molestè premunt, PAUCI SALUBRITER TANGUNT. Sed Deo sint laudes, quòd eodem tempore unus alius ex eodem Collegio Sacerdos, ad diversos Ordines sacros, plusquam septingentos Adolescentes amandavit, qui in eo vitæ genere cum infinita divini & nostri nominis gloria perseverârunt.

56. Atqui omnia nostrarum ædium vestibula speciem quandam Baptismi referre populis deberent, quem qui Filius Iræ intraverat, gratiâ dotatus egreditur. Quocirca quemadmodum S. Leo lustralem undam cum intactæ Virginis visceribus composuit, quæ Divinum Agnum peccati eversorem conceperant; ità Sacræ Baptismi Urnæ Religiosis ædibus ac Templis comparentur licet, ut, cùm ad eas accesserint homines carne graves, & quæstuum suorum avidi, ab omni penitus vel avaritiæ, vel impuritatis lepra emundati recedant. Audiamus S. Leonem regenerationis nostræ fontem describentem. *Omni homini renascenti Aqua Baptismatis instar* *est*

Serm. 3. in Nat. Dom.

est uteri Virginalis, eodem Spiritu Sancto replente fontem, qui replevit & Virginem; ut peccatum quod ibì vacuavit sacra CONCEPTIO, *hîc mystica tollat* ABLUTIO. Quòd si verò expurgari à nobis improborū pertinacia recusaverit, postquam aliquamdiu eorum vitia frustra oppugnaverim⁹, obtemperemus Servatori vetanti margaritas aprorum dentibus objici, & sanctitatis Azymum panē canibus lacerandum offerri. *Nolite dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Qui enim istis Divina Mysteria explicaret, is perversorum hominum ludibriis Thesauros Divinitatis objiceret. *Nam qui arcana divulgat, imminuit Christi decorem.* Ità scripsit, egitq; Magnus Ecclesiæ Doctor Ambrosius: qui nè Imperatorum quidem præsentiam ferebat, à quibus præcepta Evangelica violari animadverteret. Avertamus igitur oculos ab iis, qui suos ad Deum convertere recusant. Curemus, ut perinde sit, alios nostrâ consvetudine uti, atque ad pedes nostros

To. 41. 142.

Matth. 7. 6.

Ser. 4. in Ps. 118.

Tom. 41. 36.

 ira-

irarũ toxica, & intemperantiæ ſulphur evomere: ídq; ad non vulgarem opinionem virtutis iis ſufficiat, quos conſtet adire Oratoria noſtra, ſeu familiariter cum noſtris colloqui. Venit hîc mihi in mentẽ admiratio illa, quam D. Chryſoſtomi temporibus excitavit ſuccinctum Elogium, quo Cajum Romanis commendaverat Paulus. *Salutat vos Cajus hoſpes meus.* Quippe Chryſoſtomum, ea verba commentantem, interpellabant Auditorum ſuorum voces, rogitantium ecquid demùm in eo laudis eſſet, qui Hoſpes Pauli diceretur? Tantæ profectò reponebat ille, ut major nè
Rom. 16. 23. fingi quidem poſſit. Quippe niſì Apoſtolus, poſt paucorum dierum moram, maximum hoſpitis ſui in virtute profectum deprehendiſſet, fugiſſet ſanè non ſecùs, quàm à Cyclopis antro, vel à latibulo Baſiliſci. NISI *enim* DIGNUS
Rom. To. 42. 199. VIRTUTE PAULI FUISSET, *apud eum utiq; ille non fuiſſet hoſpitatus.* Atq; adeò dum hoſpitem illum appellat ſuum, ſimul ſummã ejus virtutem oſtendit,

dit,copiosissimúmq; Pœnitentiæ, ac sanctitatis proventum sub ejus se tecto collegisse demonstrat. *Salutat vos Cajus* HOSPES MEUS. Quòd si non paria de nobis credantur,continuò vel tanquam iners, vel assentatrix, aut otiosa, nostra cum secularibus hominibus consvetudo traducetur. Et sanè, si prima surgentis Societatis, nostrorúmq; hominum tempora spectemus, unum idémq; fuerat, Christianæ perfectionis famam sibi comparâsse, ac nostris Sacerdotibus arcana pectoris credere, vivendiq; Magistros habere. Idcirco, quâ possum, maximâ contentione animi unumquemq; Operariorum nostrorum obtestor, neu sinat tam venerabile lumen sacræ istius existimationis infuscari. Tam gravis in nobis animos servandi solicitudo appareat,ut necesse sit, vel sermonibus nostris eos permoveri : vel nisi è lacunis fœditatum suarum emergant, ante illorum oculos ostium adducatur, palámq; ac disertis verbis objiciatur illud, quod stultis Virginibus, & falsis Evangelii sui

Matth. 25. 12. Luc. 13. 27. Præconibus Christus: *Nescio vos: Discedite à me omnes operarii iniquitatis.* Tam generosa impiorum exturbatio, quos colloquia nostra non correxerunt, famam nobis apud Orthodoxos pariet, quòd sincero studio Christi honorem procuremus, & implacabili odio pertinacem nequitiam insectemur.

57. Interpellat indignitatem hìc aliquis, ac quærit, rectène an secùs cum Principibus viris consuetudo contrahatur. Ego verò existimo, eum vel è livore delirare, vel invidiâ furere, qui haud æquis oculis aspicit Sacerdotes Apostolicos in amplissima palatia pedem inferre, consuliq; à viris summâ dignitate ac munere. Equidem detestabilis putidissimæq; foret ambitionis, si Dei Ministri dedignati plebejorum hominum curam, eos solùm sectarentur, quos Serum vellera exornant, & Indorum gemmæ coronant. E contrario si pauperes audiantur benignè, calamitatibus eorum solatium afferatur, expurgentur vitia; scandi profectò cum virtute Dynasta-

rum

rum turres possunt, & in partem comparatæ nobis scientiæ vocari Rectores Provinciarum, & Senatores Rerumpublicarum. Cujus rei seipsum Paradigma nobis præbuit Gentium Apostolus, qui Psalmos modò cum Aquila & Priscilla tentoriorum Textoribus decantabat: modò cum Sergio Paulo Asiæ Proconsule philosophabatur. At verum est quoquè inter sanctos in Ecclesiæ Martyrologio hunc legi, & illos à Crucis Adoratoribus tanquam Cæli Indigetes votis vocari. Itaq; dum vanitas absit, & jactantia, cum Patribus Conscriptis, Regnorum Administris, Cohortium Tribunis, magnarum Urbium Dominis versari, res est laude dignissima, & ab iis qui primas Ecclesiæ leges tradidêre, usu & exemplo comprobata. Nemo siquidem est, qui nesciat, quàm familiariter, toties laudatus Apostolorum Princeps Paulus, primariis Palatinis è Cæsaris familia usus fuerit. Verùm omnes ille ad exactissimam Christianorum Consiliorum observantiam composuit, atq; ad acer-

bissimorum martyriorum patientiam animavit. *Salutant vos omnes Sancti, maximè autem* QVI DE CÆSARIS DOMO SUNT. Quòd si tanto fructu atq; emolumento cum iis, penes quos rerum potestas est, & auctoritas, sermo misceatur; non modò extra crimen est inita cum iis necessitudo, verùm etiam amplioris est laudis illustres docuisse, quàm obscuros. Ejus rei causam Plutarchus, externus scriptor, sapienter exposuit. Sic is in tali argumento disputabat. Si à nobis Philosophis instituatur aut bubulcus, aut mercator, transfusa in eos virtus in eorum animos exundat, nullo alio fructu, quàm exiguæ paupertinæq; familiæ, cum qua versantur. At si nostrâ industriâ perturbationes Principũ edomentur, & si virtutes excolantur in mente vel Dictatoris alicujus Romani, vel Magnorum Exercituum Ducis, immensa prorsus in populos ex arbitrio eorum, quos emendavimus, pendentes, utilitas derivatur. Rex bonus integra Regna meliora reddit, & à

Philip. 4, 22.

Con-

Conſule ad integritatem vitæ perducto in omne Imperii corpus, Judiciorum æquitas, ac rapinarum odium tranſmittitur. *Si Philoſophiæ ratio in hominem privatum inciderit;* NIHIL TRANSFUNDIT IN ALIOS, *ſed parta in uno marceſcit. Verùm ſi Principem aut in negotiis verſantem attigerit, atque hunc repleverit honeſtate,* PER UNUM PRODEST COMPLURIBUS.

Cum Principibus Philoſophum debere diſputare. To. 110. 197.

58. Et ſanè prodigioſum prorſus operæ pretiũ noſtra cum Magnatib⁹ conſvetudo colligeret, ſi cum illis congreſſi, noſtris propriè armis uteremur, ſatíſq; haberem⁹ Sacerdotes, non Politicos; Religioſos, nõ ambitioſos; Chriſti Famulos non hominum eſſe mancipia. Si Verecũdia, Paupertas, Pietas, Virt⁹ eſſe nobis eodem in uſu quo intra domeſticos parietes, ſub aureis lacunaribus perſeveraret, quo inter domeſticos parietes eſt, triũphum procul dubio reportaremus de iis, qui modicæ fidei, vel immodici faſtûs Aphoriſmis Teſtamenti Arcam oppugnant. Tales non ſacrarum litterarũ

meditatione,ſeriis de æternitate ſermonibus, afflictationum voluntariarum exercitatione, honorum fugâ, ærumnarũ amore,ſalutis humanæ ſtudio in Principum Virorum aulis,& quocunq; Equeſtrium Virorum conclavi feramus, ac ſubinde me vel mendacem appellitate, niſi præceptis noſtris obſecutum genus omne humanum vitia deteſtetur, & innocentiæ amore inardeſcat. Sic egit David novus è Paſtore Miles,& è nemore in aciem transgreſſus. Equidem ad proſternendum blaſphemum Philiſthæum iturus rudis adoleſcentulus regiâ loricâ & caſſide munitus fuerat, ac vibrare lanceam, & clypeum in lævam inſerere juſſus. Atq; ille in hunc modum armatus experiri cœpit, utrùm tot inter aurati chalybis fulgura promovere gradũ poſſet; at cùm videret, ſe nec ad gradiendum expeditum, nec promptum ad pugnandum, exuit arma, recepitq; preces pariter, & fundam, quibus inter paſcua nuper aſſveverat, cùm leones in arenam porigeret. Subinde adverſùs In-
cir-

circumcisum processit, non animos jactans aut robur, sed divinum nomen implorans; non hostem ceu rudem belli contemnens, sed Arcæ obtrectatorem castigans; nec præstitutis sibi triumphalibus Arcubus, sed id unum desiderans, ut Israëlis Deum Idolorũ cultores agnoscerent. Et quoniã providus bellator alio genere pugnæ, quàm cujus usũ inter nemorum recessus custos armentorũ sibi comparaverat decertare recusavit; prostravit Philisthæum, fudit hostes, & per inimicorum populorum regna, Conditoris potentiam, gloriosè circumtulit. *Ego venio ad te* IN NOMINE DOMINI, *ut sciat omnis terra, quia est Deus in Israël, tulitque unum lapidem, & fundâ jecit. Prævaluitque David adversum Philisthæum in funda* ET LAPIDE. *Petra autem* (ùt scribit Apostolus) *erat Christus.* Atque hæc illa forma est, quâ Christi Centuriones longâ vitæ asperitate intra domesticos parietes exercitati Dæmonem debellabunt, & superbos dejicient; si juratæ Deo fidei semper & 1. *Reg.* 17. 50.

ubi-

ubique memores, nunquam verò sui dissimiles extiterint; idémq; vitæ institutum secuti fuerint, seu in regiam vocati, seu in illustri honorum gradu collocati, quod in Religiosis claustris tenuerunt. Davidis dictum in ore habeant, cùm ad aliam, à priore pugna, rationem provocantur: NON USUM HABEO. Ità Thomas de Villa-Nova sacrà Tiarâ redimit⁹, & censu ditat⁹ eam in Pontificiis ædibus vivendi frugalitatē, eam agnati sangvinis oblivionem, eam in domando corpore refrenandis sensibus severitatē, & precū prolixitatem conservavit, quam diu antè sub Augustini Regula professus fuerat. Sic (ut de nostris etiā loquamur) Andreas Ovied⁹ in Æthiopiæ Patriarchā consecratus, nunquam in hac tanta nominis dignitate degeneravit ab eo amore, quo in Servatoris honestissima opprobria ferebatur, & litteras ad Piū V. dedit super cōglutinatæ chartæ prosegmina, quæ de attrito Codice Ecclesiasticarū precū resciderat, exaratas. Ità sub oculis nostris Robertus Ballarminus inter Purpura-

puratos Patres adlect⁹, in ſacello Pontificio Angelicam quandam modeſtiã retinuit, in Conſiſtoriis Vaticanis dignã Apoſtolo Majeſtatem, in publicis Congregationibus libertatem, quæ Theologum deceret. Quibus rebus omnibus id unum cupiebat, ut mores emendarentur, & Evangelium propagaretur. Quapropter ſi purpuram, quam coactus induit, excipias, tam conſtanter, in omnibus rebus auſteritatem religioſam præ ſe tulit, ut Principatus, quem invitus tolerabat, nihil à Religioſa vivendi ratione differret. Appareat nimirum ſemper, qua in ſchola fuerimus educati, & à quibus Crucibus, Humilitatis, Simplicitatis & Patientiæ, nos refixerit imperium eorum, qui nos ſedere cum Principibus Eccleſiæ voluerunt, ut Clero egregiæ pietatis & virtutis exemplum eſſemus. Quare Davidem imitati ſic inter armatos exercitus vivamus, ùt inter innocentium ovilia commorati fuimus, & inter formidatorum Magiſtratuum ſtrepitus, & Magnificorum Titulorum ſplendores pie-

pietatis armis, & sanctitatis idiomate, utamur. VENIO AD TE IN NOMINE DOMINI, *ut sciat omnis terra, quia est DEUS in Israël.*

59. Nec segniùs Bellarmino ritus Monasticos admirabiles illi Religiosi servârunt, quos Gregorius Magnus secum in ædes Lateranas traduxit. Qua in sede collocati Monachi, cum prodigioso illo Pontifice, vitam exigebant, tam ab astu palatino abhorrentem, tam à dignitatum ambitu alienam, tam inimicam regalibus deliciis, tam solitariam in commeantium turba, sic Deo conjuncti, tametsi procul à Monasteriis suis degētes, adeò in consvetudinũ suarum custodiã in tanta seculi profanorum hominum corruptione intenti, ut cùm inter eos se Pontifex afflictissimus reciperet, Cælo renasci, & inter Palatii, tot vanitatis Aquilonibus afflati, algores, flamis planè cælestibus succendi sibi videretur. Fatebatur adoratus Christi Vicarius, se post negotia Reipublicæ Christianæ confecta; post regios Oratores auditos; post

post Synodos & Purpuratorũ Patrũ conventus post Apostolica Diplomata subscripta, in sua penetralia tã exhaustũ spiritu reverti solitũ, ut importuno strepitu negotiorum, ceu pugione, lethali vulnere confossus, semianimis inter carissimorum sodalium amplexus procumberet. Vix autem paucas paginas è sacris voluminibus cum istis perlegerat, & auditæ lectionis sensa contulerat, cùm æternitatis memoriam subire sibi, animúmq; efficaci aurâ pietatis foveri, in flammariq; experiebatur, atq; adeò tanquam vitæ meliori redonat⁹, amissos relicti Cænobii ardores, per verorum Dei Servorum sermones, postliminio recuperabat: quid multis? Post non diuturnam inter Monachos moram lætitiâ velut extra se positus exclamabat: Nunc demum vivere mihi videor, & qui ad eos ulceribus plenus, & quatriduanus veluti Lazarus ingressus eram, nunc ab iis Gregorius exeo, qui fui, cùm Christi servus essem, redeóq; qvalem esse me oportet Vices Dei gerentem. Lubeat gestæ rei Histo-

Historiã audire Leandro Archiepiscopo Hispalensi ab ipsomet recensitam. Refert igitur ille optimorum Cucullatorum religiosissimam perseverantiam, tum quantum ex eorum præsentia profecerit, exponit. UT EORUM SEMPER EXEMPLO *ad orationis placidum littus, quasi anchoræ fune restringerer, cùm causarum secularium incessabili impulsu fluctuarem.* AD ILLORUM QVIPPE CONSORTIUM, *velut ad tutissimi portûs sinum, post terreni actûs volumina, fluctúsque fugiebam, & licèt illud me ministerium ex Monasterio abstractum, à pristinæ quietis vita, mucrone suæ occupationis* EXSTINXERAT; *inter eos tamen per studiosæ lectionis alloquium quotidianæ me aspiratio compunctionis* ANIMABAT. Deum immortalem! quàm immensam fuisse illam virtutẽ arbitrabimur, quæ, incredibilis doctrinæ virtutísq; Pontifici, tantum infundere vigorem potuerit, ut per illam sibi videretur à morte ad vitam transire, & è deplorandæ tepiditatis sepulchro ad

Ad Leand. Episc. Exposit. in Iob. Tom. 3. 2.

Alta-

Altare Thymiamatis, & ad Sancta Sanctorum Contemplationis Seraphicam, æquantis instauratâ pietate resurgere? At enim in his altas radices egerat divinorum judiciorum memoria, ut æternis terroribus imbuti aliud non sonarent, præter tonitrua, quibus omnes superbiæ machinæ, altissimiq; celsitudo imperii in supremi mortalium omnium, quotquot Christum pro Deo venerantur, Rectoris animo collapsæ subsiderent. Tantundem de se sibi quisq; nostrûm spondere debet, si Doctrinæ Facibus, & austeritatis Cingulis immutabilem Dei memoriam conjunxerit, castigantis improborum vitia, & sanctè viventiũ merita coronantis. Quocirca fulgoribus Ministerii Apostolici socientur ultimæ Quæstionis horrores, quâ æterna vel diademata, vel supplicia irrevocabili edicto decernentur. *Et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum.* In hunc modum conformatos Mundus exaudiet, nósque cum illis, quos in viam reduximus, Regnum

Dei constituemus, in terrâ quidem pietate, in Cælo verò Beatitudine sempiternâ. Amen.



EXHORTATIO VI.
In Pervigilio S. IGNATII.

Sint Lumbi vestri præcincti, & Lucernæ ardentes in manibus vestris. *Luc. 12.*

ZElus animarum cum externis serius sit ac gravis, plenus Deo, & æternitatis sensu plenissimus. Versantes secum intimè afficiat, & efficiat sanctum, quem privatum habet Auditorem. Id nunquam à proximis obtinebimus, nisi de rebus æternis inter nos relaxationis temporibus domi colloquamur. Hæc cum mun-

mundanis hominibus gravitas ſuavitatem illam non excludit, quâ illis grata noſtra conſvetudo, & perſpecta fides reddatur. Imò quò graviores, ſanctioréſque, amandatis rerum novarum narratiunculis, facetiis, officioſarum elegantiarum blandimentis, ac aſſentationibus, nos experientur, tantò magìs domuum noſtrarum portas frequentabunt, ac ſalutaria monita venerabuntur. Id SS. Hieronymo & Bernardo, ac noſtris etiam decem Patribus uſu venit, quemadmodum hodiéque plurimi noſtrorum hominum, & omnes per Europam Miſſionarii noſtri experiuntur, qvibus omnibus maxima in loquendo ſcribendóque gravitas auctoritatem apud Summos, benevolentiam apud infimos parit.

60. ANno proximè præterlapſo per non diſſimilem occaſionẽ expoſui graviſſimam illã neceſſitatẽ, quæ omnes S.P.Ignatii Filios premit, ut doctrinæ ſuæ radiis illuminẽt, & vitæ aſperioris exemplis permoveant omnes, qui cũ ipſis agũt, & colloqvũtur. Sub diſſertationis illius poſtremas Periodos mirabamur beatã illã Sanctiſſimorum Monachorum Coloniam, quam S. Gregorius è Cœnobio Cœlii Montis in Pontificium Lateranenſe Palatium deduxerat tanto ſuo emolumento : ut non dubitârit fateri magnus ille Pontifex, ſe, quotieſcunq; à Regia ſua & à publicorum negotiorũ tractatione receſſiſſet, tametſi ob eam rerum gerendarum molem, pietatem propemodum omnem, quietem certè ex animo ſuo ſubmotã ingemiſceret, quàm primùm pedem impoſuiſſet in ſecreta Religioſorum ſuorum conclavia, primis eorum ſermonibus, quos viri Sancti ferventiſſimos habebant, vitalem calorem pietatis recipere continuò conſveviſſe. Ut adeò Pon-

Pontifex ſanctiſſim⁹ è contracti teporis ſandapila conſurgens vigorem ſibi protinus reſtitui perſentiſceret, & ardentia deſideria ſubnaſci, ritè Chriſti gregem gubernandi, & Divinæ Majeſtatis arcana religioſiùs contemplandi. Quòd ſi cænaculis illis Cœleſtium ſermonum conſciis, & ad expugnandam mortem valentibus, noſtrarum portarum limina ſimilia non fuerint, non erunt illæ vel ædes Societatis, vel porticus aut conclavia Ignatii. Eas verò ut ſuas Beatus Legislator agnoſcat, neceſſariũ eſt, ut in Colloquiis Patrum, quæ cum ſecularibus miſcent, Davidis oraculum impleatur, quod Pſalmo ſupra centeſimum tertio edidit. *Aſcendunt montes & deſcendunt campi.* Qui limina noſtra velut Apenninus ſeu faſtu tumidus, ſeu ob avaritiã inhoſpitalis, aut monſtris in vindictam furentibus, & in licentiam ſolutis obſeſſus ſubit; is noſtris alloqviis in alium hominem repentè mutatus, in uberem campum floribus honeſtatis, & fructibus prodigæ in egenos liberalitatis *Pſal. 103.*

complanetur. In ſumma quiſquis nos adit fronte adverſùs Cælum contumaci, manibus in prædam aduncis, pedibus cruore reſperſis, corde pice infecto, is à nobis recedat ſubditis Chriſtianæ diſciplinæ jugo cervicibus, manu in quotidianas eleemoſynas exporrectâ, purus ab incontinentiæ maculis, non jam rupes feris belluis habitata, ſed hortus concluſus & aromatum ubertate lætus. *Aſcendunt montes & deſcendunt campi.* Non hæc mea gloſſa eſt, fuit illa Gregorii Papæ, qui transfigurationem hanc Propheticam ſuorum Clericorum exemplis aptavit. *Qui montes aſcendunt per tumorem potentiæ, campi deſcendunt: plani videlicet facti, per cognitionem culpæ. Montes ſicut cera fluxerunt à facie Domini:* Jam verò utrùm hac tempeſtate tam illuſtres Metamorphoſes improborum in optimos evadentium in Andronibus noſtris contingant, penes illos eſto judicium, qui eos frequentant. Maximo prorſus angore conficerer, ſi qui eo commeat, è colle in ſcopulum excreſceret, ſeu

Lib. 33. Moral. c. 3. To. 33. 588. Pſal. 96.

ſeu nimiâ voluptatum ſuarum miſeratione delinitus, ſeu ad honores conſectandos ſtimulatus, aut ſegniùs ab avaritia remotus. Non ità: prohibeat potiùs Pater Æternus à Societate Jeſu Filii ſui tam deteſtabilis ignominiæ opprobrium. Spero potiùs de noſtris quoq; ſuperliminaribus, idem Encomiũ poſſe ſuſpendi; *Aſcendunt montes, & deſcendunt campi.* Id quod ſucceſſum habebit nunquam, niſi ad ſerenda cum proximis colloquia domeſticorum inter nos ſermonum ſanctitate nos præparemus. Nam ſi noſtris in aulis ſerios de Deo ſermones inferemus, mutuóque nos ad religioſam perfectionem exhortabimur, per eum ritè loquendi uſum ad pietatem componemus omnes, quicunq; vel conſilii, vel auxilii cauſâ nos inviſerint. Atq; hoc erit totum hodiernæ Allocutionis argumentum: in qua palàm faciemus, non difficulter modò, ſed nullâ prorſus ratione fieri poſſe, ut is, qui domi geminas horas laxati ſilentii, & conceſſæ quietis otioſâ, & inutili con-

confabulatione transigat, à vitiis deinde purgare quemvis alium queat, qui vel amici fiduciâ, vel pœnitentis affectu ipsum convenerit.

61. Ille nimirum cum Babylonis Nepotibus sancta colloquia miscet, ut eos in filios Sionis adoptet, qui privatim inter Dei servos de cælestibus rebus sermonem habet. Equidem Juditha sub gemmato Tentorio Holofernis à regalibus deliciis dapum Assyriarum temperare sibi potuit, quòd, antequam in hostiũ castris tam magnanimæ rigidæque abstinentiæ periculum faceret, in domesticarum rerum affluentia duris pridem jejuniis se maceràsset. JEJU-
Judith. 8, 6. NABAT *omnibus diebus vitæ suæ, præter Sabbatha & Neomenias, & Festa domûs Israël.* Hæc nempe Matrona, cujus famem legumina, sitim frigida restinxerat, rejicere nullo negotio potuit sapidissimos missus à copiarum Duce oblatos. *Cui respondit Judith, & dixit* NON POTERO MANDUCARE *ex his, quæ mihi præcipis tribui.* Nempe durissi-

rissima quæque molliuntur, ad quæ nos crebrâ exercitatione paravimus: contrà, res quælibet, licèt facillima, si quando improvisa supervenit, conatus omnes eludit. Dic enim amabò; éstne res ulla magis communis & usitata, quàm robusto Pastori caput levi galeâ tegere, & pectus tenuissimi textûs loricâ munire? Quàm è contrario ardui difficillimíq; operis est, ut cum Gigante manus conferat, qui remotissimam semper à Præliis vitam egit, nec ullum unquam jaculum torsit? nihilominus David regiâ Saulis casside protectus, & loricâ perfectissimi operis chalybe, ac mirè habili indutus, nè passum quidem promovit, militari eo apparatu implicitus. Atque illum non metalli pondus immobilem reddiderat, sed quòd nullum ceperat odiosæ illius armaturæ periculum. *Non possum sic incedere*, QUIA NON USUM HABEO. Verùm, qui galeæ pondus sustinere nō potuit, deposcere sibi cū Goliatho potuit singulare certamen, reddidítque fortissimi consilii sui rationem.

Haud equidem me terret, inquit, formidabilis Philiſtæi moles immenſa, quoniam inter nemora his manibus ſæviſſimum leonem diſcerpſi, & fauces furenti Urſo eliſi. Quem tam decorus cruor proſtratarum belluarum ſeu in littore, ſeu inter ſylvas fuſus exornat, is incircumciſum & in Deum exercituum Blaſphemum riſu explodet. *Nam & Leonem & Urſum interfeci ego ſervus tuus,*
Reg. 17. 36. *erit igitur & Philiſtæus hic incircumciſus* QUASI UNUS EX EIS. Nec fortiùs dixit, quàm fecit: imperterritus prælio, & obtentâ victoriâ felix. Tam opportuna támq; valida præſidia multò antè paratis præſtò ſunt ad facinora ſpinis ac ſentibus obſepta, & inextricabilibus adſtricta nodis expedienda.

62. Eam ob rem S Hieronymus exclamans: priùs, inquit, Armorum Palæſtra exerceat, quos in aciem producimus; gladii primùm retuſi, tum enſes lethiferi diſtringantur.Ità ſapiens Thalaſſiarchus antequam ad pugnam navalem claſſem inſtruat, diu illam antè in-

por-

portu & placido ſinu anchoras ſolvere, antennas flectere, corvos injicere, in hoſtilem navim invehi, inter agitati maris procellas in gradu conſiſtere, & veræ pugnæ horrori, cùm jam proræ cohæſerunt, umbratilis prælii docet arte præludere. *Qui navali prælio dimicaturi ſunt*, ANTE IN TRANQVILLO MARI, *& in portu flectunt gubernacula, uncos præparant, lubente veſtigio ſtare firmiter conſveſcunt, ut, quod in ſimulachro pugnæ didicerint*, IN VERO CERTAMINE *non perhorreſcant*. Quare quiſquis vivam mortis imaginem animo ſtimulis libidinis incitato ſubjicere cupit, is intra domeſticos parietes privatis colloquiis ejus formam ſtudeat adumbrare: nam ſi conceſſæ relaxationis hora, quæ prandium aut cænam excipit, vanis ſermonibus inſumatur, non poterit animus noſter, Spiritûs Sancti flammas, in eos repentè vibrare, qui ad domos noſtras è ſuis tranſierunt. Huc accedit, quod diſſimulari à me non debet, formidanda Dei ſententia, quâ inanes prudentiâ mul-

In Vita Malchi. To. 1. fol. 101.

multóq;magìs inopes pietatis eos appellat, qui neglectis argumentis pietatis, & timoris Divini, quibus ſuo erga Crucem amori alimenta miniſtrare debuerant, rebus deridiculis, & argutiarum ſalibus, ſeu floreà corollâ mentem revinciunt. *Cor ſapientium* UBI TRISTITIA, *cor*
Eccleſ. 1. 4. *ſtultorum ubi lætitia.* Tot ſermonis lepôres, tanta rerum novarum ſitis extremam penuriam pietatis ac zeli aut notant, aut pariunt, & inſuperabiles obices populorum converſioni, unico Inſtituti noſtri fini opponunt.

63. Quî verò fieri poſſit, ut homo ſeriæ gravitatis expers, & in joca profuſus, corda delinquentium plùs quàm humanis terroribus quatiat? aut quâ ratione eorum frontibus iræ divinæ fulmina imprimet, vultu religioſæ gravitatis frenis ſoluto, explicatóq; in colloquia feſtiva magìs, quàm ſancta, cogitationéſque quantùm in profanæ hilaritatis prata defixas, tantundem ab Evangelicis mœroribus Montis Calvarii alienas? *Cor ſapientium* UBI TRISTITIA EST, *cor*

ſtul-

stultorum ubi lætitia. Si enim obdurata peccantium corda retundunt impetus impressos, licèt ab Anachoretis cilicio tectis, à Monachis fletu madentibus, à Missionariis sacro ardore flagrantibus; quis eorum pertinaciam vocibus nullo suspirio amentatis, & ore risu contaminato frangendam sperabit? Heu! quantùm Apostolici Præcones laborant, ab Inferorum, & Cæli contemplatione ad æterna promulganda supplicia recèns progressi, ut à sexcentis, à quibus audiuntur, vel lacrymam exprimant, qvâ vitæ suæ improbitatem deplorent? neq; ad eliquandos in fletum valent, vel pœnarum minæ, vel sanctitas Oratoris, vel Sacerdotalis cultûs majestas, vel Templi, in quo verba fiunt religio. Et nos eos, quibuscum de plano ac familiariter agimus, & melioris vitæ præceptis instituimus, percellemus scilicet jocis profanati? Memini audire me ante annos aliquot ex ore Religiosi hominis, non hujus quidem, quæ Dei misericordia est, Ordinis atq; vestis, sed tamen Alumni Cœ-

Cœnobii admodum rigidi, ac ſancti, in magna hominum corona verba fieri ſuper ſingulari certamine ſub id tempus duos inter Monomachos commiſſo, tantúmq; abfuit, ut facinoris atrocitatem, ut par erat, deteſtaretur, ut penè velut Heroëm celebraret occiſum, & Homicidæ triumphum caneret. Itáne verò dum Orcum pugnantibus Deus aperit, & Eccleſia ſepulchrum occludit, poſſit Chriſto conſecratus Sacerdos, Sacrilegium magnanimitatem appellare, & tanquam memorabile facinus prædicare temerariam in Deum, in Pontifices rebellionem? Nec in mentem revocet inter Dæmones torreri, qui ceciderat, & ejuſdem carnificinæ reum eſſe victorē? Igitur, quod Reges infame, dignúmque laqueo ſcelus edicunt, id Altaris Miniſtri & Evangelii Nuncii, fortitudinis & nobilitatis titulis decorabunt? Quî autem hi tales peccatoribus pietatis ſenſum impriment, ſi anathemate percuſſos in cælum tollunt? Nec uti Reos damnant, qui Cœmiteriis excluduntur,

tur, & carnificum pedibus conculcantur? Heu me! è tritico, puro licèt, & ab aſperitate vilitatéq; glumæ perpurgato, ſpica tamen exurgit paleis conveſtita, & ariſtis armata, quondam nodoſas perticas, & ferrata jumenta fatigatura, ut in areæ tritura ſordes, quibus tegitur, deponat. *De grano purgato frumentum cum palea naſcitur, ſinè qua ſeminatur.* Sic acutè S. Auguſtinus animadvertit, paritérq; frequētiſſimi quiq; cultores agrorum Chriſti experiuntur. *Serm. 14. de Verb. Apoſt. To. 26. 127.* Quamvìs è cellis in fora, ab Aris ad portas vultu exſangvi, oculiſq; ſalutis incertæ metu attonitis progrediantur, ægrè tamen efficacium verborum flammis inveteratæ glaciei ſummas cruſtas diſſolvūt, quæ magìs ac magìs in improborum obſtinatione durantur. Hîc ego conjectare vos jubeo, quem terrorem ſit incuſſurus is, cui in ore riſus natat? & an Propheticum enſem penitus in eorum noxas ſit adacturus, contra quos Famæ Tubâ, & Poëſeos thyrſis armatus procedit.

64-Et

64. Et quoniam Ephemeridum hebdomadariarũ memini, date hoc mihi, ut inter filios meos unam aliquam gubernationis meæ intolerabilem molestiam deponam. Haud equidem ſum vel auſterus adeò & iniqvus, vel tam parùm moris humani gnarus, ut in privatis noſtris colloquiis omnem hilaritatis ſpeciem condemnem, improbémque, ſi quando ſtrictim aliquid de ſucceſſibus rerum humanarum nuncietur; ſi modò ea narratio nec levitate, nec ſcurrilitate, nec à rebus, ſanctorum virorum, ſententiâ, damnatis, & à Deo punitis ſordeſcat. Ipſe quoq; Paulus Eremita poſt annos centum in ſylvis exactos ex Antonio quæſivit, quis Romæ imperaret? Quis præſentium temporum ſtatus eſſet? Et ſic quidem Sancti illi grandævique ſenes colloquebantur. At enim neuter eorum ejuſmodi ſermonem miſcuiſſet cum Novitiis illis Eremicolis, qui nuper ex Ægypti tumultibus ad ſpeluncarum ſilentia confugerant. Neq; etiam talium nunciorum Anachoreta morti pro-

proximus ſe cupidum oſtendit, primis ſtatim horis, cùm in colloquium cum ſuperveniente hoſpite veniſſet. Poſt longam diſputationem de vita perfecta, poſt attentam ſacrorum Evangeliorum meditationem, dum prodigioſo pane corpora reficiunt, Regnantium Cæſarum conditionem, & Chriſtianæ Religionis è Catacumbis in publicum progreſſæ, tranquillam pacem Antonius Paulo demum expoſuit. Permittam ſanè nonnullam eventuum humanorum notitiam, ſed quorum argumentum ſint, Conſtantini ad fidem converſi, non autem Herodiades tripudiantes: ſed incrementa fidei; non inſolentia luxûs in orbem invecti: ſed templa divino cultui conſecrata; non populo data ſpectacula. Idque totum hominibus ætate provectis & canitie venerandis licere velim, à quibus ſacrarum frequens litterarum lectio, precandi uſus aſſiduus, & capta tot ante luſtra paternis ex ædibus fuga, omne labendi periculum à geſtarum rerum narratione procul removit. At verò

rò periculi pleniſſima res eſt, cùm graviſſimi ex Ordine Religioſo Patres idem argumentum inter juvenes verſant, qui tam craſſam molem ſtrepentium rumorum in ea virtutis infantia digerere haud poſſunt. Quis enim unquam tam fuit amens, ut infantibus recèns è faſciis evolutis robuſtas illas dapes objiceret, quæ manipularibus Exercituum, & agrorum colonis vires augent, & vitam conſervant? Gallus Numidicus, & Phaſianus Evropæus, quemadmodum corporibus robuſtis vigorem addunt, ſic jugularent infantes ab ubere nuper depulſos, nempe qui medullam tenuiſſimi panis aquâ ſubactam ægrè concoquunt. Non omne argumentum omni ætati promiſcuè convenit: & narratio ſeu nuptiarum, ſeu bellorum, aut ſingularium prœliorum, aut decurſionum equeſtrium, aut pomparum, útq; compendio dicam, omnium earum miſeriarum, quæ viris Sanctis inviſæ, uſurpatæ profanis, curioſis ſucceſſibus utramque paginam implent, & ex animo ſalutares imagines

delent

delent, hominibus quidem confirmatæ ſolidatæque virtutis affectus movent; vel indignationis adverſùs peccantes, vel commiſerationis erga deceptos: In animis contrà eorum, qui nuper in terram ſanctam tranſpoſiti ſunt, eædem res vel Crucis non ità pridem in humeros ſublatæ horrorem, vel invidiam excitant erga illos, qui gloriæ plauſu, & Sirenum cantu perfruuntur. Quare deteſtabilis impudentiæ foret, id cum Religioſis profeſſione ac ætate tam novis communicare, quod citra errorem, ſaltèm periculoſum, in aures transfunditur ſenio duratas, & à ſacris paginis ad omnem ſanctitatem eruditas. Neq; hoc ſolum vitium eſt, quòd nè in rerum curioſarum narratione domeſtica colloquia nugarum pulvere, & rumuſculorum cæno aſpergat, metuendum eſt. Exterrent enimverò me illa incrementa, quæ apud nonnullos capit intruſa in noſtrorum colloquia narrationum otioſarum vanitas. Vehementer enim dubito, quin idem ſermonibus iſtis accidat, quod

anulis evenit. Eorum primus è Caucasi montis exigua Schidia ferro inclusa formatus est, & in lævæ manûs pollicem insertus. *Primúmq; saxi fragmentum* (Plinio teste) *inclusum ferro, ac digito circumdatum.* HOC FUISSE ANULUM, ET HOC GEMMAM. Subinde chalybe nonnihil expolito pellucidum vitrum compressum : tum ad argentum atq; aurum factus gradus, amplexa gemmas Aquilonares exigui pretii fragilísq; naturæ; demum ad firmissimos lapides perventum, tentata maria, & Indicæ rupes perfossæ, atq; in aureis circulis vario emblemate illusis, Smaragdi & Carbunculi ostendebantur, eâ pretii magnitudine, ut faciliùs aliquando prædium, quàm anulum emisses. Nostrâ verò ætate plebejus ille anulus habetur, qui non toto ambitûs sui spatio compluribus adamantibus illustretur, & tot lapillorũ opulentiâ coronet grandem gemmam, quæ velut inter minores stellas Phœbus omnium radios vincat, & majore luce superobruat. Componite jam ho-

Proœm. in l. 37. nat. hist. To. 57. 264.

hodiernam profusionem integrorum, patrimoniorum, quæ dexteræ manûs extremus digitus sustinet, cum rubiginoso illo ferro, quod primum rupis fragmentum palâ conclusit. *Primúmq; saxi fragmentum inclusum ferro, ac digito circumdatum, hoc fuisse anulum, & hoc gemmam.* Cùm sub primævum Societatis fervorem à Præsidibus nostris brevis aliqua periodus à quopiam in familiari colloquio prolata dissimulatione transmissa esset, quâ vel apparatus vestium, vel carpentorum fastus, aut equestris pompa, seu conviviorum lautitia perstringebantur, sic ea narratio ab Ignatii Filiis audita fuit, quasi non audîssent. UT VIDENTES NON VIDEANT, UT AUDIENTES NON INTELLIGANT. *Luc. 8. 10.* Subinde rerum illarum incuriam similiũ narratiuncularũ appetentia in aliquibus subsecuta est. Demũ adeò placuêre variarum & mundanarum imaginum, ùt sic dicam, belluata tapetia, ut iis (qui semper quidem sunt inter multos pauci, & inter fervidos tepidi)

molesta recreatio, & gravis quies videretur, nisi rerum novarum narrationes in imbris modum sinum suum inundarent. Neq; verò hoc loco Chaldæi fluminis eluvio consistit. Eâ verborum magnificentiâ, eâ suspensi supercilii Majestate, tam seriò, támq; ex animi sensu seculi eventa commemorant, quàm Neemias Israëlitis libertati nuper restitutis Legis volumina recitaret. Amplius quiddam deteriúsq; consequitur. Tam acutis animadversionibus patratas ineptias, descriptósq; luxus expendunt, ut optandum esset, pari studio sacras litteras præcipui earum Interpretes expósuissent. Beatum certè Pinedam, beatiorem Riberam, térque quatérque Beatum Cornelium, si tam accuratè, attentéque deduxissent erudito suo sanctóque stylo, quos posteritati Commentarios in Oracula Prophetarum, in Jobi Threnos, & Pauli documenta reliquerunt. Ah! longè tendunt ulteriùs in privato colloquiorum otio garruli Fabulatores, quàm in anulorum usu Antiquitas progressa sit.

Ni-

Nimiùm, heu! nimiùm epulantium crapulas, ambitiosorum profusiones, arrogantiam Superborum, furias deprælitantium, & veluti vindicatam, ad rerum humanarum fastigia subvectis, Divinitatem honoramus.

65. Et quando tandem pauci illi, aut unus ille, quisquis domi nostræ tam cupidè sermonem infert, de furiis & perfidia, quibus tenebrarum Filii excantantur, exstinguere in animo suo poterit, vel honorum ambitionem, vel deliciarum sitim? Cogit me horror iste nugarum, quæ nos admiratione rerum tantopere à nobis cæteroqui contemptarum illaqueant, & ad promovendam virtutem eorum, quibuscum loquimur, tam ineptos reddunt, cogit, inquam, ut cum Tragico exclamem. Vah! quid est, quòd vaniloquorum hominum ossa non diducuntur, & reseratur pectus, ut palàm faciant, ecquod demum sit cupiditatum suarum tomentum, & qualis, quámq; indigna sit affectionum suarum miseria! Ità ille:

O si pateant pectora ditum!
Dicam ego:
Senec. Trag. 10. Tom. 8. 32. *O si pateant pectora Divûm!*
Quantos intus sublimis agit
Fortuna metus! Brutia, Coro
Pulsante fretum, mitior unda est.

Proh! quàm misera tepidorum, omni demissionis sensu, & muneris atq; Instituti sui cognitione carentiũ, futura sors esset, si pateret internarum cupiditatum, quibus agitantur, amphitheatrũ. Videremus interdũ loco Apostolicæ magnanimitatis, quæ decepti mundi vanissimas glorias rideret, & Præsepio Christi inter stabuli sordes bono nostro & exẽplo geniti, ardentia basia figeret, medio in corde residere illustrium cunarum invidiam, clarissimæ famæ cupiditatem, commentitiarum dignitatum spes ridiculas, abjectissimam venerationem erga eos, quibus honoratior, aut commodior vita vivitur. *Quantos intus sublimis agit fortuna metus* Heu me! quorundam pe-

pectora tametsi paucissimorum, ad opulentas affinitates, munera speciosa, nuptiarum splendorem, & phylacteria Togarum Pontificiarum magnis suspiriis anhelant. Turbantur malè feriati quidam, dum in paterna domo luxum illum, magnificentiámque non viderint, quam in Magnatum ædibus, detestabili stupiditate, suspiciunt. *Brutia, Coro pulsante fretum, mitior unda est.* Minùs lassantur interdum ambitionis catenata mancipia, dum palàm præcipiti cursu secularium thronorum, tribunalium & soliorum Ecclesiasticorum umbras insequuntur, quàm sese illi excruciant, quos à Christo è servitute elementorum ereptos cum electis filiorum Dei cohortibus regnare oporteret. Heu! terrenorum negotiorum sermones, quantopere per Agni pro salute hominum occisi, beata vestigia gradientium quietem perturbatis! Nemo quippe tam vana simulacra aut sibi, aut suis optaret, nisì ampullantibus verbis in audientis animo priùs inauratæ illæ fuissent pompa-

rum Larvæ, quas non ſolùm in Religioſæ Domûs limine, verùm in ipſo quoque fonte Baptiſmi jam olim ejuravimus.

66. Et ſiquidem id in nonnullos, aut unum aliquem non cadit: Quî fit igitur, ut tam curioſè viſantur veſtiaria ad luxum inſtructa? ut in publicum procurratur, nullo pudore, aut metu amplificandi verbis, perfectione, quam profitentur, indignis immenſos veſtium ſumptus, pomparum vanitatem, vaſta equilium ſpatia, & ædificiorum ſubſtructiones inſanas? Aliæ veterum Romanorum gloriæ fuerant ab hodiernæ Romæ Scenâ: receptæ tamen intimo pectore veritatis cæleſte lumen priorum Chriſtianorum oculis ſpolia triumphantium, Imperatorum Coronas, ſpectaculorum hilaritatem objiciebat ſpecie tam fœdâ, ut eorum nemo vel triumphales vias adiret propiùs, vel etiam procul tecta Neronis aurea, & prodigioſa Titi Amphitheatra ſuſtineret intueri. AT NOBIS OMNI GLORIÆ ET DIGNITATIS ARDORE FRIGENTIBUS,

Apolog. adv. ſent. To. 58. 279.

BUS, *nulla est necessitas cœtûs, nec ulla magìs res aliena*, QVAM PUBLICA. *Fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus.* Idem illâ tempestate fuerat, se Christianum, atque à Naumachiâ, Capitolio ac Triumphis perpetuum Exulem, atq; undiq; exclusum profiteri. Eam à magnificentissimis spectaculis, & communibus illecebris fugam Evangelicæ sententiæ pariebant, quibus se in abditis sub terram cryptis generosi Athletæ mutuò exhortabãtur ad contemnenda omnia, quæ apud Ethnicos in pretio erant, ad ea verò à quibus illi abhorrebant, votis omnibus consectanda: adeò ut velut resumptæ denuo idololatriæ, Religionisq; ejuratæ portentum habitum fuisset, si quispiã eorum, quos Sacramenta perunxissent, vel levi aspectu Ethnicorum celebritates, ludos, arenas usurpâsset. NEC ULLA MAGIS RES ALIENA, *quàm publica.* Et quoniam Augustini temporibus in Catholicis nonnihil remiserat Apostolicum istud profanorum spectaculorum fasti-

faſtidium,cùm Chriſtianorum aliqui ad Pantomimorũ ſcenas & certamina gladiatorũ accurrerent, adeò vel ipſos Idololatras offendit tam aliena curioſitas ab eo, qui ſe Dei in Crucem acti Aſſeclam profitebatur, ut multi adoratores Idolorum, quos errorum ſuorum tædium, noſtræque doctrinæ deſiderium ceperat, cùm inter ludorum ſuorum ſtrepitus, permiſtos unà viderent Chriſtianis Sacris initiatos, erroribus ſuis pertinaciam addiderint,& à veritate Orthodoxa, ſi nõ recepta, ſaltèm reverenter expẽſa reſilierint. Offenſi nimirũ peſſimo exemplo, & indignabundi exclamabant: O nos infelices, ſi pro Trinitatis ab incircumciſis iſtis Hebræis prædicatæ obſervantia ſtatuas confregiſſemus, & ſolo Theatra æquâſſemus! Quoniam hi non minùs, ac nos, ludis noſtris applaudunt; & licèt Baptiſmo tincti, Amphitheatrorum tamen noſtrorum cruorem non averſantur. Pernicioſi adeò in publicum exempli,quo, velut obice,Gentium ad Fidem acceſſus impediebatur, Cen-
ſorem

ſorem objurgatorémq; peracerbum Auguſtinum audiamus. *Paganos colligi volumus. Lapides eſtis in via, venire volentes* OFFENDUNT, ET REDEUNT; *dicunt enim in cordibus ſuis, quare nos relinqvamus Deos, quos* CHRISTIANI IPSI NOBISCUM COLUNT? *Abſit à me, inquis; ut ego Deos gentium colam. Novi, intelligo, credo, quid facis de conſcientia infirmi, quam percutis?* Neque dicas, eas Ægypti vanitates non tam aſpici à te, quàm deſpici: pedes quidem in eorum aulas inferre, ſed animum procul habere. De Genealogiis, de cultu veſtium, de famulitio illorum diſſero; ſed quos verbis honoro, eosdem mecum ipſe derideo. Nam illi, quod os ſonat, audiunt, intuentúrque, quod apparet foris, ídque totum quia tumori, quo turgent, & ſomniis, quæ ſibi fingunt, aptè reſpondet, non audent vel deſerere, vel averſari, quæ à Cœnobiorum alumnis ſuſpici, & in pretio haberi animadvertunt. Credam equidem nihili à te fieri luxum, quem ſpectas, & palatia quæ con-

Serm. 6. de Verb. Dom. Tom. 26. 9.

conſcendis, quis autem immunem te præſtabit ab ea ſtrage, quam edis, animarum, quæ rerum earum quas non modò non reprehendis, verùm etiam conſectaris, amantem te cupidúmq; arbitrantur? QVID FACIS DE CONSCIENTIA INFIRMI, *quam percutis?*

67. Infinitus hominum ſecularium numerus eſt, qui vel intra Carthuſias clauſi, vel in ſylvas abditi, rudes aſperóſque ſaccos induiſſent, & noctem pſallendo etiamnum agerent, niſi Religioſorum virorum tepor iis æternitatis lucem inobſcurâſſet, minúſque periculoſam in plateis hortíſq; Babyloniis moram reddidiſſet. Illud enim ſibi occinuêre: QVARE *nos* RELINQVAMUS DEOS, *quos Chriſtiani ipſi nobiſcum colunt*? Ah! Si quando vel ſummatum Imperia, vel natura negotiorum, aut miniſteriorum noſtrorum ratio in Domicilia Vanitatis, & Voluptatis viridaria nos abſtraxerunt, cogúntq: conclavia habitare vario cultu exornata; accumbere dapſilibus menſis; in Hypæthris

thris resìdere magnificis:id agamus,ut nõ obſcuris indiciis deprehẽdat hoſpes, non placere mẽti noſtræ,quod aſpectu tolera- mꝰ: credãt ciborum ſuorũ ſapores à no- biscum animorum noſtrorum nauſea glutiri : animadvertant, Majeſtati ſuo- rum tapetium, noſtrorum pavimento- rum nuditatem anteferri; ſuſpicentur, hoc nos humanitati amicitiæq; dare, quòd in pictas tabellas & gemmas ipſòrũ oculos cõjiciamꝰ, deflere interim res illas tanquam reas omniũ illorũ infeliciũ,qui pretio illarũ è Barbarorum ſervitute, vel creditorũ ergaſtulis redimi poſſẽt. Reno- vetur in nobis ea opinio,quâ Jovi gravita- tẽ plebeji juxtà, nobiléſq; illius Provinciæ obſervabant. Incredibilis erat Viri di- viniſſimi majeſtas, ſemper in futuræ vi- tæ ſucceſſus intenti, ſemper præſentis in- ſidias metuentis; adeò ut, ſi vir Dei ad ſublevandas ærumnas ſubjectorum, aut Magiſtratuum labores recreandos, au- ſteritatem ſupercilii , ſtuporem oculo- rum,ſeveritatem frontis, nonnihil inter- dum laxato in amabilem riſum ore,

mi-

mitigâſſet, fidem apud intuentes non inveniret, & pro ſe quiſq; affirmaret, eam Dynaſtæ lætitiam Iridi ſimillimam eſſe, cui nec telæ ſolum, nec veri colores ſubeſſent. Ridet, inquiebant, ſed non ex animo Princeps noſter, ad neceſſitates noſtras ſe placido vultu demittit, nullâ interim hilaritate, aut tranquillitate animum ejus demulcente. *Si quando ridebam ad eos*, NON CREDEBANT, *& lux vultûs mei non cadebat in terram*.

Job. 29.24.

Idem de nobis dicant omnes ſeculi Filii, religioſæ ſcilicet miſerationis partum eſſe, quòd eorum conviviis adſumus; quòd in eorum plumeis culcitris acquieſcimus; quòd inter eorum Aſarota inambulamus; quòd eorum ſymphoniacos audimus. Dicant ſinguli ac univerſi: Hi Chriſti ſervi, ut nè nos in deſperationis barathrum præcipitent, manus à lacerandis holoſericis noſtris continent, cryſtallinis noſtris parcunt, non proterunt calcibus abacos noſtros, & affici videntur deliciis noſtris, quas interim cum gemitu tolerant. *Si quando ridebam ad*

eos

eos, non credebant. Verbô: eâ formâ Gravitatis Evangelicæ vivamus, ut ipse etiam risus noster terrori, ac deceptis secularium præstigiarum Idololatris schola sit.

68. At plures hîc exclamabunt, & ut Doctrinam meam infirment, etiam dejerabunt; tam seriam cum hominibus agendi rationem, alienam esse ab eo, qvi populos instruendos suscepit. Tam fixos inquiunt, in divinorum judiciorum contemplatione stupentésq; oculos habeat, qvi solitudinem, qvi sylvas colit. Ad nos verò populorum Magistros, quis vel in Lycæis, vel in Templis accederet, si omnis humanitatis expertes, spectra poti⁹ ob mœstitiam, quàm ob lætitiam Angeli videremur. Qvòd si proximorum familiaritatem facetiis, rerum novarum narratiunculis, risu deniq; captare nesciemus, nos ceu sylvestres Satyros, & tanquam immobiles statuas vitabunt. Ab his ego primùm peto, utrùm primi nostri decem Patres, eorúmqve primi Alumni gerris, fabulis, cachinnis abun-

dârint, quos ſcilicet neceſſarios iis eſſe, putatis, qui Laicos homines reducere ad frugem ſatagunt, & cum nobilibus ſummíſq; viris ſuper ipſorum ſalute colloqvuntur? Proh! Qvanta omnium illorum gravitas in geſtu, motu, voce, vultu, ſcriptis fuit? Et nihilo tamen minùs Reſpublicæ, Principes, Reges, Summíque Pontifices certatim pro ſe qviſq; vel duos ut nanciſcerentur laborârunt; nec potuit exiguus ille numerus Operariorum Evangelicorum undam populi ſuſtinere, qvem Auditorem in Templis, in ſacro Tribunali de genu ſupplicem habebant, ad portas etiam noſtras in animarum ſuarum Paſtores ac Duces advocati. Hinc eſt, quòd veteris Inſtituti Religioſus qviſpiam in dedecus noſtrum dixit. Donec, inqviebat, Societatis Sacerdotes vitâ pariter ac ſermone Apoſtoli de ſuperiore loco, & privatim, de DEO, de morte, de inferno verba faciebant: ingens in eorum Templis frequentia, & in noſtris ſolitudo apparuit. Jam verò cùm eorum aliqvi, tam in publico, quàm

domi

domi minùs graviter disserunt, in dicendo floridi, acuti, elegantes, utì nos, è molestissima Eclipsi, quā nobis communis Patrū, tum in docendo, tum in dicendo fervor offuderat, oboriri nobis lux deniqve cœpit. Hic nimirum gravitatis, qvamvis à paucis remissæ fructus est, & huc demum evadunt opiniones eorum, qvi seculares homines nimiâ Religiosorum virorum severitate consternari palàm mentiuntur. Qvis unquam dixerit Bernardum Claræ-Vallis Abbatem, emaciatum vultu, membris exhaustum, cultu sqvalidum, pastum herbis, potum frigidâ, catenis attritum, severissimum stylo, non in loquendo minùs qvàm in scribendo, aut ceu feram belluam vitatum fuisse, aut stipitis instar neglectum? Cùm controversiarū suarum arbitriū illi permitterēt Septentrionis Præsides, Galliarum Principes, Ecclesiæ Concilia, Orbis Christiani Pontifices. Non poterat Præsul optimus, qvantumvis solitudine suâ sepultus, effugere rerum Dominos, & Antisti-

tes Cleri, qvi magno numero rerum ſuarum eum Judicem legebant, & ſui ad æternitatem itineris Ducem. Age recitemus ſententias amœniſſimas, & lepidas elegantias, quibus Epiſtolam, quam ad Primarium Rom. Eccleſ. Cardinalem & Vice-Cancellarium Chriſti Vicarii adornavit. *Haimerico Cardinali, & Cancellario, Bernardus Abbas, Domino vivere, & in Domino mori.* Atque hoc officioſæ urbanitatis prooemio tantum Vaticani Principem ſalutavit; à qvo cùm rogatus fuiſſet, ut Deum amandi, ac variam eruditionem è Tabulariis Eccleſiaſticis, & Philoſophorum Bibliothecis comparandi rationem ſibi perſcriberet, haud diſſimulanter negavit, poſſe ſe de alio argumento, qvàm prorſus divino cum ipſo colloqui. Quare miſſo ad illum erudito Tractatu, de Charitate in Conditorem, minùs ſanctarum Diſciplinarum argumenta rejecit, monuítque ſcriptores alios, quibus plurimum otii, majórq; à Legibus Monaſticis immunitas eſſet, ſibi conquireret,

Prolog. de dilig. Deo, To. 36, 193.

ret,

ret, qvorum operâ in ea qvæſtionum pompa ſibi adornanda uteretur. AD ID SOLUM, *quod de diligendo Deo quæritis*, RESPONDEO, *qvod ipſe dabit; Hoc enim & ſapit dulciùs, & tractatur ſecuriùs, & auditur utiliùs:* RELIQVA DILIGENTIORIBUS RESERVATE. Utrùm verò hæc primis Apoſtolicæ Curiæ Aſſeſſoribus reſpondendi forma, demiſſionem notet ad ſententiarum, ſermoniſq; blanditias deſcendentis, is viderit, qui expenderit qvâ libertate vanæ litteraturæ otio repudiato, pietatem Cardinali miniſtraverit opere Seraphicis cogitationibus, & Theologicis ſenſis referto. Quantò plures ad nos refugerent, ſi Bernardum imitati, cùm externi à nobis vel præliorum ſucceſſus, vel Politicorum cuniculorum artes, civileſq; tractationes in familiari nobiſcum colloquio exquirunt, illud in eorũ ora regeramus: *Ad id, quod de diligendo Deo qværitis, reſpondebo; hoc enim & tractatur ſecuriùs, & auditur utiliùs. Reliqua diligentioribus reſervate.* Dicamus cu-

riosis: si Commentarios desideratis, ut cupiditatum vestrarum ardores, aut superbiæ vestræ machinamenta feliciter promoveatis, in Areopagos ascendite, non intrare Cœnobia. Senatorum enim, non Religiosorum est, præcepta præscribere ad obtinendam gloriæ Lauream, & Oleaginam honorum civilium. Nam qui se Cruci desponsavit, clavos acuit in cruciatum, non inaurat palmas ad victoriam. *Reliqua diligentioribus reservate.* Non diversum à Bernardo se Hieronymus in scribendo, agendóq; cum summis Pontificibus præstitit, quibus suggerebat, non minùs ipsis Petri Crucem, quàm sedem; clavos, quàm claves; Apostolatum, quàm Imperium placere oportere. Sic in Epistola legimus, quam Damaso Pontifici non jam in Hypogæis commoranti, sed in Lateranensi regia post Constantinum imperanti. *Obtestor, ut, qui Apostolos honore sequèris, sequaris & merito. Ità te alius senem cum Petro cingat.* Numquid hâc etiam tempestate, non per omnes Pro-

Ep. 58. ad Damas. Tom. 17. 250.

vin-

vincias Evropæ Missionarii nostri Plebem, Senatores, Principes, & coronata Infulis capita post se trahunt? In sola Hispania Theologi, illi qui celeberrimarum Academiarum Cathedris, quibus præsidebant, valere jussis, pagos montésq; tam serio prorsus & Apostolico zelo percursant, annon ab omnibus Illustrissimorum illorum regnorum Emporiis, & ab ipsa Urbe Regia, & Monarcharum sede invitantur? Certantibus inter se Provinciis, cui audire illos primùm, cui deinde contingat, ut ad eorum subinde pedes animas suas deponant, & ex eorum ore præcepta salutis hauriant? Jam verò de quibus rebus tum isti, tum alii Operarii nostri disserunt, nisi de suppliciis æternis, & de humanæ vitæ brevitate?

69. At enim in Bethaniæ secessu Christus recreabatur, & cum Pharisæis inibat convivia. Sic egit, ageréetq; si etiamnum inter nos degeret. Neq; ego Filios meos veto lautis mensis interdum accumbere, dummodo Christum, ût ad epulas,

ità in quæstu animorum inter conviviorum dapes lucrifactorum sequantur. Invitari se Christus à Simone passus, non opsoniorum, sed calentium lacrymarum desiderio, quas ex oculis Convivatoris sui ut exprimeret, laborabat. Convertite in eum oculos, monet Augustinus, & animum hospitis sui esurientem deprehendetis. *Ipsum* PASCENTEM
Hom. 23. c. 50. To. 26. 183. ESURIEBAT, *ipsum emendare, ipsum manducare, in suum corpus trajicere volebat.* Quapropter S. P. Chrysologus Scribis illis, qui famam Servatoris eo nomine lacerabant, quòd cum Publicanis cibum sumeret, os obstruit, & pollicem premit, jubétq; calumniam mutare in venerationem, animadversô, non quales ad illum accederent usurarii, ac fœneratores, sed quales ab ipso recederent: opibus nimirum in pauperes distributis, & victimarum, quas lacrymabundi hospites offerebant, toto latè Sanctuario nidore diffuso. *Peccatores recipit & man-*
Serm. 168. To. 36. 186. *ducat cum illis:* Exclamat hîc Chrysologus. *Recipit peccatores Deus, sed Deus,*

PEC-

PECCATORES ESSE NON SINIT QVOS RECIPIT. *Unde Pharisæus non quales venerunt*, SED QVALES REDIBANT, *videre debuit peccatores.* Promiscuè agatur cum omnibus, & aliquando cum illis etiam cæna sumatur: siquidem hanc veniam Christi epulantis exemplum indulget. Zachæo ad prandium Messias condixit eo tempore, quo eum in Sycomoro conspexerat. Prandet in ejus domo, sed advertatur animus ad ingentem pecuniæ vim in egentes sparsam, damnati quæstûs rapinas pensaturam. *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Luc. 19. Atque hæ videlicet narratiunculæ, hi lepôres, hi risus fuêre, quibus se Filius Dei Filiis hominum gratiosum reddebat, atque amabilem. Proh! qualis eo die fuit frontis ac linguæ Verbi æterni epulantis Divinitas? siquidem oculorum suorum fulminibus opulentissimum hominem sic exterruit, ut ærarium recluderet, & patrimoniũ divideret dimidiâ ejus parte

te Dei amicitiam mercaturus? Equidem in Ministris Evangelicis, oris & fandi gratiam commendo, dummodo ab humanitate terror non separetur. Non caruit uberibus primitiva Ecclesia, nihilominus ex iis, plus ignis, quàm lactis emanavit, pluresque ex illis sagittæ sunt
Cant. 8.10. emissæ, quàm stillæ. UBERA MEA SICUT TURRIS, conversamini, sed convertite; loquimini, sed instruite; non desint vitibus vestris virides pampini, si modò sub umbra frondium pendeant uvarum salutarium botri. Ubera & Turres; Lac & Lacrymæ, alimenta & timores, Irides & nubila in unum convenire oportet: Illæ recreent, hæ fulgure terreant, cogántque improbos Cœlum vereri, & commissorum veniam implorare gemitibus.

70. Id verò effectum nunquam dabimus, nisi prolixis meditationibus, attentâ sacrorum voluminum lectione, amicâ cogitationũ nostrarũ concordiâ cum memoriis justorum, pectus deniq; Sancto Spiritu impleverimus; ut ejus subinde

tor

torrentes in labra noſtra exundent. Credere verò, citra contemplationem axiomatum Apoſtolicorum poſſe metum improbis injici, ea demùm ſomniantis eſt vanitas, & cæcitas hominis Evangelia non capientis. Primis quoq; naſcẽtis Eccleſiæ temporibus non defuerunt Viri litterati, qui è Græcis ac Hebræis ad Chriſtiana Sacra traducti, Chriſti vitã ac doctrinã mandare litteris tentarent: At iſtorũ digitis continuò ſtylus excidit, & poſt paucas periodos annaliũ, quos ſcribere aggreſſi fuerãt, ab opere deſtiterũt, defecti ſcilicet vigore illo, qui neceſſariꝰ eſt ad deſcribẽda, eâ, quâ par eſt, dignitate, infantis DEI ſtabulum, ejuſdẽ in Ægyptum fugam, piſcatorum in Apoſtolos delectum, infame in Calvaria, duos inter latrones, Cruci ſuffixi ſupplicium. Quippe quòd frigidorũ Hiſtoricorũ animus non æſtimaret opprobrium Crucis, & Humilitatem Præſepii, neſciebat dignâ verborum magnificentiâ Meſſiam ſtipulis incumbentem, infimæ plebi familiarem, & Mortis reum exprimere. Contrà verò

verò Matthæus, Marcus, Joannes, & Lucas, cùm magnifacerent Christianæ Modestiæ ac Demissionis thesauros, nullo labore omnem Crucifixi historiam Posteris
Luc. 1. tradiderunt. *Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem rerum, quæ in nobis completæ sunt*: ità scribit in Prooemio historiæ suæ S. Lucas. Quo loco S. Ambrosius iis, qui de Deo sinè Deo mente animóque recepto, differere audent, insultans exclamat: *Ergo multos cœpisse, nec implêsse S. Lucas testatur.* Æternitate videlicet plenum esse oportet, qui
Proœm. in Luc. Sanctos efficere peccatores voluerit.
Tom. 43. 3. *Quæ ubi se infuderit* (prosequitur sanctus Doctor) *rigare consuevit, ut non egeat*, SED ABUNDET SCRIPTORIS INGENIUM, *non conatus est Marcus, non conatus est Ioannes, non Lucas, sed divino Spiritu*; UBERTATEM MINISTRANTE, *sinè ullo molimine* COEPTA COMPLEVERUNT. Perinde aliquibus, qui cùm priorum voluminum longo usu studióq; exercitati non sint, fervidos tamen sermones miscere ad portas nostras

ſtras audent, quod Concionatoribus accidit, verâ ſcientiâ & ardenti pietate deſtitutis. Concinnant miſerabiles, ineptuli, deſcriptiones infelices pugnarum navalium, florentium hortorum, Cœli ſtellati, magnificarum ædium, & continuò poſt abſurdiſſimas nugas, gelidiſſimis vocibus concionem obteſtantur, ut ſangvineos rivos tergo repetitis flagellorum ictibus deducant, ut lacrymarum torrentes præ doloris magnitudine profundant, & è capite cineris imbres ſua commiſſa deteſtati diffundant. Neq; tamen animadvertunt miſelli, quantò magìs ad lacrymas hortentur Auditores, quòd tantò acriùs eos ad ridendũ ſceleratum frigus ſimulati ardoris exſtimulent. Atque iſti è Cathedra pariter, & ex plano, quamvìs & Prophetias, & oracula crepent, ſcabunt, non feriunt, ſicque Auditores ſuos eâdem vitiorum pice, quâ infecti acceſſerant, inquinatos à ſe dimittunt. *Etiam cùm aliquid agere videtur*, PUNGIT NON PERFORAT. Hâc Epigraphe Declamatoris ven-

Lib. 1. de Benef. Tom. 29. 89.

ventosi perorationes castigavit Ethicorum Princeps. Longè verò acerbiùs apud eundem Hatherius quidam Orator nominatissimus vapulavit, qui de omni argumento disputabat, nullo decori modo, nullâ præceptorum reverentiâ, nullo respectu Senatorum, à quibus audiebatur. *Nam Quincti Hatherii cursum suis temporibus Oratoris celeberrimi* LONGE ABESSE AB HOMINE SANO VOLO. *Nunquam dubitavit, nunquam intermisit, semel incipiebat, semel desinebat.* Annon Religiosos quosdam, de rebus omnibus sermocinantes Stoicus descripsisse videtur? Eodem tempore de Principum consiliis, de celebratis nuptiis, de promissis honoribus, de Anachoretarum inedia, de Missionariorum expeditionibus, de pœnitentium ejulatibus, de Mimorum cachinnis, de symphoniis, de choreis, de furoribus hominum ambitiosorum loqvuntur: In unum colloquium confusis vanitate seculi, & sanctimoniâ claustri, Evangeliis, & Amadisiis, plausu superbiam, & stupore

Epist. 40. ad Lucil. To. 29. 178.

re

re pœnitentiam consecuto. *Nunquam dubitavit, nunquam intermisit.* Non ità (succlamat Seneca)Romanus dicit,prudens, maturus, venerabilis in omni orationis suæ sententia; nec verbum profert, cui vel auctoritas desit, vel cura. ROMANUS SERMO SE CIRCUMSPICIT, ET ÆSTIMAT, ET PRÆBET ÆSTIMANDUM. Ad eundem modum quisquis Beati Parentis, ad cujus tumulum Evangelium Lucæ interpretamur, filius est,is ex omni suo verbo venerationem sibi parit. Nisì ambitionem opprimat,vocem non mittit;nisì precandi studium, silentium, eleemosynas persvadeat, obmutescit. E pallore, lacrymis Auditorum suorum, è confessionibus & eleemosynis illorum, quibuscum versatur,colligit, an reapse tanquam legitima S.Patris proles agat cum proximo. *Se circumspicit, & æstimat,* ET PRÆBET ÆSTIMANDUM. Tales erant omnes Societatis Domus ac Templa;planè utì ad Macedoniæ, Palæstinæque Cœnobia aliâ mente nullus adi-

adibat, quàm ut peccati horrorem conciperet, & virtuti se consecraret; provocantibus ad venarum lacrymas lacrymis Monachorum, & terrorem ingerentibus in tanto salutis æternæ periculo tot cruciatibus, quibus solitarii illi, ut Inferos effugerent, se conficiebant; sic ad nos trepidi seculares recurrebant, ut Tartarorum claustra probitatis, ac pœnitentiæ repagulis sibi occluderent. Chrysostomum audiamus Pietatis illius Palæstram describentem. *Bonum esse ingredi domum luctûs, quàm domum risûs. Verè domus luctûs Monasteria sunt, ubi Cinis atque Cilicium; ubi solitudo;* UBI RISUS NULLUS; NULLUS NEGOTIORUM SECULARIUM STREPITUS. *In littore placido sedent, omnes ad quietem suam invitantes, ac pertrahentes, neque naufragium pati sinentes eos,* QVI SE INTUENTUR, *non permittunt in tenebris degere eos, qui suas aspiciunt sedes.* Quòd si autem ità se res habet; quî fit, ut currat ad theatra, qui nostra frequentat Altaria? ut Comœdias spe-

Hom. 14. Ep. 1. in c. 5. ad Rom. Tom. 50. 40.

ſpectet, qui concionibus noſtris auditor adſtat? ut obſcœna Poëmata legat, qui doctrinarum noſtrarum Diſcipulus eſt? ut pedes inferat in Diris devotas domus, qui ſub noſtris porticibus ambulat? ut denìq; non ſit Temperantiæ Typus, Idea Juſtitiæ, Perfectionis Templum, qui ad pedes noſtros ſua peccata deponit? Niſi à Juvenum noſtrorum aſpectu ſanctitatem ſibi afflari experitur, quiſquis in eos incidit, nos neque Religioſi, nec probi viri ſumus. En tibi verorum Chriſti ſervorum definitionem: *In littore ſedent, naufragium pati non ſinentes eos,* QVI SE INTUENTUR. Sic eveniat: ut in nobis vivat Ignatius, quem ùt videbant Impii, ſanctitatem hauriebant, & damnatis erroribus ad veritatem ducebantur.



EXHORTATIO VII.

Ad Congregationem Generalem Patrum Procuratorum in Domo Professa super ejus temporis Evangelio, quod erat de Zizaniis.

Sinite Utraque crescere. *Matth. 13.*

INsectationes, obtrectationes, calumniæ, ac Satyræ, quibus Ordines Religiosi proscinduntur, indicium præbent, eos in primæva etiamnum virtute sua persistere. Quippe tam Fides Christiana, quàm venerandi cœtus Benedicti, Dominici, & Francisci, cùm vel maximè arderent eorum sanctissima studia, linguâ, stylo, proscriptione, ferro fuerunt atrocissimè impugnati. Subtrahenda nihilominus est pravis atque perversis hominum voluntatibus, livoris ac erroris

roris materies, tum vitæ innocentiâ, tum luce doctrinæ.

71. ADventus Patrum Procuratorum ex omnibus Europæ atque Indiarum, tum quæ ad orientem, tum quæ ad occidentem Solem jacent, Provinciis, eodem tempore pectus meum lætitiâ, & oculos lacrymis implevit. Equidem inexplicabili gaudio inundari se animus meus sensit, cùm audirem, quàm immensâ Deus Clementiâ Patrum nostrorum labores prosequatur, in tradendis Juventuti litteris, obeundis magno ardore Missionibus, dicendi Sanctitate, conversione populorum, voluminibus tanto Christiani Orbis emolumento vulgatis, veræ pietatis exemplis, quibus tantæ hominum seu vivendi, seu credendi licentiæ ac perversitati convitium faciunt. Ex alia verò parte ingenti mœrore me repleverunt uno omnium ore recensitæ insectationes, quas ubiq; terrarum nostri patiuntur; Satyræ, quibus confi-

guntur; Calumniæ, quibus eorum fama proſcinditur; paginæ paſſim & ubique volantes, ſeu calamo ſeu typo virulenta in nos mendacia ſpargentes, profectæ videlicet ab odio, quod in nos Hæreſis, Schiſma, Impietas, & nonnunquam virtus palàm adeò profitetur, ut altiſſimo conſilio Divinæ Providentiæ, quæ inter Sanctos quoq; ſuſpiciones aliquando, & controverſias permittit accidere, factum fuiſſe videatur, ut ad opprimendos nos non Scenæ modò Hiſtrionum, & effrenatæ plebis choreæ, verùm etiam (quamvis nec omnes, nec ſapientiâ præcipuæ) litteratorum Academiæ, potentium conventus, & ipſa clauſtra Juſtorum alicubi conjurarent. In tam diverſis igitur argumentis, tum rerum bene geſtarum, tum toleratarum injuriarum parùm abfuit, ut mœſtitiæ me permitterem, diffiderémq; poſſe me iis ſolatium impertiri, qui mihi parent, & nunc aures adhibent dicenti: cùm expenſo huius temporis Evangelio, deprehendi, probo frumento, noxiam Zizaniorum peſtem fuiſſe

fuiſſe permixtam, neque tamen idcircò aut perturbatum, aut triſtitiâ dejectum fuiſſe Patremfamilias: abſtinuiſſe quin etiam Agricolas à ſarculo, quod ad eradicandũ lolium jam in humeros ſuſtulerant, atq; ipſum inſuper conſilium, infelicem herbã, quæ ſe bonæ frugi miſcuerat, evellendi reprehendiſſe, monuiſſeq; SINITE UTRAQVE CRESCERE. Qua ex re animum capio Patribus meis, Fratribúſque, quorum in animarũ cultura non minor induſtria, quàm hâc temporum invidiâ conflagrantium calamitas eſt, idem repetendi, *ſinite utraque creſcere*: proſequendo interim Apoſtolica veſtra ſtudia, & immeritam aliorum invidiam perferendo. Quin adeò lætari vos jubeo, ſi quâ ſui parte vobis oblatret mundus; nam latratus, quo ſacris ordinibus homines obſtrepunt, manifeſtum argumentum præbet in iis & Chriſti ſpiritum, & primævam Religionem etiamnum vigere; quæ nobis ſi deficeret, deficerent pariter obtrectationes, quibus infeſtamur. Quapropter LEVATE CA-
 PI-

Luc. 21. 18. PITA VESTRA, & ſcitote, non habere nos indicium certius, quòd Inſtituti noſtri priſcos illos ardores retineamus, quàm dum morſus patimur ſpumantium Moloſſorum, ſive illi Hæretici ſint, quos noſtra damnat oratio, ſive pſeudo-politici, quibus frenos Lycea noſtra injiciunt, ſive denique pauci illi quidem, virtutis cæterà ſectatores, ſed qui vel gloriam, quam Deus nobis confert, vel laudem, quâ Eccleſia nos commendat, ferre non poſſunt. Ad hæc verò gaudia tum quoq; vos provoco, cùm mœſtiſſimæ turbulentiſſimæq; tempeſtates extiterint, ſi modò ipſi nos occaſionē nullā, nè minimam quidem, præbuerimus, quam ad nos vel lacerandos, vel mordendos arripiant, aut læſi, aut hoſtes. Ideò in duo axiomata omnem meam Allocutionem diſtribuo. Primum erit: evidentiſſimum ſignum confirmatæ virtutis eſſe, quòd à multis adverſariis obſidemur, qui coronas augent, meritúmq; illis amplificant, quibus ſua virtus, ſapientia, præclaráq; ſtudia odium ab invidis,

dis, morſus ab improbis, rabiem ac lanienam à depravatis hominibus conſuevit accerſere. Alterum: tum vel maximè palmas ſacris Ordinibus inviſis juxtà, maléq; habitis ſuccreſcere, cùm ab ipſis fomenta non miniſtrantur ipſorum ruinam machinantibus.

72. Quod ego vobis dico, ut veſtras meáſq; lacrymas abſtergam, quas eorum plerumque, quos vel doctrinâ inſtruximus, vel auxilio juvimus, ingratus animus expreſſerat: Idem JESUS Chriſtus humani generis Reparator, & Angelorum Rex ſuis Apoſtolis dixit, cùm iis inæſtimabiles utilitates, quas mundo allaturi, & intolerabiles ærumnas, quas erãt perpeſſuri, prænuntiavit. *Si de mundo fuiſſetis, Mundus, quod ſuum erat diligeret: quia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo;* PROPTEREA ODIT VOS MVNDVS. Ioan. 15. 19. Nec faxit Deus, ut pacata, lætáq; omnia Societati Reſpublica humana concedat! quippe ubi nemo de nobis perperam loqueretur, & ab omnibus vulgò amaremur, ne-

cessitas nobis imponeretur credendi, non parùm nos ab ea rectitudine finis,& consuetâ probitate deflexisse, quam nobis Fundator noster præscripsit. Et profectò Magnus Ecclesiæ Doctor Hieronymus de Clero Romano haud leviter questus est, quòd cum prophana licentíque plebe tanta hominibus Psalmodiæ consecratis concordia intercederet. Quòd si nos, inquiebat afflictus senex, à vitæ Apostolicæ severitate non descivissemus, neq; sensu vitáq; populo similes essemus, procul dubio illi à nobis affectu, ac rebus ipsis dissiderent. Nunc verò tam longæ criminationum induciæ similitudinem morum cogunt suspicari inter eos, qui epulis indulgent, arma tractant, & illos alios qui corpus inediâ macerant, Psalmos concinunt, & sacrificis vestibus amiciuntur. *Si de mundo non essemus* ODIREMUR A MUNDO.

Epist.18. ad Marcell. Tom.17.101.

73. Et quoniam Hieronymi mentionem feci, præterire silentio haud possum, quid ille de copioso æmulorum suorum numero senserit, qui tam acerbè inse-

insectabantur ejus scripta, præcepta reprehendebant, & vitam calumniabantur. Exclamans igitur innocentissimus scriptor, quòd si ego, inquit, otiosus, & obscurus, sylvarum umbrâ, & solitudinis quiete perfrui mallem, & è vimine sportas, storeásq; pertexere, nihil solicitus an Vigilantius Martyres irrideat, Jovinianus Virgines dehonestet, Arius in SS. Trinitatem voces blasphemas jaciat; equidem sapidâ polentâ, & primario pane cella mea me pasceret: nec vereri deberem, nè quis quietem meam turbaret, aut Psalmis meis obstreperet, aut famam meam macularet. Verùm quia solitudinis meæ studia haud paulò à Mechanicis illis laboribus diversa esse volui; quia petulantium hominum lasciviam insector; rapacitatem damno; temeritatem redarguo; sacras litteras explico, non frondes implico; ideò scilicet circumvenire viduas, sacerdotibus assentari, Diœceses perturbare, atq; omnia permiscere dicor. Adeò prima quoq; Evangelii tempora docuêre, illos vel

maximè Satyricorum metas, & odiorum scopum fuisse, qui ad bellum erroribus inferendum classicum cecinêre, neglectâque, quâ frui poterant, solitudinis suæ quiete, in eruditis Theatris digladiantes sanguinem fundebant, ut eos repellerent, qui legem divinam oppugnabant, & Atheismi tenebras orthodoxæ Religionis splendori offundebant. *Si aut fiscellam junco texerem, aut palmarum folia complicarem, ut in sudore vultûs mei comederem Panem, & ventris opus solicitâ mente pertractarem, nullus morderet,* NEMO REPREHENDERET. *Nunc autem quia volo operari cibum, qui non perit, & antiquam divinorum voluminum viam sentibus, virgultisque purgare,* FALSARIUS DICOR.

Epist. 114. præfat. in Job. Tom. 173. 4.

74. Sic est profectò: non vulgaris; sed excellens virtus Invidiæ crabrones irritat, & styli non minùs mucrones, quàm linguæ probra in se provocat. Non vitam commodo suo exigentium, & melle saturorum desidia, rudis popelli latratus, & litteratæ invidiæ ululatus evigilat,

sed

ſed impigra eorum cura, qui vigiliarum, diſputationum, voluminum impendio Novatorum ſe temeritati, fraudibus Atheorum & Eccleſiam conculcantium Tyrannidi ſe opponunt, rabidos Aprorum dentes, & furentium Leonum ungues in ſe convertit. Quiſquis malè viventium mores diſſimulat, nec Impoſtorum technas retegit, ſuſtinetur ille pariter, nec veſparum aculeos, nec aſpidum venena timere debet. Omnia contaminati mundi fulmina, vel ſummos montes, vel editas Arces feriunt. Quæ res me cogit, ut vobis dicam id, quod Pater Æternus Abrahamo quondam. Tollite de terra oculos, & Cœlo defigite. Illic nullam è minoribus ſtellis videbitis, quæ manifeſtã & aſpectabilem Eclipſim patiatur; ſola duo mundi Luminaria Sol, ac Luna obſcurationis injuriæ patent. Quódq; ex iis lucis plus obtinet, obtenebratur non à terra Elementorum infimo, ſed à Luna quæ ſpecie cum Sole certat. Exploratiſſimum videlicet eſt eos Cœtus, quos Chriſtus ad cultum
ſuum

ſuum promovendum inſtituit, injuriarum tenebras & calumniarum Eclipſes pati, qui præcipuâ claritate conſpicui eruditionis radios, & exemplorum virtutem à ſe præ cæteris diffundunt. Equidem haud reperietis Cœtum aliquem, quem, ſi redditibus ſuis, quibus eos Cœli benignitas inſtruxit, quietè ac tranquillè, nullâ eruditionis famâ, aut eximiæ virtutis opinione perfruatur, famoſi libri, vel mordaces calumniæ inſectētur. Omnes perverſorum hominum impetus, & Ariſtarchorum Philippicæ ad illarum Familiarum muros alliduntur, quæ virtutis, aut ſapientiæ laude præcellunt. Cathedrarum itaq; ſublimitas, & Profeſſionis integritas ſpiſſa criminationum, & injuriarum nubila, è vulgi fæce, ac impietatis putribus ſtagnis attollit. Sic apud S. Georgium Pontificem legimus tertium Pſalmum ex iis, qui de pœnitentia ſunt exponentem. *Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi*, QVONIAM SEQVEBAR BONITATEM. *Juſti namq; qui ea, quæ DEI ſunt*, TOTA IN-

Expoſ. in 3. Pſal. pœnit. To. 12. ʒ 21.

INTENTIONE DESIDERANT, & *ſupra mundum facti, mundana omnia quâdam virtute dominationis conculcant, non ſolùm in occulto cordis Diabolicas infeſtationes tolerant, ſed etiam perverſorum malitiam* DECORE SUÆ CONVERSATIONIS INFLAMMANT. En tibi originem Eclipſis noſtræ. DETRAHEBANT MIHI, QVONIAM SEQVEBAR BONITATEM. En! cauſam macularum, quas mundus vultui noſtro imprimit. *Perverſorum malitiam* DECORE SUÆ *converſationis inflammant*. Si enim nos aliquorum more ſuſtineremus approbari malè ſanas hominũ libidines, vitia diſſimulari, taceri perperam geſta, Doctrinæ novitatem invaleſcere, conſuetudinem arridendi jocis illiberalibus, ſubſcribendi rapinis, mores in conviviis ſolvendi, conſentiendi cum iis, qui frenos cupiditatibus ſuis injici non ferunt; enimverò plauſibus efferremur, nec ullis aut linguarum ſibilis, aut Harpyiarum unguibus appeteremur. Sola igitur veneratio,

quam

quam Sacris Canonibus conciliamus, solũ bellum, quod licentiæ & peccatis indicimus, tempestatibus nos involvunt, & exponunt turbinibus. Id verò longè deterrimum est Eclipses nostras non semper à terra, ejúsq; montibus provenire, sed aliquando à Planetis quoq; Cælestibus originem sumere; quo planè modo Soli lumen intercipitur. *Interpositio Lunæ inter terram & Solem, est Eclipsis in Sole.* Id scilicet intolerabilibus lacrymis deplorabat paulò antè laudatus Hieronymus, in cujus ignominiam, non Levitæ minùs, quàm histriones, perinde speluncæ ac Theatra, imò ampliùs acerbiúsque storeæ ac cineres, quàm corollæ, & unguenta conjuraverunt. Gementis Anachoretæ rugitus nos reddent attonitos. *Si Gentiles hanc vitam carperent, si Judæi; haberem solatium non placendi eis,* QVIBUS DISPLICET CHRISTUS. *Nunc verò, proh nefas! homines Christiani, proprii oculi trabe neglectâ, in alieno oculo* FESTUCAM QVÆRUNT, *lacerant sanctum propositum, & remedium pœnæ*

Ep. 99. ad Asell. To. 1. 7. 308.

pœnæ suæ arbitrantur, SI NEMO SIT SANCTUS. Nimirum ob eam causam, quia Ophiræum quoddam, ac purum aurum sumus, maligna invidiæ rubigo nos arrodit, atterítque. Vellem equidem contrà ut eveniret, sed ità semper erit, est, fuit. Quis enim nesciat, quàm atrocibus tempestatibus Erroris Scholæ, Petulans Forum, & pauca illa Cœnobia, quæ primam Regulam conculcârant, nascentes Francisci atque Dominici Familias agitârint? Prolixis Apologiis Angelici & Apostolici homines opus habuêre, ut eximerent eorum se unguibus, à quibus paupertas vestitûs, rasus in summo vertex, doctrinæ præstantia, virtutis prodigia, & vocum miracula carpebantur. Idem Sanctis Monachis in ipsis ortûs sui primordiis accidit. Alius Benedicto venenum propinavit, quòd asperum vitæ institutum, quod vir Sanctissimus urgebat, non ferret. Alius execratus Bernardum est, ob piam in suum corpus crudelitatem. Fuit, qui Romualdi scopulos scan-

ſcanderet, ut ſilentia inquietaret cavernarum, quas ille rerum Divinarum contemplationi ſacraverat. Fuit denique, qui Carthuſias quateret, traductis ceu inconſultis jejuniis, & deſidiæ nomine vitâ ſolitariâ Anachoretarum, quos Cœlũ ipſum ſtellas potiùs, quàm homines eſſe, teſtatum eſt. Superioribus paulò temporibus ſapientiſſimi Sanctiſſimíq; Pontifices Regulares aliquot Ordines extinxêre, conſtitutiones neglectu abolitas, aliáſq, labes ùt infra veniam, ità ſupra curam eâ pœnâ vindicantes. Quis autem adverſùs iſtos aut paginam vidit typo vulgatam, aut ſententiam proferri audivit unquam? quis vel in arenâ verbum ullum in eorum dedecus & probrum cenſoriâ virgula deſcripſit? Quare palàm eſt, calumniam ſagittas ſuas non vitii cote, ſed ſummæ virtutis adamantibus exacuere: dum nimirum parcit illis, qui Eccleſiæ non parcunt: dúmque lethaliter ferit eos, qui animabus vitam impertiunt, & à Vicariis Chriſti coronantur, eorum ſociis aut in Sanctorum
nu-

numerum, aut in Purpuratorum Patrum Collegium relatis. Id quod & prævidit, & divino illo Christus oraculo prædixit. Non solùm, inquit Mundus vos non odit, sed non potest non amare, dum peccantibus palpum obtruditis. At verò implacabili odio me abominatur, quia nullas cum illius delictis inducias paciscor. *Non potest mundus odisse vos, me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera illius mala sunt.* Joan. 7.7. En clavem quâ Satyrarum Abyssus in exactioris Observantiæ Instituta laxatur. Quæ quia corruptos mundi mores reprehendunt, vicissim perditorum hominum maledictis vapulant. Verbo: quantò Religiosiores Cœtus, aut vitæ genere admirabiliores, aut integritate morum magis conspicui, aut primi fervoris ætati propiores fuêre, tantò magis impugnatæ, odio habitæ, & ab hominibus impuris, perversis, & penè dixi Religiosis, & contemplatoribus in Crucem acti fuerunt. Ipsi quoquè Christiani, quos sub Evangelii na-

ſcentis Auroram, nec Judæi, nec Ethnici ferebant, quòd imcomparabilis ſanctitatis, quibus ardebant, flammæ Paganis theatra, Hebræis Gazophylacia, laſcivis Lupanaria, ſuperbis ſua Mauſolæa in cineres redigebant, & eam ob rem in omnibus terræ partibus dirà in eos ſtrage graſſabantur, nunc impunè in Provinciis Idololatrarum, Saracenorum, atque ipſius etiam Mahometi regnis habitant. Poſtquam enim pietas noſtra elanguit, nimiopere ſe illa ad Infidelium morem inflexit, nec modò tam acriter, quàm olim illâ vivendi ſanctitate redarguit eos, qui nec Orbis Conditorem, nec Animarum Reparatorem agnoſcunt. Donec Societas primores ignes ardoris ſui conſervare ſtudeat, & magnis animis decertare perſeveret, nec ullas pacis conditiones audiat, nec in exterminandis Apoſtolicæ Sedis Rebellibus, Chriſti hoſtibus, Innocentiæ Corruptoribus, Contemptoribus Principum, & principatûs omnis inimicis proſternendis quieſcat, nullam

unquam

unquam quietem sibi promittat, semperque à Lucifero ignita jacula, ab improbis hominibus calumnias, à novorum Hæresiarcharum & inveteratarum Hæresum Sectatoribus crudelissimas insectationes exspectet oportet. Quod bellum à Spiritibus impuris, à mancipiis sensuum suorum, à Transfugis disciplinæ nobis indictum, tametsi Domos nostras concutiat, & Academias nostras evacuet, certos nos tamen facit, vigere in nobis hodiéque sanctas illas Veterum Fidei Propugnatorum industrias, & intrepidas voces severorum Intemperantiæ omnis Censorum.

75. Nec aliter scripsit S. Chrysostomus, cùm præclaros Sæculi sui Sacerdotes certos esse jussit, nisi ab ipsis Regno suo deturbatus Lucifer, & oppressa scelera fuissent, quietem ipsorum nullo modo ab illo, seu litteris Sophistarum seu Catenis Tyrannorum turbandam fuisse. Ego pariter, si choreas, inquit dissimularem ante fores Ecclesiæ institutas, superborum impotentiam, & ava-

ritiam mercenariis injurioſam,& egenis inexorabilem non reprehenderem ; ſi tacerem de agris per vim viduis ereptis; ſi in Templi adytis nefarios homines ſuſtinerem : dicerer ſanè Demoſthenes Evangelicus, Bizantinus Samuel, & hujus ſæculi Joſias. At quoniam Chriſti flagellum vibro in eos, qui Templum Religionis in vitiorum ſpeluncas, Juſtitiæ Tribunalia in voragines rapinarum, Imperii ſedem in libidinis Aſylum convertunt : ideò ab armatis Cohortibus obſideor, ideò in Exilium me pellunt Eudoxiæ, ideò Aſſentatores & ambitioſi Epiſcopi, collecti ſinè Lege, ſinè auctoritate, & à dominante corrupti, me tanquam Mitrâ indignum, & ineptum regimini de ſede meâ dejiciunt. In hoc damnorum opprobriorúmque diluvio vos pariter ac me coronari floribus, & feſtos induere cultus oportet : habemus enim glorioſum & irrefragabilem teſtem virtutis noſtræ, cui ſanè nec mundus nec ulla Regia ſe opponeret, ſi ad improborum hominum

num indigna facinora cæci, non turres potiùs essemus Davidicæ in Divinæ Legis propugnacula contra Idumæam erectæ, semper Sionis Arci, & Testamenti Arcæ imminentem. Lubeat ipsum os aureum vexati Patriarchæ auscultare. *Minimè propterea perturbari debetis, verùm* HOC POTISSIMUM NOMINE LÆTARI, *& exultare, coronisque caput redimire. Nam* NISI MORTIFERAS PRIUS DIABOLO PLAGAS INTULISSEMUS, NON USQUE ADEO FURERET HÆC BELLUA. *Quamobrem tum* VESTRÆ FORTITUDINIS, *& victoriæ, tum ingentis* ILLIUS CLADIS *hoc est argumentum.* Ep. 5. ad Olymp. Tom. 4. 0. 18.

76. Ità nimirum Davidi Pastori usu venit. Hic, dum Cytharæ sono Principem recrearet, acceptissimus Aulæ fuit, meritúsque est Regis alloquium perfrequens ac quotidianum: simul ubi lyram fundâ, Symphoniam audaciâ, cantum classico, delicias Regis in conflictum, & Gigantis cædem mutavit, simul pro se quisque Palatinorum vocare il-

lum in invidiam apud Regem occeperunt. Rex ipse hastâ ejus jugulum appetiit, Filiæ nuptiis frustratum gladiis Philistinorum objecit: coëgitque per inhospitales scopulos & vastas solitudines exulare. Exclamat Augustinus in hac tam mirandâ Metamorphosi: hinc Saule favores in Furias, blanditias in vulnera, præmia in rapinas convertente: Davide verò Palatinas ædes in Cavernarum latibula, opiparas dapes in Exilii egestatem, Laudes, quibus à Summatibus illi plaudebatur, in ululatus Incircumcisorum commutante. Igitur effeminatis symphoniæ modulis regiorum conclavium Cortinæ panduntur, invictæ verò bellis fortitudini occluduntur urbes, exilia in rupes Ursis in-
In Psal. 33. festas imperantur? *Saul cùm provocan-*
Tom. 12, 81. *te Goliath æstuaret*, PROSTRATO GOLIA HOSTIS ESSE COEPIT, *per cujus manum hostem Deus necaverat*. Et tamen in tanta inimici Regis ira, & invidia Satraparum haud unquam triumphali exuli aut de veste lacinia, aut de
ver-

vertice capillus abstractus est. Vicit is semper, floruítque famâ, gloriâ, & auctoritate maximâ, ad Regnum denique & omnium Tribuum Imperium evectus. Adeò verum est, nihil obesse malevolentiam, cùm eam Virtus eorum, qui impugnantur, exarmat. Sic quotidianâ oculorum nostrorum experientiâ discimus, non modò nihil AURO carbones ignitos, fornaces succensas, gravia malleorum pondera nocere, sed etiam prodesse, cùm à scoria id secernant, & reddant illustrius. Sed alia straminis & palearum fortuna est; quas vel scintillæ afflatus in cinerem resolvit, & ventis ludibrium objicit. *Paleam in cinerem vertit*: AURO SORDES TOLLIT, ùt idem scribit Augustinus, & in nostrarum calamitatum solatium addidit. *In quibus habitat DEUS, utique in tribulatione meliores fiunt.* *In Psal. 21. Tom. 12. 38.*

77. Et ecce! tam nobilis Theologi manu à primi puncti, quod propositum erat, consideratione ad examinandum alterum, quod promiseramus, deducti

 su-

ſumus. Rideamus ſanè rugitus livoris & fremitus Iniquitatis, ſi nullâ noſtrâ culpâ ſeu ferali ſtridore perſonet mundus, ſeu latratibus impii obſtrepent. Nam niſì nos ipſi alimenta ſubdamus flammis, quibus in nos exardeſcunt, quantocyus intepeſcent, cùm notaverint negari fidem nequitiæ ſuæ, nec probitatis noſtræ radios fuligine opprimi, quâ noſtrum nomen maculare conati ſunt. *Exundans flamma*, DEFICIENTIBUS NUTRIMENTIS, *paulatim emoritur. Si anno præterito fama mentita eſt, aut certè ſi verum dixit.* CESSET VITIUM, CESSABIT ET RUMOR. In hunc modum Hieronymus ſolabatur Matronarum Romanarum calamitates, quarum famæ vulgus ideò infeſtum erat, quòd earum modeſtiam non ferret, & ex earum luxu curioſitati ſuæ ſpectacula, & nutrimenta voluptatibus ſuis miniſtrare percuperet. Nihil populi criminationes moremini, quæ niſì lactentur à vitio, continuò emoriuntur. *Ceſſet vitium, ceſſabit & rumor.*

Ep. 10. ad Furiam. Tom. 17. 60.

rumor. Simili planè ſententiâ S. Ambroſius Vercellenſem Clerum monuit in hunc modum. *Fœnum, ſtipula, lignum, alimenta ignis ſunt, ea ſi detrahas*, IGNIS SOPITUR. Tumultuetur licèt Orbis terrarum, minetúrque nobis altiora Chaldæis rogis incendia: tamen ad extremum omnia in delicias roris, & Zephyrorum lenes auras abibunt, nisì puræ inflammatæ ardorem, ligna, ſarmenta vitæ noſtræ tepor ſubjecerit. Quare terrores mei non à Furiis nos diſcerpentium naſcuntur, ſed ab imprudentia eorum, qui brachiis, à quibus vapulamus, vigorem miniſtrant. *Ep.82. ad Eccl. Vercel. Tom.4. 106.*

78. Nollem equidem id evenire nobis, quod S. Joannes Chryſoſtomus de ſui ſæculi Virginibus, thori maritalis exſortibus, & dedicatis honeſtati ſcriptum reliquit. Hæ quamdiu non caſtam modò, ſed etiam modeſtam, nullâ oculorum licentiâ, nullo veſtium luxu, à Conviviis & Theatris remotam, precum aſſiduitate & jejuniis exercitam vitam agitârunt, ſuſpiciebantur, adorabantúr-

que, si quando in publicum ad Oratoria prodibant, aut in domos ægris famulaturæ & solaturæ morientes intrabant. At subinde, cũ solo Virginitatis lilio contentæ, pudicitiæ mortificationem, Eleemosynam, Verecundiam non sociâssent, quot Spectatores tot irrisores nactæ sunt: miserantibus eas hominibus, quòd cùm tam fortiter dura sensuum prælia superâssent, vanitati deinde ornamentorum ac mundi muliebris, & confabulationum otiosarum, conviviorúmque deliciis succubuissent. Nolite indignari, exclamabat Chrysostomus, quod in communem referamini filiarum Seculi Censum, quo tametsi vos professionis vestræ nobilitas eximat, illis tamen & unguentorum illecebris, & ornamentorum opulentiâ, & sermonis humilitate vos aggregatis. NEMO JAM VIRGINEM DIGNO HONORE PROSEQUITUR, QUIPPE SE IPSAS HUJUSMODI HONORE PRIVARUNT. *Nam cùm viderit te*, CUJUS PROFESSIO EST CRUCIFIXAM ESSE

Hom. 8. in Ep. 1. ad Timot. c. 2. Tom. 50, 19.

ESSE MUNDO, *ea quæ virum habet, & liberos, & regimen domûs*, MUNDUM MULIEBREM MAJORI STUDIO PROSEQUI QUAM SE, *quid mirum si irrideat, & abjectam prorsus ac despicabilem putet?* Quòd si verò eas laudes desiderabatis, quibus Instituti vestri Fundatrices sunt ornatæ, sequi eas debueratis pariter in compositione morum, & omnimodâ separatione ab omnibus illis vitiis, in quæ feminæ thalamis affixæ prolabuntur: Si enim deprehendatur in vobis Verborum Sanctitas, oris pallor, copiæ lacrymarum, magnitudo animi, tanquam delapsæ Cælo animæ, ac Sanctioris vitæ formæ suspiciemini, velut à Deo Patre Sectatoribus Evangelii in hoc ipsum submissæ. Vestrâ igitur culpâ contingit, si vulgus vos aspernatur, & Clerus vitat. *Nónne eas oportuit ità in Ecclesiâ esse venerandas atque mirabiles, ac si* DE CÆLO DESCENDERENT? *At nunc despectæ penitus sunt* SUI VITII CAUSA. Equidem vereor magnopere, nè ali-

aliquâ ex parte ad nos ea reprehensio pertineat. Noſtri enim verò muneris eſt, ab omnibus vel ambitionis vel cupiditatis vitio irretitis, non aliter quàm ut redivivos è ſacris tumulis Apoſtolos, & Angelos carne velatos aſpici: omnis noſtra vox divinæ potentiæ æmula vivam Fidei lucem in Auditorum noſtrorum animis ſuccendere deberet. Omnis actio noſtra nisi virtutis ſuæ robore amorem Crucis accendat, & calumniarum ſulphur exſtinguat in iis, qui nobiscum verſantur, degeneres nos à Majoribus noſtris, & à normâ rituum noſtrorum arguit defeciſſe. Malè profectò Provinciam noſtram adminiſtramus, nisi Fideles omnes ad lacrymas, & quemlibet impium ad pœnitentiam ſolo noſtro aſpectu provocamus. Jam verò reputemus nobiscum, utrùm omnes tantæ Vocationis excellentiæ reſpondeant: agite, domo prodeuntes comitemur, animadvertamúsque, num ad eorum gravitatem religioſam peccantes expalleſcant. Audiamus, qui ad

ad eorum gravitatem religiosam peccantes expallescant. Audiamus, qui ad portas nostras privata colloquia ferunt, ac dispiciamus an seculares ad domicilia sua emendati, sanctísque desideriis inflammati, nec tam Spiritu Sancto pleni, quàm mundani fastûs inanes recedant. Cathedrarum nostrarum Oratores adeamus, & eorum numerum ineamus, qui dicentis rationibus persuasi ad Sacerdotum pedes provoluti peccata lacrymis delent. Si tales nos præstiterimus, quales nos Christus, cùm mundo exemit, esse voluit, dubitare neutiquam debemus, quin vel ab ipsis hostibus meritis laudibus extollendi simus. Quòd si nostrûm aliquis cum Ægyptiis & Pharaonis Ministris parem agendi, loquendíque modum tenuerit, non queratur, si tanquam unus de turba non adoretur ab iis, qui ejus teporem manifestis indiciis deprehendunt.

79. Et certè tanta calamitas, quâ Religionem Catholicam Gothorum & Hunnorum arma oppresserunt, à San-

ctissimis viris ejus ætatis Sacerdotibus, eorum videlicet negligentiæ in promovendo cultu Divino & salute populorum, nimiæque eorumdem diligentiæ in procurandis terrenis, tum suis tum paternarum domuum commodis attributa est. Audiamus, quibus tonitruis Gregorius temeritatem percellat alieno in opere desudantis, quâ vi lethargum excutiat muneris sui partes desidiosè ac somnolenter obeuntis. *Dum nos* COMPETENTIA NOBIS *relinquimus*, *&* NOBIS INCOMPETENTIA *cogitamus, peccata nostra barbaricis viribus sociamus.* ET CULPA NOSTRA HOSTIUM GLADIOS EXACUIT. Haud sum nescius id genus probri, omnémque tam acerbæ objurgationis causam à Societate nostrâ, si primarias ejus partes, totiúsque corporis habitum spectemus, procùl abesse, potissimáque ejus membra tam fœdâ lue planè intacta esse. Non ausim tamen inficiari penitus, quòd inter tot à damnatis illis negotiis remotissimos

Lib.4. Ep. 76. Tom. 32. 23.

pau-

pauci tamen aliqui versentur, quos Gregorii ferula nimiùm quantùm feriat. Quî enim ab expositæ labis maculâ ingerendi scilicet se rebus à munere suo alienis, absolvere illos possumus, qui consanguineis suis magistratus ambiunt; qui necessariorum aut domesticorum suorum causas tuentur, ac promovent? Qui passim narrationes Politicas, aut bellicos rumores venantur? Qui Palatia & Aulas frequentant, non eo consilio, ut Apostolicis monitis eos ad vitæ sanctitatem informent, à quibus illuc vocati sunt; sed ut Magnatum gratiam captent, & sub umbrâ potentium asylum sibi conquirant? Qui ex uno regno in aliud excurrent ad concludenda non animarum cum DEO Sponsalia, sed ut animos fastu tumentes conjungant, & negotia profana conficiant? Hæ, aliæque id genus occupationes, nimis profectò ab homine vitam Apostolicam professo alienæ sunt. Ista verò nostra Provincia, hoc munus est: prima Fidei Elementa pueris instillare:

Juve-

Juvenes in Litteris & bonis moribus erudire: Instituere, adultos: Improbos ad frugem reducere: Crucis horrorem Idololatris detrahere: Sacras Litteras hominibus non indoctis interpretari: Errores Hæresim olentes Magistratibus detegere. Qui harum rerum nullam curat, & in omnes alias profanus irruit, is demùm gladium offert, Religiosos Ordines impugnanti. Servet nos Bonum Numen, nec concedat, ut in nostris Collegiis amara lacrymantis Pontificis animadversio debeat audiri. COMPETENTIA *nobis relinquimus, & nobis* INCOMPETENTIA *cogitamus.* Triremes erudire, carceres visitare, Xenodochia lustrare, Sylvas ad Evangelii sementem accipiendam excolere, laborum nostrorum materies, & desideriorum meta sunt. Sunt è contrariò ab Hierarchia nostra prorsùs aliena munia, urbanarum artium, animadversionum politicarum cognitio, secularium cupiditatum notitia, profanarum historiarum scientia, necessitudinum

num illuſtrium otioſitas: frequentare commercia quæſtuoſa, legere vel delirantes Aſtrologos, vel Poëtas phreneticos, illuſtres ortus, & invidioſas amicitias oſtentare. In quos labyrinthos qui pedem intulerit, ſemper ille criminationibus illorum hominum erit obnoxius, qui, cùm ſeceſſum à publico, religioſámque ſolitudinem non probent, nævum omnem, quem in hominibus, quos DEUS à ſæcularibus vanitatibus ſecrevit, ceu mortiferam Gangrænam, & exitioſam luem ſermonibus paſſim traducunt. Quare, ut ora occludas perfidiæ Cerberis, latratus compeſcas, Draconum fauces elidas, ut nè innocentiæ noſtræ lucem convitiorum fumo inficiant, unica demum ratio erit, te intra noſtrorum miniſteriorum confinia tenuiſſe. Academias videlicet doctrinâ illuſtrare, ſacra volumina exponere, animos ab interitu vindicare, Civitates atque Provincias ad execranda vitia & Recti amorem impellere. Quodſi à nobis Babylonii Cives Chriſtia-

ſtianæ perfectionis præcepta didicerint, deprehenderíntque è labris noſtris ſolas de Æternitate, de Virtute voces prodire, togas noſtras deoſculabuntur, eáſque Regum Byſſo, & Conſulum purpuræ anteponent.

80. Gravem hujus rei auctoritatem in Sacris Canticis habemus. In iis reperiemus Sponſam ſemel atque iterum in Solimarum Excubias incidiſſe, tam diverſâ fortunâ, ut, cùm primâ vice comiter eam ſalutâſſent, atque omni genere obſequii coluiſſent; liberúmque inſuper transitum ad Sponſum, cui parabat occurrere, ultro conceſſiſſent; ſubinde injuriis & vulneribus afficerent, regio cultu ſpoliarent, & rubore perfuſam, cruoréque fœdatam in publico deſtituerent. Sanè tam inſignis diverſitatis cauſam petenti, perplexa mihi divinatio foret, niſi Divini Epithalamii verba ipſa tanti diſcriminis ænigma diſſolverent. Eo tempore, cùm ab armatis optima Virgo reverenter eſt habita, de Meſſia cum illis colloquebatur: ideóque

que quæstionis sanctitatem comitate responsi prosequuta militum cohors est. *Invenerunt me Vigiles, qui custodiunt Civitatem. Num* QUEM DILIGIT ANIMA MEA VIDISTIS? *Paululùm cùm pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea.* Aliter verò illa egerat, cùm ab Arcis præsidio interciperetur: Nihil enim de Verbo Æterno iis nunciaverat, adeóque de Mysteriis Divinitatis mutam pulsârunt, vulnerârunt, & purpurâ exuerunt, quâ scilicet indignam illam reddiderat sanctarum quæstionum silentium. *Invenerunt me Custodes, qui circumeunt Civitatem, percusserunt me, & vulneraverunt me, tulerunt pallium meum mihi.* Tam diversa eventa considerans Sanctus Ambrosius, ità nos monet, instruítque: *Quâ ratione suprà non tulerint pallium, hæreo reperire, nisì fortè quia ibì inter rogâsse se dixit: Numquid, quem di exit anima mea vidistis?* QUÆ CHRISTUM LOQUEBATUR NEC EXUTA EST PALLIO, ET, QUEM QUÆ-

Cant. 3. 3.

Cant. 5. 7.

Serm. 7. in Psl. 118. Tom. 4. 1. 77.

QUÆREBAT, INVENIT. Per nos ſtat, ut ab omni hominum genere, quamvìs ſoluto & effreni; quales ſcilicet, ùt plurimùm, eſſe ſolent, quos Galea tegit, & armat Lancea; vel promptæ benevolentiæ indicia, vel obſequioſam venerationem auctoritatémque nobis conciliemus. Si ſanæ doctrinæ flumina, & cæleſtium exhortationum flammas paſſim ſparſerimus, ſe ſe nobis quantumvis ſanguinariæ mentes, & celſæ frontes in vindictam, in vitia, ruentûm ſubmittent. Ipſa quoquè coronata gemmis capita, ex ore noſtro pendebunt, ſi crediderint, ſe aut rectè vivendi, aut ſanctè imperandi præcepta reperturos. Quâ enim aliâ cauſâ permotos eſſe putatis Evropæ Principes, ut in Ditiones ſuas primos Ignatii ſocios vocarent; ut tantâ magnificentiâ Societati Domos ac Templa conderent; ut celeberrima quæque Regnorum ſuorum Lycæa Theologis noſtris ac Magiſtris concrederent; niſi quòd renovatam quodammodo Pentecoſten experiren-

rirentur in iis, qui à Doctrina Sacerdotum nostrorum, & Confessariorum absolutione pendebant? *Quæ Christum loquebatur, nec exuta est pallio, & quem quærebat, invenit.*

81. Quodsi diversâ ratione nobiscum hâc tempestate agitur, signum est refrixisse jam linguas nostras, paucorum quidem culpâ, sed quorum operam præ modestis & eruditis vel nos ultro, vel ipsis se se obtrudentibus, adhibemus; nec audiri jam fervidas illas sententias, quarum apud primos Patres nostros tantus proventus, tanta ubertas erat; ut earum vi atque efficacitate pessimis moribus, quibus seculum illud miserum in modum depravatum erat, totas Provincias expurgarent. In nos hodiéque Regnantium nos advocandi, fovendíque duraret clementissima sollicitudo, quâ tantopere in ortûs sui infantiâ nomen nostrum complexi sunt & illustrârunt; si prorsus Apostoli, aut potiùs Seraphini fugeremus gloriam, & laborem quæreremus, nec aliâ, quàm

animarum siti flagrantes, non nisi Gentium Baptismo lustratarum, & Schismaticorum Ecclesiæ redditorum Oceano restinguendâ. Quia verò nostrorum aliqui exiguâ illâ frequentiâ contenti sunt, quam iis faciunt Nobiles aliqui, ac Matronæ, dum noxas suas pro pœnitentiæ Tribunali sedentibus manifestant: aut quia satis habent, si scholarum Theatro placeant, nec porrò Missiones ærumnosas, peregrinationes remotas, laboriosas vigilias suscipiunt; indè fit, quòd minori observantiâ colant, quos tanquam Magistros Virtutis, & Ideas sanctitatis expectabant. Haud sanè auderem paucorum illorum pudori ac probro, qui per domos nostras non legitimis ignibus ardent, fabulosi illius Herculis, quem Idololatrarum nulla non pagina jactat, comparationem adducere, nisi eâdem, S. Ennodius Papiensis Antistes, degeneres animos suorum Clericorum, jam antè castigâsset. Nuper admodum, inquiebat ille, Leonum Exuviis tecti, & ferratâ

ratâ clavâ terribiles Ecclesiam à Monstris tuebamur, & terrorem inferebamus peccantibus: nunc molliter exculti, sed nec Petri pugione, nec Pauli ense instructi, non jam peccantium terror, sed ridentium fabulæ, & ludibrium sumus. Non est tam abjectæ conditionis homuncio, qui risum nos non faciat, nec ullus ferè stylus vacat, qui ad fodiendam vitæ nostræ damnabilem mollitiem acumen suum non exerat. *Jam duratas spiculis manus*, AD CALATHOS FRANGEBAMUS, *& illos humeros*, *quos* SPOLIATI LEONIS TERGA CALEFECERANT *auro distincta, vel murice, palla claudebat.* Neque verò Præsul integerrimus in omnem Clerum ista dicebat, in quo multi retinebant Ecclesiastici characteris decus; atque ego pariter paucissimis Filiorum Ignatii Heroicæ Virtutis, quæ in antiquis illis Cœtûs nostri Ministris eluxit, jacturam objicio. Id quidem in commune pronuntio, vitari nunquam posse calumniarum morsus, si notetur in

Dict. 25. Tom. 27. 241.

Religiosis nescio quæ virtutis mediocritas, quæ corpore tenus à paternis ædibus avulsa, animo interim ab amore stirpis non refigatur; sic ut velut inter utrumque volantes, & contermini populi, nec prorsus se Christo dedicent, cùm ad res caducas animum referant, nec penitus à Lucifero secedant, à cujus præstigiis in speciem quidem oculos avertunt, ad eadem tamen animos identidem reflectunt. Atque inde fit, ut hinc quidem Divina Providentia nos, non ùt suos amplectatur, subtrahátque præsidia; Illinc verò Reipublicæ humanæ odium incurramus, indignè ferentis, nos suæ potestati subtractos. Haud satìs exponam quid sentiam, nisì lacrymabiles querelas Origenis retulero, cùm adeò severè in Neophytos inveheretur, qui mediocritate quâdam Fidei fascinati, non quidem thure colebant Idola, sed ea tamen non conspuebant, nec pedibus conculcabant: Trinitatem adorabant illi quidem, nec tamen ejus amore divitias abjiciebant;

nec,

nec, cùm Crucem colerent, ejus venerationem voluntariis pœnis testabantur. Tam noxiâ ambiguitate, inquiebat eos redarguens Scriptor eximius, Cœlum vobis occluditis, nec Inferos obseratis, atque ideò Angelis ob vitæ teporem, & Dœmonibus ob Deos relictos ex æquo invisi Tyrannis in prædam ceditis, Cœlo vobis negante præsidium. *Velut in confinio quodam positi* ET ILLOS OFFENSOS PATIMUR, *quos refugimus, & dominum, ad quem confugimus* PROPITIUM NON EFFICIMUS; QUEM NON EX TOTO CORDE DILIGIMUS. *Usque quo claudicatis utrisque genibus vestris, & ab aliedenis* TANQUAM FUGACES CÆDIMUR, *& à nostro Domino tanquam instabiles & dubii* NON DEFENDIMUR. *Hom. 8. in 20. Exod. Tom. 39. 65.*

82. Quapropter à seculi vanitate penitus alienam vitam exigamus, certóque nobis persuadeamus, nullius deinceps molossi latratus audiendos. Erubescet Perfidia fingere, quod credi nequit.

 quit.

quit. Sic apud Hieronymum legimus, nullum unquam vel ex Arianis, vel ex Ethnicis extitiſſe, qui famam Epiphanii
Ep. 61. ad Pammach. Tom 17. 259. macularet. *Tantæ enim venerationis ſemper fuit*, UT REGNANTES HÆRETICI IGNOMINIAM SUAM PUTARENT, *ſi talem virum perſequerentur.* Sic pariter advertit Chryſoſtomus, nullum penitus Phariſæorum, Græcorum, Romanorum tam impudentis mendacii periculum feciſſe, ut Apoſtolis auderet, vel impudicitiæ, vel avaritiæ crimen objicere, ſed omnem rabiem ſuam circumſcripſiſſe iis terminis, quòd ſectæ incredibilis auctores, & ignotæ
Hom. 10. in Ep. 1. ad Timot. Tom. 50. 23. Divinitatis Præcones appellarent. NULLUS UNQUAM APOSTOLIS *aut fornicationis, aut avaritiæ crimen objecit, tantummodo ſeductores appellati ſunt.* Quippe qui contra ſolem declamans, otioſum & obſcurum eum diceret: non is pulcherrimi Sideris ſplendores infamaret, ſed Auditorum in ſe violentas manus provocaret. Eodem prorſus modo ubi manifeſta innocentia, &

insignis virtus est, omnis obtrectator obmutescit, veritus, nè os sibi à populo lapidibus obstruatur. Tantumdem Chrysostomus subdidit. *Quemadmodum denique nemo obscurum diceret solem, nè si cœcus quidem fuerit, erubescit quippe opinionibus omnium adversari: ita & eum*, QUI NIMIO FUERIT DECORE CONSPICUUS, *atque morum honestate illustris*, NULLUS PROFECIO CULPARE PRÆSUMIT. Tunc demùm ululatus Faunorum, Milvorum stridores, Vesparum aculei, rictus Tigrium timeantur, si quando (quod quidem absit, ut etiamnum abest) nostram Vocationis dignitatẽ fœdâ gloriæ inanis & caducarum voluptatum cupiditate dedecoraremus. Simul ac mundus inter nostros fugacis fumi minimam Umbram, aut mendicatorum commodorum semen deprehenderet, simul malignissimis rumoribus nostrorum munerum famam Regionibus omnibus differret. FRUSTRA IRASCIMUR OBTRECTATORIBUS NO- *Epist. 14. ad Celant. Tom. 17. 86.*

NOSTRIS, *si eis obtrectandi materiam ministramus. Cesset vitium, cessabit & rumor.*

83. Neque profectò est inter Redemptoris famulos prodigium ullum, quod majorem iis auctoritatem concilict, efficaciúsque calumniantium ferociam retundat, quàm si videantur Pacis & Charitatis mutuis nexibus esse conjuncti. Hæc animorum ac sermonis concordia Consulum sellas currules & Regum Thronos Sedibus Apostolorum substravit, cùm audirent singulos linguis omnium loqui, & viderent omnium eorum, qui Evangelii jugo colla subdiderant, unam animam, unum Patrimonium esse. Exclamabant attoniti: Ecquis non adoret Heroës istos, qui ad diversissimas Nationes proprio singularum idiomate verba faciunt, ceu nati, educatíque essent sub omnium Cœlo, & universorum patria? *Repleti Spiritu Sancto cœperunt omnium linguis loqui* QVI IN VNA NATI ERANT. *Expaverunt, & exhor-*

horruerunt TANTVM MIRACVLVM *millia eorum, qui crucifixerunt Dominum, compuncti corde de tanto miraculo, quæsierunt Consilium ab Apostolis, quid facerent. Prædicatus est eis Christus, mirantibus, unde homines* LINGVIS OMNIBVS LOQVERENTVR. Nihil dubitemus unquam fore, ut nos existimatio illa deficiat, quam per Superius seculum Majores nostri nobis collegerunt, si, quemadmodum fecimus hactenus, in tanta animorum, domiciliorum, voluntatum, rerum omnium conjunctione perseveremus, ut exterus inter nos vocetur nemo, & quilibet in unaquaque Societatis Domo, quamvìs procul à Patria sua, alióque in Orbe positâ sic vivat, ac si in ea à primis Religiosæ vitæ temporibus commoratus fuisset. Rapitur sanè in admirationem mundus, cùm ab omnibus terræ plagis concurri videt ad hanc Domum, & Advenarum quemlibet eâdem mensâ uti; ex eodem vestiario amiciri; arcanissimis consiliis interesse; in co-

S. Aug. in Psal. 138. To. 12. 457.

in eorum usum impendi, quidquid DEVS vel necessitatibus nostris, vel studiis, vel etiam relaxationibus subministrat. Adde cùm Provinciæ unius Indigenæ aliarum incolas commendent; cùm rebus remotorum Collegiorum non minùs, quàm propriis studeant; cùm unumquodque domicilium, si alterius necessitatibus prospectum fuisse intelligat, id perinde accipiat, quàm si sibi fuisset consultum; cùm preces non minùs fundantur pro iis, qui beneficiis Septentrionis Vniversitates exornant, quàm pro aliis, qui Academias Occidentis & Orientis instaurant; cùm domus non magis quàm pectora pandantur iis omnibus, qui Patrem agnoscunt Ignatium; cùm Præsidi, & ejus loci disciplinæ advena æquè, atque incola subjaceat. Hæc demum faciunt, ut homines nos tanquam fraterni amoris miracula, & primorum Fidelium Ectypa demirentur. *Mirantibus unde homines* LINGVIS OMNIBVS LOQVERENTVR.

84. E contrario, ſi quando tectorum animorúmque communio non nihil remitteret, adeò, ut ſi non quidem ab exilio diſcordia revocaretur, verùm unaquæque Provincia ita pro ſuis alumnos ſuos agnoſceret, ut non omnibus communes putaret; reconvaleſcerent ſanè legum noſtrarum Adverſarii, & Inſectatores, quos concordia noſtra repreſſerat, & in aciem ad nos debellandos impetu facto prodirent. Vix enim Lothi greges ab armentis Abrahami ſe diviſerant, cùm ocyus in diviſorum Patriarcharum perniciem funeſtum Chananæorum ac Pherezæorum nomen inſonuit. Teſtes vobis ſacras paginas produco. *Facta eſt* RIXA INTER PASTORES GREGVM. *Abraham & Loth. Eo autem tempore Chananæus & Pherezæus habitabant in terra illa.* Viſa eſt inimicæ flammæ fomitem præbuiſſe facta inter geminorum Viatorum greges diſceſſio: Semper itaque magìs ac magìs mutuò adſtringamur, ſemper magìs in Chriſti vineis excolendis deſudemus, nullis labo- *Geneſ. 13. 7.*


laboribus, nullis induſtriis parcentes: ſemper magis certos reddamus mundanos homines, non aliud ab illis nos petere, quàm æternam animarum ſuarum ſalutem: & deinceps Provinciarum noſtrarum curam Deo ſecuri committamus. In hunc modum ad Brunechildem Franciæ Reginam ſcripſit Gregorius Pontifex. *Facite quod Dei eſt*, ET DEVS FACIET QVOD VESTRVM EST. Qui, protegente ſe Deo exercituum, pavet, lepus eſt, Qui novit, excubare ad ſui conſervationem Jeſu oculos, nimis ignavè metuit, ſi ſerpentum ſibilis terretur. Tum enim verò impetus hoſtium formidandi ſunt, cùm Deus tepore noſtro offenſus in ruinam noſtram ipſe incumbit. Cæterùm ſi pius, ac miſericors, ſi noſtræ voluntatis conſiliorúmque omnium ſinceritate placatus, ſuis nos ulnis fovet, ſinamus ſanè, Inferi, Orbíſque terrarum univerſus in nos ruant, & tam Aquilones Deſerti domicilia noſtra concutiant, quàm Gigantes è Regum aulis corpora noſtra im-

Lib. 9. Ep. 61. Tom. 2. 74.

impugnent, ſemper enim immoti parietes noſtri, & victricia membra perſiſtent. Hoc ipſum Paulinus Victricio edixit. *Ideò inconcuſſum & ſtabile permanſit Candelabrum tuum*, QUIA MANIBUS HUMANIS IMPELLEBATUR, *ut caderet: non autem merebaris, ut illius manu in ruinam commoveretur, qui habet ſeptem ſtellas.* Quæ ſi vera ſunt, rectè quidem ego Patribus Congregatis pro longæ peregrinationis ſolatio dixi. SINITE UTRAQUE CRESCERE: cùm inſectatio ſit innoxia, ſi protegat virtus: quinimo, mirum in modum odium perverſorum probos juvat, niſi dentes illis ad nos mordendos degener à virtute diſceſſus exacuat. Hâc nos ſemper obarmet, coronétque Chriſtus, quemadmodum eâ Majores noſtros coronavit, & in hanc usque diem pro ſuâ pietate nos quoque ipſos coronat. Ita ſemper eveniat precor.

Ep. 1. ad Victr. To. 52. 107.





EXHORTATIO VIII.

In Pervigilio S. Ignatii.

Os Justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium. *Psal.36.*



Uemadmodum S. Joannes Chrysostomus in Pauli sepulchro Apostolicos adorandi ardentissimo desiderio flagrabat; sic ego Societati universæ Linguam Ignatii devenerandam propono. Jam verò sicut S. Pater ea Socios inflammavit domi, & in Templo ad se accedentes consolatus est: ita nos ejus Filii, nos pariter & proximos inter colloquendum accendamus, ut subinde Charitatis mel eorum pectoribus instillemus; qui ad pedes nostros pec-

peccatorum virus, & doloris lachrymas effundunt. Hâc ratione veros Afflictorum & sua commissa damnantium Patres, servatorésque nos præstabimus.

85. SAcratissimum Sancti Parentis sepulchrum hæc prima, & primaria Societatis Domus possidet, ad quod ex omnibus Mundi partibus sic omnes Ignatii alumnos existimo animos oculósque convertere, quemadmodum Joannes Chrysostomus ad Pauli Apostoli sacra Lypsana cogitationes, amorésque reflexerat. Exclamabat ardens eorum visendorum studio Patriarcha, invidebátque Romæ, quæ in Catacumbis suis inæstimabilem thesaurum Apostolicorum ossium asservabat. *Quis mihi dabit circumfundi corpori Pauli, affigi sepulchro, videre pulverem oris illius?* Cedens subinde fidelibus ejusdem spectaculi cupidissimis omnes corporis illius Apostolici sacros

artus, qui divini nominis gloriam per tot Provincias & Regna propagaverant, Christúmque ipsum quodammodo Mundo repræsentaverant, Angelico sensu, vocibúsque Seraphicis inclamabat: Vobis sanè Pauli pedes vindicate, qui tot Provincias in facienda Evangelii semente percursârunt, quíque tam sæpe pro defendendâ Fide barbarum in morem nummellis inclusi fuerunt: occupate manum illam, quæ tot scriptis Epistolis Neophytos suos erudiit, & morsum viperæ venenúmque risit innoxia: humeros illius permitto vobis tam sæpe flagris ab impiis hominibus concisos, quíque tam generosè Messiæ Crucem obstinatissimisquibusque Provinciis Ethnicorum intulêre. Vestri juris sit illa inter opprobria tam infracta frons, oculi Cælo semper affixi, ac quidquid denique de illo reliquum est, quamvis omnia ejus membra totidem Divinitatis sanctissima instrumenta extiterint, potestati vestræ transcribo, dum mihi labra illa, linguam illam conceda-

cedatis, quæ S. Spiritûs Organum, & Verbi Æterni Tuba effecta ſuorum argumentorum efficacitate Dæmonem ex hominum animis ejecit, peccatis expurgavit populos, æternæ veritatis monita in celeberrimas Imperii Latini Regiones invexit. *Quis mihi dabit videre* PULVEREM ORIS ILLIUS, *per quod Chriſtus locutus eſt, per quod Paulum didicimus, & Pauli Dominum? Si enim Dæmones veſtimenta ipſius horruerunt, multò magis vocem. Ipſa vinctos illos egit, orbem terrarum expurgavit, vitium expulit, veritatem ſuperinduxit.* Idem ego quoque, amantis Doctoris deſideria imitatus, votum mihi eſſe hodiernâ luce profiteor, dum ad ſacras exuvias Beati noſtri Legislatoris provolutus, ipſius ac meis Filiis nobiliſſimam prædam Arcæ ſepulchralis permitto. Diripite venerandi corporis pedes, quos tam longæ peregrinationes è Septentrione in Italiam, ex Italiâ in Palæſtinam, conſecrârunt; manum ſublegite, quæ nobis vitæ Apoſtolicæ formam deſcripſit,

Hom: ult. in Ep. ad Rom. Tom. 42. 199.]

ſcripſit, & quæ ſuper Aram gemino lachrymarum & flammarum diluvio toties æterno Patri coævum Filium immolavit; Reponite in Sacrariis veſtris humerorum illorum ſacras reliquias ob conſervatam Sponſis Chriſti Virginitatem, & ob correctam impietatem Cœlo injurioſam ad mortem usque non ſemel fuſtibus mulctatorum; Pietati veſtræ prædam relinquo S. Patris oculos, quibus, cùm ſtellas aſpiceret, Roma ſordebat; Vindicate vobis, nihil veto, communis Parentis viſcera tam duris excruciata jejuniis, membra flagellis laniata, Caput cæleſtibus viſis, diſciplinis æthereis, arcaníſque à DEO ejus menti infuſis illuſtratum. Opimum mihi, ſed mihi pariter ac vobis ſpolium ſepono. LINGUAM IGNATII, quæ tot improbos in virtutis ſemitam reduxit; tot alios erratorum ſuorum pœnitentes ad Sanctè vivendi rationem inſtituit; tot depravatas conſuetudines ſuſtulit; tot virtutes inſeruit: quæ cùm magnam Orbis partem repe-

reperisset, quam in errorum sentinam, hæresum Chaos, Inferorum Voraginem, Dei oblivio, noxarum infamia, Sacrilegiorum pervicacia converterant, eam illa, brevi temporis spatio, frequentiâ Sacramentorum, Templorum majestate, sanctitate concionum, institutione Academiarum, Theologiæ vigore, fervore Missionum in Ecclesiæ primævæ formam, in Cænaculi Sionis imaginem, in alteram Jacobi Scalam, securum ad beatitatem nitentibus ascensum præbituram effinxit *Quis mihi dabit videre pulverem* ORIS ILLIUS, PER QUOD CHRISTUS LOCUTUS EST? Sanè de Ignatii etiam linguâ fas est dicere: *Hæc orbem terrarum expurgavit, vitium expulit, veritatem superinduxit, Christum habuit inhabitantem.* Eam ille ad impiorum terrorem exprompsit IN FORO, ad stimulandam perficiendámque virtutem adhibuit DOMI, ad frangendam obstinatorum pertinaciam usurpavit IN TEMPLIS; atque in tres hasce partes omnis

mea dividetur Oratio: quibus vos, méque ipſum excitabo ad ſerendos de Deo ſermones in ædibus proximorum, ad inſtituenda in noſtris ſuper eodem colloquia, & ad piè in ſacris ædibus diſſerendum. *Os juſti meditabitur ſapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.* Sic egit S. Pater, & Filii ejus agent omnes.

86. Quapropter pietati veſtræ os Sancti Parentis expono, quod ſermonibus ſuis Europam, ſuorúmque oratione geminas Indias conſecravit. *Hæc Orbem terrarum expurgavit.* Equidem Ignatius Rempublicam Chriſtianam neque tam docilem, neque tam eruditam, neque tam bonis legibus temperatam, qualem nobis ejus induſtria tradidit, acceperat. Perinde ſiquidem illi ac Joſuæ uſu venit, cujus expeditionibus obſtabat Jericho muris vallata, &
Joſue 6. 1. propugnaculis communita. *Jericho autem clauſa erat, atque munita.* Concidit autem illa non machinarum vi, non oppugnantium ferociâ, non obſidii

ſidii morâ, non actis in terram cuniculis: ſed Levitarum modeſtia, ſacer Eccleſiaſticarum Tubarum ſonus fortiſſimæ Urbis aggeres diruerunt, ac mœnia ſolo æquârunt: gradientis exercitûs ſilentium, agminum ordo, & ſacer clangor, quem Deo dicata ora edebant, debellârunt infideles, & fortiſſimum illum obicem, qui Dei populum à Terræ Sanctæ poſſeſſione morabatur, removerunt. *Spectaculum admirabile* (inquit S. Chryſoſtomus) *tot millia* NUMEROSE INCEDENTIA, HONESTEQUE AC DECORE CUM MODULATIONE OMNIA GESSISSE. Id ſcilicet cum Ignatio primi ejus Socii præſtiterunt, acceſſerunt ad Urbes aut nutantes in caſum, aut everſas, tantâ motuum omnium compoſitione, tam Angelicis moribus, tam Apoſtolico ſermone, tam ordinatis, & à mundo alienis affectibus, ut illis ſe dederet mundus. HONESTE *ac decorè omnia geſſiſſe.* Sermonum Harmoniæ, excellentiæ Doctrinæ, nobilitati finis, quem ſibi præſtituebant,

In Pſal. 43. Tom. 3. 2. 74.

bant, nemo propemodum auſus eſt repugnare. Quapropter Iſraëlitarum more hoſtilem Urbem, modeſtiâ potiùs, quàm armis, imò citra ſagittarum jactus ſolo concentu expugnârunt. Ita glorioſi Fundatoris noſtri Sectatores ſubjugatæ Jerichuntis excidium, emendati mundi victoriis renovârunt. *Jericho* (proſequitur Chryſoſtomus) SALTANTIUM POTIUS, QUAM BELLANTIUM RITU DIRUERUNT: *armati enim, non tanquam ad pugnam, ſed tanquam ad concionem feſtúmque egreſſi ſunt.*

87. Diruerunt? nihil minùs: quippe Societatis Sacerdotes ab Hebræis exercitibus prorſus diverſi Jerichuntem non vaſtârunt, ſed in Jeroſolymam commutârunt, & ex infami urbe, libidinum aſylo, blasphemiarum ſentinâ, expurgatam Sionis Arcem, ſacrarium Divinitatis, & divinarum præceptionum Oraculum effecerunt. Quamobrem Sermones noſtri vocibus, quas Divini Verbi Mater protulit, ſimiliores, quàm

quàm tubis Mosaicorum Levitarum fuêre. Audite. Vix Zachariæ limen Virgo subierat, cùm ex anima Joannis Originariam labem delevit, & Genitricem pariter ac Prolem Sancto Spiritu impletam ad fatidicas saltationes & divina vaticinia excitavit. *Ut audivit salutationum MARIÆ Elizabeth, exultavit infans in utero ejus: & repleta est Spiritu Sancto Elizabeth, & exclamavit voce magnâ.* Luc. 1.41. Trium deinde spatio mensium, quos in eâdem domo Virgo Parens exegit, singuli ejus motus, syllaba quælibet, aspectus omnes perfectissimam scholam absolutissimæ sanctitatis familiæ illi universæ aperuerunt. Eò loci non eam affinitatis necessitudo, vel hospitum officia tenuerunt, sed ob solum unicúmque illius divinissimi hospitii emolumentum Angelorum Regina moram produxit. *Mansit autem Maria cum illâ mensibus tribus;* NON ENIM SOLA FAMILIARITATIS EST CAVSA, *quòd diu mansit;* SED TANTI VATIS PROFECTVS. Hinc est,

est, quòd de Baptistâ nihil pueriliter, nihil inconsultò gestum narretur; quin vix nati asperum vivendi genus describitur: quippe divinissimæ Puellæ præsentiâ ad Sanctissimæ vitæ laboriosissimos cursus capiendos confirmatus est, virgineorum labiorum vocibus, puerum licèt ætate, in virtutis Athletam fingentibus. *Tempus*, (utì Sanctus scribebat Ambrosius) *siletur Infantiæ*, EO QVOD PRÆSENTIA DOMINI MATRIS IN VTERO ROBORATVR, *infantiæ impedimenta nescivit. Et ideò in Evangelio nihil super eo legimus, nisi ortum ejus, & oraculum, exultationem in utero, vocem in deserto.* Quod illibatæ Puerperæ exemplum Præcursores, antè quàm nascerentur, Filio parantis, secuti Patres nostri vel ipsis verborum officiis ac salutationibus (tanta nascentis Societatis Virtus erat) vitia profligabant, & emendabant vitiosos. *Ut audivit salutationem Mariæ Elizabeth, repleta est Spiritu Sancto.* Non faciebant veri Christi servi verbum ullum, quod vel inane

Lib. 1. in Luc. Tom. 43.54.

inane officium, vel vanitatem ſaperet; ſub primas Vrbanæ ſalutationis voces tantas religioſi fervoris flammas diffundebant, ut quisquis eos audiret, aut noxas deploraret ſuas, aut novo lucro virtutis ditatus geſtiret. Tantumdem erat videre, audiréque Alumnum Ignatii, multóque magìs Ignatium ipſum, ac inſtauratæ quodammodo Pentecoſtes prodigia in animo ſuo perſentiſcere, quæ arcanis flammis depaſceret, quamcunque rubiginem immoderatæ affectionis reperiſſet; & quemadmodum ad primos orientis ſolis radios, terræ omnes illuſtrantur, ſic ad noſtrorum Operariorum præſentiam niſi domus quælibet profanorum operum tenebras in æternorum deſideriorum lumina commutet, Patris noſtri nec Filii, nec Miniſtri Evangelii ſumus: De his certè illud extat Jobi Oraculum. *Et in viis tuis* Job. 22.28.
ſplendebit lumen. Quisquis igitur Apoſtolicam vitam profitetur, niſi tanquam luminare quoddam Fidei quâcumque locorum commeat, ubicumque terrarum

rum degit, ac loquitur, caligines dispellat, & ſpargat lucem, de tanti nominis gradu dejicitur, & Senatûs Apoſtolici majeſtatem imminuit. Quodſi ſub tanti Ducis vexillo Chriſti Cruci affixi es Miles, par eſt, ut è viſceribus eorum, qui tecum verſantur omnes peccati fibras penitus evellas, nullo in mentibus Auditorum tuorum ne veſtigio quidem Luciferi, aut improbitatis umbrâ relictâ. *In viis tuis ſplendebit lumen.* Habetis abſolutam ſanctorum Miſſionariorum, & verarum Chriſti Operarum deſcriptionem. *In viis quippe juſtorum ſplendere lumen eſt, per mira opera virtutum ſigna ſuæ claritatis aſpergere,* VT QVOCVNQVE PERGVNT, AB INTVENTIVM CORDIBVS PECCATI NOMEN EXCVTIANT. Hinc jam colligat unusquisque noſtrûm, an ſibi Juſti cognomen conveniat, & Prolis Ignatii, nempe ſi juventus Gymnaſiorum noſtrorum ſine labe vitam exigit; ſi qui ædium noſtrarum portas frequentant noxarum fuligine

Lib. 16. Mor. c. 11. Tom. 33. 264.

gine tincti non ſunt; ſi amici ac familiares noſtri mori priùs, quàm fœdari malunt: ſi, qui nuper Baſiliſcum referebat aut Tigrem conſuetudine noſtrâ in agnum & columbam tranſierit; tum enim verò in cenſu ſumus eorum quos deſcripſit Gregorius. Quodſi verò in animis eorum, qui ad nos ſe conferunt, delicta duraverint & in pravam conſuetudinem induruerint, argumento ſcilicet eſt, non abſiſtere ſcintillas à labris noſtris, neque à vultibus noſtris zeli ſplendores dimanare, quibus intuentes caſtigentur, emendentúrque qui nos audiunt. *Ut quocumque pergunt ab intuentium cordibus* PECCATI NOMEN EXCVTIANT. Ad aſpectum Ignatii ipſi etiam abortus Synagogæ, ac monſtra, Religioni naſcebantur in filios, & ad unam ejus vocem Neophytus, qui ad execrandæ ſuperſtitionis ſordes transfugium meditabatur, aures Chriſtianæ inſtitutioni reſtituit, & Baptiſmo cervicem ſubmiſit. Quot Vrbem Lamiæ, ejuratâ laſciviâ, Clauſtris ad

ad decantandos Psalmos deflendáque sua peccata se abdiderunt, quas S. Pater vel minarum tonitruis perculerat, vel sermonis suavitate pellexerat? Imò ante constitutam Societatem qui supplicium illi paraverat, illius frontis lumine consternatus ad ejus genua provolutus facti veniam poposcit; alius qui stricto pugione in ejus cædem rapiebatur, abjecit arma, & à parricidio manum continuit. Quid multis? Agitur in fugam impietas, ubicunque se spectandam Apostolici Viri species obtulerit, *ut quocunque pergunt ab intuentium cordibus* PECCATI NOMEN EXCVTIANT. Ejusmodi argumentum ac nota veluti gladius quidam utrâque parte acutus in animum meum se penitus adigit, quotiescunque deprehendo non omnes, quos vel è cathedris, vel ad portas, vel in Templis instituimus, vitam ab omni levitatis aut turpitudinis labe immunem exigere.

88. Nec credat quisquis eos, quibus cum agit, pietatis sensu non afficit, vul-

nus

nus ſe mihi obligaturum, ſi dicat: oportere nos ex præſcripto Magiſterii Apoſtolici mundanis hominibus ingreſſum ad colloquium permittere, ut noſter ſubinde ſucceſſurus ſit. Primùm enim id reſpondeo, eſſe forſan nonnullos, qui cum illis incipiant, proſequantur cum illis, & poſt menſes & annos colloquium & conſuetudinem cum illis finiant. Ajo deinde, id Axioma expoſitione magnopere indigere. Quemadmodum enim dare aliquid nonnunquam inveteratæ ruditati eorum, quos penes exigua Chriſti cognitio eſt, haud abs re fuerit; ita longè abſurdiſſimum foret, ſi dum alios purgare contendimus, nosmetipſos inquinaremus, & ut lacte alios conſpergeremus, ipſi eorum pice contaminaremur. Expono quid ſentiam. Nimis equidem violentus foret impetus ille fervoris noſtri, ſi, quàm primùm aliquis ſe nobis junxiſſet, continuò illi ſepulchrum pânderemus, & Inferos. Fas eſt unâ vel alterâ ſententiâ indifferentis argu-

menti molles aditus minacium ſyllogiſmorum gravitati præſtruere; licet ſub primos congreſſus eorum proſapiam laudare, Indolem mirari, probare ſtudia, quin etiam iis, ſi ritè vitam inſtituerint, ſtrenuéque deſudârint, Magiſtratuum inſignia, & Diœceſeon Infulas augurari; non ideò tamen conceſſum nobis eſt, ab ejusmodi rebus in argumenta alia, aut palàm noxia, vel abjectè levia, aut planè vana diffundi. Quippe ſi luxum foveremus, faſtum amplificaremus, voluptates non deteſtaremur, nec Scenas laſcivas, choreas effeminatas, & ludos vetitos exſecraremur, reos profectò nos agerent eadem illa crimina, quibus alligati Babylonii Cives propter otii deliciarúmque uſum à qualibet Sacrorum voluminum pagina flammis addicuntur. Ex quo conſequitur eum, qui tam ſordidorum Sermonum cœno ſe immerſerit, non jam ad aliorum conditionem deſcendere, ſed prolabi; & ex Templi pinnâ in profundiſſimos ſinus Philiſteæ vallis

lis præcipitem ruere. Ita Monachis suis Gilbertus Abbas edixit. *Qui enim* Ser. 36. sup. *ad vanas fabulationes prolabitur,* NON Cant. Tom. CONDESCENDIT SED CADIT. 18. 493.

89. Turpiùs longè ab altis Religiosorum Virorum cogitationibus degenerat, qui ut demonstret, quantum se Fidei aliorum permittat, arcana omnia Cœnobii sui tametsi bona ac laudibilia seculi habitatoribus detegit. A qua re, quemadmodum Christus Discipulos suos arcuit, ita Canonicos suos procul esse voluit Augustinus; monuítque seriò, ut sacræ domûs parietibus quantumvis laudabiles rerum successus, & cælestes Instituti Religiosi ritus concluderent. Certè ante Canum ora neque calices neque sacros manipulos abjicimus, veriti ne Tabernaculi supellectilem dentibus comminuant; ita nec apris margaritas porrigimus, quas belluæ tam feroces procul dubio vel oris illuvie contaminarent, vel pedibus conculcarent. Ita vobis, subjungit S. Doctor, eveniret: si homines virtutis ex-

expertes ſacras noſtras conſuetudines edocueritis; exponetis ſcilicet riſibus profanorum hominum, qui poſt easdem ludibrio habitas, nos quoque ipſos ignominiâ notabunt, vel quòd inſolitæ virtutis famam aucupemur, vel quòd ad præſcriptos ritus vitam non exigamus. Quapropter pro confirmatione tam neceſſarii axiomatis Evangelii verba ſuccincto quidem, ſed utiliſſimo documento à ſe inaurata produxit. *Nolite ſanctum dare canibus, nec projeceritis margaritas veſtras ante porcos: ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & canes converſi dirumpant vos; Id eſt poſt contemptum margaritarum veſtrarum etiam ſint moleſti vobis, nolite ergo illis projicere qui contemnunt.* Jam verò ſi, qui ſacras Acerras proſtituit, & gemmas projicit, is canes incitat, & feras belluas in noſtra damna provocat, ob eam ruditatem, quâ ſecularium plerique vim internam perfectionis æſtimare prohibentur, quantò magìs eorum pedibus prememur, in quorum ſinus

Matth. 7. Ser. 72. de Temp. Tom. 42. 139.

ſinus non uniones, ſed glandes; non margaritas è Rationali, ſed ſabulum, ſed purgamenta ex omnibus angulis ædium noſtrarum collecta contulimus? Si ludibriis eorum nos objicit honeſtiſſimorum operum narratio, quomodo non eorumdem fabula erimus, ſi & perturbationum noſtrarum, quantumvis levium, miſeriam, & deſideriorum noſtrorum humanitatem, & noxarum tametſi minimarum pœnas iis manifeſtas fecerimus? Proh indignum fœdúmque facinus! Id illis credere, quod tegi ſepeliríque oportuerat. Te, quidem tam ſtolidè diſſerentem, tepidum & imprudentem proclamabunt: Ordini verò Sanctitatis opinio decedet, cujus inæſtimabilem pulchritudinem, quâ eum inviolata obſervantia exornat, inevitabiles planè mortalibus omnibus nævi infuſcant, quos impotens os, & hoſtium ſuorum inſidiis ſe credens oratio temerè ſtolidéque vulgavit.

90. Neque ad eluendam tantæ turpitu-

pitudinis notam facit plausus ille, quo memorant, ab Ægypto excipi Filios Israëlis, à quibus in arcanorum conscientiam se admitti videt. Quippe simulato risu Vos invitant illi ad dicendum, non quòd probent paleam, glumam, lutum, quod ad eorum pedes abjicitis, sed ob eam spem, quam concipiunt, audita quondam in probrum ac dedecus eorum, quos oderunt, convertendi. Erit profectò, erit tempus, quo, tum ut se ipsos excusent, tum ut ruborem nobis suffundant, eorum astutia in publicum proferet, quidquid imprudenter & spe vanâ silentii è septis ædium nostrarum ad eorum aures produximus. Id vel divinâsse, vel vaticinatus fuisse videtur Gregorius Nazianzenus, cùm fabulatoribus ejusmodi ob oculos posuit Metamorphosim illam blanditiarum in obtrectationes, quibus & nos juxtà, & vitæ nostræ ratio traducenda sit. *Jactatis sermonibus hostis arridet*, NON QUOD PROBET, *sed quia acerbè atque amarulentè* RE-CON-

Orat. 3 de pace. Tom. 59. 94.

CONDIT, *ut oblatâ occasione adversùs eum ipsum, qui concredidit*, VIRUS EVOMAT. Omnium cachinnis post mensem exploditur in quacumque malè feriatorum hominum coronâ, in quolibet horto, in omnibus Romæ cœtibus, quidquid nostrorum aliquis in aurem familiaris sui imprudenter effutiit eo consilio, ut arctiùs eum sibi, proditæ familiæ vinculo, devinciret. Admoveamus, amabò, geminum illum aggerem, quo DEUS humanam linguam vallavit, ut antequam Verbum proferamus, & labiorum verecundia, & candor dentium, an utile, an decorum futurum esset, nos monerent inquirere. Hoc agamus ut secularium hominum quilibet è factis nostris lucem hauriat, & è dictis venerationem colligat. Nihil in nobis videant, quo ad æternitatis timorem non exstimulentur, nihilque ex nobis audiant, quo non compellantur ad DEUM. *Videat in vobis quod diligat*, CERNAT QUOD IMITARI FESTINET. In hanc sententiam ad Lib. 6. Epist. 99. Tom. 32. 34.

 Vi-

Virum amplissimum scripsit Gregorius Pontifex. Sic ego quoque pro primæ partis coronide unumquemque moneo, qui Davidis laudatam sententiam exprimere in se ipso voluerit. *Os justi meditabitur Sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.*

91. Id verò effectum dabimus, si domi nostræ sapienter sanctéque inter nos colloquemur: fieri enim non potest, ut in aliorum domiciliis vilem mundum mundanis hominibus reddamus, nisi privatim antè nostro ipsum calculo damnaverimus, contemptis illius offuciis, damnatis illius erroribus, detractâ illius gloriæ personâ, & fide abrogatâ. Si, cùm cibo refectis quietem aliquam à studiis ac laboribus religiosæ Leges indulgent, illius, quam ostentat, magnitudini pro cultu risum dederimus, eósque magnos appellaverimus, non quibus id nomen à natalibus, aut subinde collatum est, sed qui maximi cùm essent, se pro Christo minimos effecerunt; prodibimus sanè ex ædi-

ædibus noſtris tanquam è Cænaculo Apoſtoli ad inflammandum torpentium frigus, reſtinguendas malè ardentium flammas, deprimendam immodicè ſemet efferentium arrogantiam, & ſublevandam oppreſſorum miſeriam. At ſi, cùm magnæ fortunæ pericula, ſupplicia ſuperborum, mollium pœnas, fletus ac tormenta ſuis voluptatibus obſequentium prævidere nos oporteret, aut ſua illis gaudia invidebimus, aut attoniti eorum amplitudinem mirabimur, evadet ſanè ſeculari ſtatu deterior conditio noſtra, utpote cùm non minùs ac ipſi cæleſtibus coronis à vindice DEO ſpoliemur, nec tamen, ùt ipſi, feſtis corollis in Mundi viridariis evinciamur. *Erudimini* (exclamat Auguſtinus) *qui judicatis terram.* JUDICA TERRAM, NE SIS TERRA: *ſi enim terram judicaveris* CÆLUM ERIS, *& in te factam gloriam Domini enarrabis. Cæli enim enarrant gloriam DEI.* SI AUTEM TERRAM NON JUDICAVERIS, TER-

Ser. 94. de Temp. Tom. 43. 58. Pſal 2.

RA ERIS. *Si autem terra fueris, ad eam pertinebis, cui dictum est, terram manducabis.* Damnat his verbis Augustinus abominandam illam idololatriam verborum majestate aut admiratione tumentium, quibus interdum Evangelio consecratæ linguæ de theatris, de ludis equestribus, de conviviis, de honoribus atque divitiis disputant; ceu præstigiis ejusmodi DEI vivi oracula vel apud Prophetas non adversarentur, vel damnationis æternæ minas in Evangeliis non intentarent. Si Christi in stabulo nati, & in Cruce mortui es sectator, inevitabilis tibi necessitas incumbit abominandi, quidquid vel à Præsepii humilitate, vel infamis ligni opprobrio diffidet. Quî fit igitur, ut adores, quod Dominus tuus abjecit, & Deus tuus condemnat? Heu nimiam cupiditatem, quâ Calvarii cultores inflammantur humanæ amphitheatra gloriæ frequentandi, & vanorum apparatuum Irides contemplandi! Quid deinde mirabimur, si decepti mundi fal-

fallacia ſchemata in mentes noſtras altè deſcenderint, dum in iis tantopere figitur oculus, atque animus volutatur? Non ſperemus poſſe nos aut majeſtatis aut voluptatis illecebras contemnere, niſi tam perniciosarum rerum odium etiam tum, cùm per urbanitatem abeſſe non licet, palpebras nobis dejiciat, & ab animo procul removeat. Idem faſcinum quod impudicos in aſpectu picti vultûs illaqueat, curioſos pariter capit, dum ornatus magnificos, & ſplendidas ædes intuentur: *Facilè capit oculos* FORMA, NISI EOS ODIA PREMANT *juſta, & impuritatem indignatus avertat affectus.* Intelligitis opinor, Patres mei Fratrésque? Niſi vehementer odioſam nobis omnem hujus ſeculi vanitatem indignatio fecerit, eam haud ſecùs, quàm tenebrarum Filii amabimus: niſi, quòd, quâ ipſi fruuntur, nos carebimus. Tam frequens ſermo de quovis rumore, de quolibet eventu, de quacumque novitate; evagatio illa ultra limites noſtros, qui nimi-

Ser. 13. *in Pſ* 118. *Tom.* 4. 2. 38.

mirum sunt, vitæ Sanctorum, Bibliorum Oracula, Mysteria Fidei, Crucis Thesauri, vitæ, ad quam vocati sumus Excellentia, quemadmodum ora nostra vili sabulo implent, sic plebeios sensus de ventosis bullis Regalium ædium, & aularum animis nostris ingerunt. Id prædixit jam sæpe laudatus Ambrosius.
Lib. 1. Offic. c. 3. Tom. 85.46. *Alliga sermonem tuum, ne luxuriet, sit restrictior* ET RIPIS SUIS COERCEATUR. CITO LUTUM COLLIGIT AMNIS EXUNDANS.

92. O nos beatos! si Cæli Principes imitati, domestica colloquia solis divinis laudibus circumscriberemus, regna tantùm æterna, Dei Perfectiones, & Cæli Dynastas venerati! Enim verò totus ab alio ad alium polum se mundus commoveret, ad peccata detestanda, ad emendationem proponendam, corruptelas tollendas, mores reformandos, ad Christianas Provincias ad primorum fidelium exemplum conformandas; si quilibet DEI Servus Sociis suis gravissimum salutis negotium, judicii

dicii terrorem, beatitatis immensitatem, majestatem, infinitatem, omnipotentiam Conditoris proponeret. *Clamabant alter ad alterum. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Exercituum: plena est omnis terra gloria ejus.* ET COMMOTA SUNT SUPERLIMINARIA CARDINUM, *& domus repleta est fumo. Et dixi væ mihi!* Lubétne celsissima quæque seculi Capita in pulverem usque detrahere? Magnificè inter nos de Christo colloquamur. Deo repleti omnes terrarum plagas quò libuerit, versabimus, omnes terrebimus. Nemo enim, cui mens sana, cui Baptismo caput immaduit, pœnas æternas amat, sed in illius brachia ultro se injicit, quem ex Alarum copiâ, & pietate verborum divini Assessorum Throni, & Gratiæ Cherubinum agnoscit. *Clamabant alter ad alterum*; sine his tam beatis clamoribus nemo nos aut Archangelos credet, aut Apostolos existimabit: prorsus nobis, ut quondam Socrati, eveniret; qui cùm rogaretur,

Isai. 6. 13.

retur, quid de celeberrimo quodam Græco tum quoque superstite sentiret; quòd hominem minimè nôsset dejeravit, quamvis & vidisset sæpe, perspectásque haberet viri dotes. Nisi enim, inquiebat, loquentem audiero, non ausim, quid ille sit hominis, edicere. *Haud scio, inquit; nunquam enim cum eo locutus sum; an tu aliter id scire non potes? nullo modo.* Nobis quoque nulla facultas aut ornamentum, aut fidem apud mundum conciliabit, nisi contemptores sui mundus, & amantes Cæli è sermone cognoverit. Semper enim vociferabitur: Ignoro, quo Spiritu tam eruditus cœtus agatur, quippe quâ is ratione in privatis colloquiis disserat, *haud scio. Nunquam cum eo locutus sum.* Tot ad utrasque Indias Peregrini, tot Missionarii Alpium nostrarum, tot per plateas, & in Templis nostris Ecclesiastæ, tam numerosi puerorum Cathechistæ, adultioris juventutis cælestes Magistri, Confessarii in emendationem pœnitentium tam intenti: Ve-

Cic. lib. 6. disput. Tusc. Tom. 60. 92.

stis

stis modestia, vitæ integritas, frugalitas victûs, afflictationum sponte susceptarum creber usus, firmitas doctrinæ, voluminum editorum præstantia, tot denique Societatis munia non satis erunt, ut Apostolicæ nomen illi conferant, si privatis in congressibus sermonis Sanctitas illius Operariis defuerit: pro se quisque Socratem imitatus ad tantam messis uberrimæ copiam, tanta illustrium ornamentorum, Nationum conversarum, Hæresiarcharum confutatorum, Trophæa elevanda, id ipsum Stoici usurpabit, *Haud scio, nunquam cum eis locutus sum.* Quòdsi enim literati isti Seraphinorum similes essent, nobis pariter sibíque non Magnatum magnificentiam, sed Dei magnitudinem occinerent. *Clamabant alter ad alterum Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.*

93. Beatorum Spirituum cælestes clamores ad succinctum examen postremo loco propositi puncti me deducunt. *Os justi meditabitur Sapientiam, & lin-*

& lingua ejus loquetur judicium. Tam præclari Axiomatis uſus, ſi domi alienæ ac noſtræ uberrimos fructus nobis parit, multò magis ille fructuoſus ac neceſſarius eſt in ædibus cultui Numinis dedicatis. In his ſacerdotes Seraphinorum clamores mutare oportet, in Auræ illius lenes afflatus, & ſuaves illas Eteſias, in quarum comitatu ſe
2. Reg. 19. 22. Deus Eliæ quondam obtulit. *Poſt ignem* SIBILUS AURÆ TENUIS. Tot caperati vultûs contorſiones, tot oculorum fulgura, tantus objurgationum varum crepor, tanta minarum acerbitas, tam crebra capitis agitatio, non ad dolorem eos movent, qui ſe accuſant, ſed in fugam eos conjiciunt, qui plorabant. *Non in igne Dominus.* Nec objiciat aliquis, citra ignem ne aurum quidem expurgari, multò minùs ferrum ab inveterata rubigine præterquam carbonum ardore mundari. Velim ſanè ignem nos iis præberemus, qui ad pedes noſtros advoluti commiſſis ſuis illachrymantur; ſed in ignem illum quivis Dei Miniſter

niſter ſe convertat oportet, cujus natura non eſt alia, quàm DEUS. *Dominus DEUS tuus ignis conſumens eſt*; quam Deut. 4. 24. ſententiam dum Theologicâ ſubtilitate Bernardus expendit, geminas flammæ formas diſtinguit. Aliam terroris in Lege veteri Moyſi uſurpatam, amoris alteram Chriſto familiarem in nova. Zelus qui terrorem & minas circumfert, turbat, non ſanat; urit, non purgat; deſtruit animas, non ædificat. ARDOREM HABET NON Ser. 57. ſup. AMOREM; COQUENS NON EX- Cant. COQUENS; *movens, non promovens.* Tom. 59. 395. Illo ſanè utantur Sacerdotes ii, vel imprudentes, vel rudes, vel impatientes, qui ſemper tonant, nunquam in ſerenitatem explicantur; nubes ſuſpendunt quodammodo, ùt rore vacuas, ità perpetuis fulminibus minaces. Contrà Sanctitatis auctor zelus occaſiones amputat peccatorum, Cœlum plorantibus aperit, Dæmonis artes, & lapſus fœditatem depingit quidem, ſed unà lapſis Anaſtaſes, victis triumphos, & nau-

fragis indulgentiæ portum promittit. Hæc flamma non divina solùm, sed ipse DEUS est; eam Ministris suis vim facultatémque ingerens, quâ vitam quatriduanis Lazaris, & jam olim mortuis restituant. *At verò ignis, qui Deus est*, CONSUMIT QUIDEM, SED NON AFFLIGIT; *ardet suaviter*, DESOLATUR FELICITER; *Est enim verè carbo desolatorius, sed qui sic in vitia exerceat vim ignis*, UT IN ANIMA VICEM EXHIBEAT UNCTIONIS. Ad tam præclara documenta Sacerdos quilibet exigat, atque dispiciat, num ardores sui torrentes quidam sint ignis Sulphurei ex Ætnæ faucibus erumpentis in miserorum vastitatem, removendósque longiùs, qui postliminio ad DEUM reditum parabant; vel amabiles potiùs pluvias illas cælestium flammarum imitentur, quæ Apostolorum capita insidentes, ne pilum quidem unum depastæ ad promulgandam ipsis quoque Christi Crucifixoribus veniam eos impulerunt. *Ignis, qui*

qui DEUS est, CONSUMIT NON AFFLIGIT. Quapropter qui supplicibus reis felle pectus exasperat, non is est Christi Vicarius, cujus faces utì peccatis flammam, sic peccatoribus se balsamum præstant.

94. At enim reperias fortè nonnullos tanti Sacramenti feros, inhumanósque administros, qui, cùm hoc balsamum abominentur, illud insuper ad nova perpetranda peccata stimulum esse criminantur: nam si peccatores, inquiunt, ad pedes nostros abjecti, tam clementes, ùt suades, nos experiantur: vix è Templo digressi, ad Theatra & ad vomitum redibunt, nimirum obtentæ indulgentiæ facilitate illecti. Experientiâ quippe discimus, nunquam ad veram vitæ emendationem induci obtrectatores legum, nisi clementiæ subrogetur austeritas. Hujus rei, quoniam meâ sententiâ & judicio stare non lubet, Bernardus vobis arbiter esto. Vociferatur mitissimus Abbas. UNCTIO HŒDOS VERTIT IN AGNOS, & *de* Ser. 44. sup. Cant. Tom. 112. 140.

de ſiniſtra transfert in dexteram peccatores. Vel ipſe Behemot impenetrabilibus ſquammis loricatus Draco in turturem pennis deargentatis conſpicuum mutabitur, ſi molli manu illius tergum demulceat, ac rore Angelico fragrantiſſimæ ſuavitatis ſuus eum Magiſter imbuerit. *Unctio hædos vertit in agnos.* Et Bernardi quidem dictis Chriſti facta reſponderunt & monita, quæ nobis ceu Apoſtolicam diſciplinam, homines dextre in viam reducendi, reliquit. Epulatus ille cum Zachæo ac Matthæo fuit, neque tamen Tyrannidem vectigalium, quam exercebant, iis exprobravit. Accepit benignè, ornavit laudibus, & fauſta cum apprecatione dimiſit Magdalenam tot innocentiæ naufragiis infamem Scyllam, & quæ Hieroſolymam Univerſam perniciosiſſimo exemplo ſuo execrabilis impudicitiæ peſte infecerat. In Filium prodigum flumina Charitatis effudit, ſic ut eum recrearet Symphoniacorum choris, vitulis paſceret, nobilitaret gem-

gemmis, & aureâ ſtolâ magnificè exornaret. Si Malcho quoque alicui, Nazianzenus exclamat, nimio zelo ſuccenſus auriculam truncaveris, Servatorem offendes, qui Cuſtodes ſuos non ſævos, ſed eſſe Clementes jubet. *Si Zelo inflammatus Malchi aurem præcideris*, INDIGNE FERET. Age modò, ſi Sacræ Exhomologeſeos Auctor vetat Malcho, à quo invaditur, injuriis afficitur, & vinculis oneratur; vel leviter cutem perſtringi, quo demum animo ferret, ſi Malcho lachrymanti, dolenti, ac pœnitenti iracundæ correctionis molâ contereremus oſſa, & cervicem contunderemus? Si execrantur impietatem, ſi eos erratorum memoria exanimat, eccur tormenta cruciatibus, & timoribus terrores ſuperaddimus? Pereat ille, inquit S. Ephrem, quisquis afflictis & divinam miſericordiam implorantibus miſericordiam negat, ſupplicia denuntiat, Cœlum obſerat, & reſerat Inferos. Non ego, inquit Beatus Anachoreta, crudeles Sacerdotes

Orat. ad Ariam. Tom. 59. 144.

reprehendo, Deus eſt, qui Prophetæ ſui ſententiâ illos ab Eccleſia ſua excludit, & ultra mundi terminos ablegat, ut nemo deinceps deſperet de venia, quisquis peccatis ſuis illachrymatur. *Cerne porro*, QUO PACTO IMMISERICORDES REDARGUAT. *Pro eo, inquit, quòd non eſt recordatus facere miſericordiam, & perſecutus eſt hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare:* DISPEREAT DE TERRA MEMORIA EJUS. Acriùs multò quàm Ephrem Diaconus, Joannes Chryſoſtomus fremit, & inauditam barbariem appellat auſteritatem eorum, qui lugentes increpant. Quis Barbarus, inquit, quis Scytha vel naves illas, quæ ſævis tempeſtatibus circumactæ & undis oppreſſæ in Syrtes & brevia impegerunt, vel à littore ſubmovet, vel à portu arcet? Et tu in deſperationis barathrum eos audes repellere, qui vorticibus impietatis emerſi apud te vulneribus ſuis medicinam, & doloribus ſuis ſolatium ſupplices quærunt?

Paran. 25. Tom. 3 o. 64.

runt? *Tu licèt videas tantis attenuatum malis* JACENTI TAMEN INSULTAS, *corpúsque illius convitiis laceras, atque afflictionem afflictioni, velut tempestatem tempestati superaddis,* FUGIENTEMQUE AD PORTUM *in scopulum incidere, ac naufragium mari gravius pati facis. Et quomodo ad Deum dicis, Miserere mei?* *Hom. 31. in c. 12. ad Rom. Tom. 42. 114.*

95. Columbæ basia, mihi crede, non Milvorum ungues ad pœnitentiam improbos revocant: reus itaque miserorum in fugam actorum erit, qui cùm promissæ beatitudinis fistulâ invitare ad Crucem errantes oviculas debuisset, eos damnationis tanquam oraculo editæ tubâ longiùs fugaverit. Ubera prorsus, ubera necessaria sunt lacte manantia, non hastæ pectora lancinaturæ. Nec verò misericordia ejusmodi suadetur duntaxat, verùm etiam præcepto severissimo, & nullius exceptionis patienti jubetur, adeò quidem ut animabus quantumcumque puris, maculǽque omnis expertibus, & quantâcum-

que virtutum copiâ ornatis Cæli ostium Christus adducat, nisi illi paruerint. Quinque Virgines coronatas liliis, & byssum indutas, nec tamen ad nuptias ob unam olei inopiam admissas, intueri vos velim. *Oleum tuum*, inquit Ambrosius, MISERICORDIA TUA EST, QUO ETIAM COLLISA SCOPULIS PECCATORUM FOVENTUR CORPORA. *Hoc oleum vulnerato à latronibus Samaritanus infudit.* Hoc cùm præferunt prudentes Virgines, in Regni partem à Messia vocatæ sunt. *Quæ autem in vasis suis oleum non tulerunt, hoc est, non habuerunt prudentiam &* MISERICORDIAM, EXCLUSÆ SUNT. Nec tua te contemplatio, inquit S. Doctor, nec asperitas vitæ, nec animi demissio, nec divinæ gloriæ studium animarum Servatori gratum facient: nisi has, quæ ad Confessionis Tribunal supplices tibi accidunt verborum mansuetudine, ac spei deliciis, prosequaris. Quî autem unquam fieri posset, ut inter DEI

Ser. 14. in Ps. 118. Tom. 4257

Mi-

Miniſtros, & in Magiſtratu humanis omnibus altiore locum aliquem occupes, ſi errorum ſuorum pertæſos affligis, & ſine manifeſtâ neceſſitate ſententiam abſolutionis gementi, lachrymantíque comperendinas? Dum interim Deus ſinum ſuum aperit, brachia expandit, Filiúmque ſibi chariſſimum appellat ingenuè ſua peccata confeſſum, ac denique palàm edicit: longè majorem in Cœlo triumphum agi de uno aliquo impio Pietati reſtituto, quàm de virtute innumerabilium juſtorum in ſua innocentia perſiſtentium? *Gradientem per devia carpentem denuo rectum tramitem* TOTA DOMINUS AVIDITATE COMPLECTITUR. Lib. 1. Ep. 16. To. 32. 3. Hìc ego vos teſtor, potueritne aut facere amplius, aut dicere, vel Chriſtus Magiſter noſter, vel Gregorius Magnus ejus Vicarius, ac noſter Pontifex? *Totâ Dominus aviditate complectitur.* At enim, excipiet aliquis, vulneribus illius Peregrini, qui per viam in latrones inciderat, vinum atque oleum infuſum

eſt. Et ego hæc talia memoranti reſpondeo, prudentiſſimum Samaritanum homini ex vulnere propè morienti non acetum, ſed vinum adhibuiſſe. Haud equidem veto in peccata prolapſo exponi, quanta ſit ejus infelicitas, qui Deum hoſtem habet. Id tamen ſic demonſtrari velim, ut non perturbet, ſed recreet pænitentem. *Vinum & oleum.* Ah! Ah! Ah! (ipſe quoque Jeremiæ verbis utor) loqui diſcamus! *Os juſti meditabitur Sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.* Non ejiciamus è novi Teſtamenti Sacrario, qui ad id ſupplex & quadrupes adrepit, errores ſuos deteſtans, & promptus commiſſas noxas ulciſci. Sit lingua noſtra faſciæ inſtar ex puriſſimo ſerico purpurâ tincto, quæ miſeros ſuique pertæſos per ſpem Chriſto, & nobis per
Cantic. 4 3. fiduciam adſtringat. *Vitta coccinea labia tua.* Talis profectò illa lingua non eſt, quæ aſperitate ſuâ pœnitentes affligit, & à pedibus ſuis repellit. Gilbertum audite. *Lingua hæc coccinea*

eſt,

est, *sed* VITTA NON EST, NON ENIM LIGAT, SED DISSIPAT, *malè succendit*, QUIA SUCCIDIT UNITA. Atque utinam soli Confessarii Societatis hâc verborum impotentiâ & sententiarum asperitate alienos ab ædibus nostris peccatores facerent! Studium illud immodicum ac vehemens, quo pro nostri Ordinis defensione imprudenter garriunt aliqui, declamántque in eos, qui parùm eum amant, aut quamvìs ament, vel beneficiis eum non prosequuntur, vel etiam insectantur, ampliùs eos exacerbat, qui nos oderunt, & hostes reddit à quibus amabamur. Nisi omnes Senatorum & Magistratuum sententiæ à nobis steterint, continuò causarum Judices, & Assessores Conventuum inimicos nostros stolidè proclamamus. Quid aliud hoc est, quàm pretiosa vincula, quæ disjuncta conjungunt, in cultros rubiginosos permutare, quibus à Religione nostrâ dividantur, scindantúrque, qui eam & venerabantur, & collaudabant? *Malè suc-*

Ser. 24. sup. Cant. Tom. 58. 477.

ſuccendit, qui ſuccidit unita. Lingua hæc VITTA NON EST, *non enim ligat, ſed diſſipat.* Ne quæſo tam properè hoſtem noſtrum dicamus, qui verbis noſtris continuò non ſubſcribit. Cauſarum noſtrarum ambiguitas Judicum favorem nonnunquam moratur; ac perſæpe permittit Deus, ſeu quia cauſarum noſtrarum æquitatem malè referimus, ſeu quia, qui ſententiam fert, non penitus illam intelligit, ut Senatûsconſulta non fœcundiſſimos imbres ſuorum in nos favorum effundant; ſed interdum repulſarum fulminibus nos exterreant. Tanto itaque ſtudioſiùs conciliare obſequiis, & mitigare modeſtiâ debemus eos, quibus aut poteſtas, aut modus defuit deſideria noſtra promovendi. Oportet, Patres mei, adjungere nobis eos, qui oderunt, non avertere offenderéque, qui nos amant. Favos obſervantiæ Magnatibus exhibeamus, ut, quamvis nullo numero ſit apud eos auctoritas noſtra, eam ab iis, quos obſequio mitigavimus, nobis obtinc-

tinere ſtudeamus. Abſit verò fel omne querimoniarum, ne qua neceſſitas ipſis imponatur adverſandi nobis, cùm ſe pro iis, qui læſerint, haberi animadverterint. Amemus igitur amari Societatem: loquamur ſemper honeſtè de illis etiam, qui nos læſerunt, & in peccantes verborum manſuetudinem, non indignationis fulmina expromamus.

96. Hæc omnia pluráque etiam obtineremus, ſi Davidi obſequeremur. *Os justi* MEDITABITUR *Sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium:* priùs ad limam, quàm ad linguam verba revocantes, & longo antè ſilentio ad loquendum eruditi. Omnium certè virtutum lætiſſimus proventus erit in domibus noſtris, cùm ſilentium effloruerit. In hanc ſententiam Bernardus Ogerio Canonico ſcripſerat. *Silentium cultus juſtitiæ eſt, ad hunc ergo juſtitiæ cultum,* AD HANC OMNIUM VIRTUTUM MATREM, NUTRICEM, CUSTODEM *te invito, te provoco.* In quibus verbis, notari velim, taciturnitatem Iſai. 32. Ep. 89. Tom. 58. 379.

tatem non matrem tantùm virtutum, verùm etiam nutricem, atque custodem appellari. *Virtutum omnium Matrem, Custodem, nutricem.* Adeóque significatur citra longam attentámque rerum dicendarum meditationem neminem vel Apostolicè, vel sapienter posse disserere. Jam verò ut hodiernæ dissertationi finem imponam: Illi enim verò soli peccatorum suorum pertœsis asylum, & sanctioris vitæ oracula præbebunt, & ubique locorum purpureas vittas tendent, tum Antistites, tum Principes, nec minùs Equestrem, quàm plebejum ordinem nobis conjuncturas, qui accurato studio Evangelia meditati, & sua labra Christi labris admoventes, ab æterno Verbo, de rebus æternis verba facere didicerint. Quandoquidem si de Sponsâ in Sacris
Cant. 4.10. Canticis dicere Sponsus potuit, *favus distillans labia tua*: priùs quoque illa
Cant. 1.1. dixerat, *osculetur me osculo oris sui.* Quare ad omnes Filios meos cum Gilberto vocem dirigo, dicóque singulis atque uni-

universis: *Non enim de sponsæ labiis exprimerentur dulcedines*, SI NON LABIIS IMPRIMERENTUR DILECTI. Quoniam itaque Ignatius Parens noster adeò semper, intiméque cum Deo se conjungebat, ideò tam prodigiosè mellifluus semper extitit, & cum peccatoribus, quorum innumerabiles excitavit ad Gratiæ vitam, & cum Magnatibus, quos à nobis alienos Collegiorum nostrorum Fundatores, studiorum Mæcenates, & Legum nostrarum Patronos ac Vindices effecit. Jungamur DEO per profundæ contemplationis usum, & tunc conjunctos nobis Fideles pariter, atque Infideles læti videbimus. *Os Justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus* LOQUETUR JUDICIUM. Ita primis nostris Patribus evenit, sic hodiéque accidit, & imposterum quoque nobis eveniet.

Serm. 34. sup. Cant. To. 58 488.



EX-



EXHORTATIO IX.

In Pervigilio S. Francisci Indiarum Apostoli.

Parùm est ut sis mihi servus ad suscitandas Tribus Jacob: Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usq; ad ultimum terræ.

Isai. 49.



Francisci beata vestigia secuti, ad ministeria, Domicilia, omnes Cæli terrarúmque Plagas perinde simus animo comparati. Huic tali indifferentiæ Apostolatus innititur, ad quem Societas aspirat, & magnus Indiarum Apostolus cum inauditorum ad ea tempora prodigiorum fama, innumerabilium animarum quæ-

stu,

ſtu, & maximarum virtutum exercitatione pervênit.

97. PRodigiorum innumerabiliũ, præſtantiſſimarum virtutum copia, expeditiones animorum cauſâ, terrâ maríque ſuſceptæ, remotiſſima Regna ex Idolorum Tyrannide Crucis Imperio vindicata, immenſa denique decora, & trophæa, quibus Magnus ille Indiarum Apoſtolus univerſum Orbem terrarum implevit, adeò illis, ad quos verba facio, explorata perſpectáque ſunt, ut otioſus, ac temerarius viderer, ſi vellem in hac, quam paro, allocutione iis commemorandis prolixiùs immorari. Id facerem enimverò, ſi ad Plebem & Nobilitatem intra ſepta Templorum in feſta ejus luce dicerem, conarérque Divi hujus ornamenta ac prodigia ſic expingere, ut intelligerent omnes, Apoſtolum noſtrum Chriſti Apoſtolis, Magiſtris noſtris, & Chriſtianæ Reipublicæ Fundatoribus haud multò inferiorem eſſe.

Secùs autem agendum mihi exiſtimo, dum inter eos diſſero, qui Xaverii noſtri theſauros inexhauſtos me ipſo meliùs nôrunt. Allaborabo potiùs, ut, quod noſtris in virtute progreſſibus bene vertat, inveſtigem, quânam ratione ad ſummum Apoſtolicæ perfectionis culmen ille pervenerit, & noſtrum quilibet poſſit pertingere. Et illum quidem ad hoc faſtigium evexit indicati paulò antè Oraculi reverentia, cùm Orthodoxorum in Europa ſalutem curare non contentus, ad extremos Aſiæ fines transiit, ut Barbaris hominibus veræ Fidei lucem inferret, & Evangelium promulgaret numeroſiſſimis vaſtiſſimarum illarum Regionum Gentibus, quæ lapidibus impio cultu adoratis animas ſuas in victimis immolabant. Qua in re ſimilem prorſus Luci ſe præſtitit, nunquam quieſcenti. Excurrit hæc ab uno ad alterum Tropicum: Jámque ſuper Aquilonarem Polum effulget, aliàs ex Auſtrali radios ſuos diffundit. Hæc illa eſt ſcilicet ad locos in-

indifferentia tam familiaris Francisco, nobísque tam propria. Adde quemadmodum Lux in Principum Topiariis flores Adonidis, atque Pæonias pingit, sic in fossis ac rutis murorum vilissimis herbis, & infelicibus vepribus vitam inspirat. Pari quoque studio in terræ visceribus vile cuprum, & purissimum aurum durant Cæli lumina, nec minùs sunt pumicum artifices, quàm adamantum. *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.* Atque hæc gemina tum ad locum, tum ad munus indifferentia in Apostolum Orientis Franciscum efformavit, & nos etiam in Apostolicos Ecclesiæ Operarios finget: si ab omni vel domicilio, vel Emporio soluti, avocaverimus pariter à celebrioribus quibusque officiis propensionem nostram, & dum animas servemus modò, lucémque peccatoribus afferamus, illustres Cathedras, aut instructiores Domus penitus non requiremus. Hæ dissertationis meæ geminæ partes erunt, in id collineantes,

ut Apoſtoli noſtri virtutes imitati, Inſtituti noſtri Apoſtolicæ Sanctitati reſpondeamus univerſi.

98. *Dedi te in Lucem Gentium.* Irrequieta Lucis indoles uno loco conſiſtere non poteſt, ſed perpetuis curſibus mundi bono exercetur. Tales planè nos optavit Ignatius, qui primâ Lege Inſtituti ſui Sectatoribus omnibus edixit. *Noſtræ Vocationis eſt diverſa loca peragrare, & vitam agere in quâvis mundi Plagâ.* Hunc lapidem, cui, veluti fundamento, totus à ſe inſtitutus Ordo inniteretur, è culmine montis Olivarum Beatus Legislator deſumpſit, quo loco profecturus ad Cælum Servator, idem Edictum Diſcipulis ſuis propo-
Marc. 16. 15. ſuit. *Et dixit eis, Euntes in Mundum Univerſum, prædicate Evangelium omni* CREATURÆ. *Illi autem profecti prædicaverunt* UBIQUE. En tibi Apoſtolicæ vitæ baſim, nullum ſibi Locum præſtituere, non Urbibus ſemet addicere, ſed univerſum terrarum Orbem curſûs ſui ſtadium deſtinare. Quæ res vero-

verorum Ministrorum Verbi æterni, ac ferventium Religionis Amplificatorum tanti refert, ut propemodum dicere ausim, eam virtutem solam sufficere ad prodigiosas expeditiones conficiendas, emendandas Provincias, & Regna Pietati subjuganda. Animos adhibete. Apparuit Ezechieli divinæ gloriæ Currus obcæcatis Idololatriâ regionibus lucem invecturus, quam ut deducerent, temonem machinæ subierunt, Homo delicatus, Bos lentus, Aquila irrequieta, & turbidus Leo. Quæro igitur ex Propheta, quâ demum ratione speret Animalia tam varia, variisque vitiis obnoxia illi moli moderatura? Imò reponit, moderabuntur: siquidem tot vitia, quibus quatuor illi Ductores laborant, emendabit, compensabítque una eadémque voluntas eò currendi, quò Spiritus Sanctus eos impulerit. Aquila, non nego, sublimè volat, & ungue prædam rapit: devorat Leo, ac rugit: Taurus ad carpendum gramen promptior, quàm ad aratrum

ſulcis inferendum: Homo corpore tener ad delicias aſpirat, & labores fugit: nihilominus quia quadrijugorum nullus firmum locum, unde pedem referre recuſet, obtinet, cæleſte Tabernaculum in omnes eas gentes deducent, quibus id manifeſtare Deus decrevit. En! quæ ſit illorum Provincia, quæ ſumma votorum. UBI ERAT *impetus ſpiritus*, ILLUC *gradiebantur, nec revertebantur, cùm ambularent.* Sic neque ego timeo vel ingenii levitatem, vel indolis torporem, aut aſperitatem morum, aut teneritudinem ſanguinis; quæ vitia interdum è paternis ædibus Societatis Alumni ſecum in Ædes noſtras aſportant, dummodò eos nôn potiùs uni, quàm alteri Collegio affixos, promptóſque videam quaquaverſum decurrere, quò eos Obedientia vocaverit. Arridebat quidem Tauro pratorum Viror, non ideò tamen, ne illo privaretur, aut montes ſcandere, aut per vaſtas ſolitudines ingredi recuſabat; ſic inſatiabilis aviditas carnium,

Ezech.1.12.

& præ-

& prædandi cupiditas Leonem ſtimulabat; nihilominus Greges negligebat & feras, cùm ab omnipotentia Dei, vel in arenas Oceani ageretur, vel in Urbium fora. Eodem modo Homo, & Aquila propenſiones ſuas tum curioſorum aſpectuum, tum illecebroſarum voluptatum ſuperabant, ut illi obſequerentur, à quo è convivalibus Diæ-tis, & coruſcis montibus ad cæcas ſpeluncas,& ſteriles ſcopulos transferebantur. UBI ERAT IMPETUS SPIRITUS, *illuc gradiebantur.* Quòd ſi in Ignatii Filiis hæc ad quaslibet Mundi plagas excurrendi promptitudo ſpectetur, diſſimuletur ſanè in iis aliquis naturæ impetus, quem Religioſus ardor brevi aut compeſcet, aut tollet. Sanè repudiarem vel Angelos, & monſtra præoptarem, ſi quando illi propriâ innocentiâ contenti, adeò patriæ aut nobilibus Academiis adhærerent, ut ne vox quidem Chriſti ſuorum Miniſtrorum ore loquentis ad eos refigendos valeret. Cùm interim illa alia minùs

quidem erudita, minúsque pacata, ſed longè velociùs ac promptiùs ſe ad Itinera Charitatis, & ad Virtutis metas nullis terminis circumſcriptas offerrent. *Facies hominis, & facies Leonis.* Si non ſe figunt, accedant. *Facies bovis & facies aquilæ.* Hos quoque libens, voléns que ad Divinæ Machinæ miniſterium admitto, ſi quocunque DEUS eos miſerit, ituros ſe mihi ſpoponderint. Quilibet, tametſi modicis à natura dotibus inſtructus; quamvìs cupiditatibus æſtuet; licèt ad ſublimes volatus capeſſendos ſtimuletur; quanquam vel appetens, vel egens curæ corporis, ab Ordine noſtro rebus maximis pro DEI gloria gerendis admoveatur: ſperentúrque ab ejus induſtria fructus inſignes in proximorum ſalutem ceſſuri, ſi certum habuerimus, eò perrecturum, quò DEUS illum invitaverit. *Dedi te in lucem Gentium ut ſis ſalus mea,* USQUE AD EXTREMUM TERRÆ. Sol profectò nihil eorum quæ producit in ſe habet, non fructus, non fruges,

ges, non metalla, non gemmas, nihilo tamen ſecius omnia profert; quia nimirum quaquaverſum commeat, ubique præſtò eſt, nihil dedignatur, nullo loco conſiſtit.

99. Eam ob rem Magnus Abbas Bernardus tonabat in eos, qui, cùm Apoſtolicum vivendi genus profiterentur, non communem etiam erga omnes populos amorem, & promptam in omnes regiones proficiſcendi voluntatem profitebantur. Nam ſi Diœceſeos unius, inquit, culturâ & unius gentis inſtitutione ſtudia veſtra concluditis, quamvìs inauditæ doctrinæ radios diffundatis, & prodigiis illuſtremini, non eſtis Apoſtoli, nec oraculum impletis, aut Iſaiæ aut Chriſti. *Dedi te in lucem Gentium.* Jam tum enim vobis Meſſias ſpatia, quæ luce veſtrâ colluſtretís, ampliavit, cùm dixit: quidquid terrarum Cælo tegitur, & quot quot animas Pater meus creat, id omne ſtudiis veſtris patet, nec auguſtioribus terminis ardores veſtros definio. Quòd ſi

mundum ad Modium arctaveritis, non jam lux, sed tenebræ mundi eritis, neque calorem algentibus, sed offendiculum opem vestram expectantibus afferetis. *Vos estis lux mundi*, *dictum est Apostolis*, *& ideò Apostoli super Candelabrum*, *ut toti luceant mundo*. *Pudeat Successores Apostolorum* LUCEM NON ESSE MUNDI, SED MODII. Jam verò si scriptor studiosissimus animarum Præsules & Ecclesiæ Principes, qui nunquam vel opes paternas abjecerunt, vel per Vota se Christi Cruci confixerunt, sic compellat, ejus tantùm officii nomine, quod Ecclesiæ consecratis Sanctitas Pallii, & Tiaræ dignitas imposuit: quibus demum verbis eos S. Abbas fulminaret, qui ab omnipotenti DEO à vili seculi massa secreti, & in Evangelii propagandi Provinciam, & Novæ Legis Præconum vestigia immissi stirpi suæ nuncium remisêre, ac copiosa genitricum ubera, & paternas lachrymas pedibus conculcârunt? Ah! *Pudeat successores Apostolorum lucem non esse Mun-*

Ser. 66. sup. Cant. To. 59. 405.

Mundi, *sed modii.* An non Francisci Fratres, & Ignatii Filii sumus? Quî fit igitur, ut contrà, quàm hujus leges imperant, & illius exempla docent, ab una in aliam Provinciam transire detrectemus? Et desideriorum loco, quibus per infesta maria navigationes ad Antipodas flagitaremus, nobilibus Urbibus, & domibus copiosis animos affigamus?

100. Ubi jam es Basili, qui, cùm tibi durissima exilia relegationésque intolerabiles Præses minaretur, ex ipso, iísque, qui aderant, quæsivisti: Ecquid tam peregrinæ auribus tuis voces sibi vellent? si enim, inquiebas, exilii nomine digressum à Patria intelligitis, id nulli Ecclesiastico Præsuli, atque adeò nec mihi potest indici. Quippe nec eum locum, qui me nascentem excepit, nec istum cui præsum, patriam meam unquam putavi: contrà verò quocunque terrarum me inimicorum meorum barbaries, & veritatis defensæ pœna deportârit, illam ego terram in

in veræ patriæ loco ſum habiturus, quamvìs ejus incolæ Troglodytæ; fruges, cicutæ; piſces, crocodili; & armenta dracones forent. Quantò plura perpeſſus fuero in ſteriles arenas, in concretas glacie terras, in horridos ſpecus damnatus, tantò me feliciorem & propiorem Cælo à Chriſto factum exiſtimabo. En vobis ad omnia parati Archiepiſcopi ſententiam à Gregorio Nazianzeno verbis graviſſimis relatam. *Nec verò exilium ullum cognoſco, qui nullo loco circumſcriptus ſum, ac neque* TERRAM HANC, *quam nunc colo,* MEAM HABEO, ET EAM OMNEM, *in quam projectus fuero,* PRO MEA DUCO. Ah! ſi non dicam Baſilii, hoc eſt Viri Moyſi ſuppares, ſimiles Apoſtolis, nec inferiores primis Angelorum Choris, ſed nîl ampliùs, quàm Chriſti ſervi eſſemus: Jam profectò totus terrarum Orbis, & patria nobis, & exilium foret. Patria quidem, quam inſtitutionibus noſtris ad ſanctitatem erudiremus: Exilium verò,

Orat. funeb. in laud. Baſil. To. 59. 111.

rò, quòd nollemus ullis illius commodis perfrui. Clamat idcirco Ambrosius. *Domesticus Dei, exul est mundo.* *Ser. 7. in Ps. 118. To. 10. 305.* Multò copiosiùs longèque priùs fidelibus Africanis in eandem sententiam scripserat Tertullianus. Vobis, inquiebat, si veri Auditores Evangelii estis, non magìs pensiles Babylonis Horti, quàm subterranea Romæ ergastula placere possunt. Ex æquo vobis & displicere debent, & placere, tam aureæ domus Romanorum Cæsarum, quàm cœci carceris squalor, custodiæque Tyrannorum Chaldæorum. Nihil interest, ubi corpore moretur, qui cogitatione & affectu in Cælo degit. Illo ipso die, quo sacro Baptismi fonte capita mersistis, terrenis domiciliis renunciâstis, eodémque momento, quo in Ecclesiæ sacraria veræ Religionis Neophyti fuistis inducti, è mundo exiistis, Hierosolymæ Cælestis Civitate donati. *Contristetur illic, qui fructum seculi suspirat. Christianus etiam extra carcerem seculo renunciavit, in carcere autem, etiam carceri.* *Lib. ad Mart. To. 58. 199.*

ceri. *Nihil intereſt* UBI SITIS IN SÆCULO, QUI EXTRA SÆCULUM ESTIS. Miſeri! nec tamen miſeratione ullâ digni erimus, ſi, dum Baſilius ibi non eſt, ubi moratur, nec ſuam Metropolim, cui præeſt, Patriam ſuam credit, ſed Mundum pro patria, & nullam toto in mundo patriam cupit; nos illi penitus contrarii, & de domiciliis non incommodis digreſſi, in iisdem deſiderio, atque animo toti nihilominùs hæreremus. Et quot ſunt fortaſſis, qui ad eas ſedes, quas deſeruerunt, ſemper aſpirant, & ceu infeliciſſimæ cochleæ, utì appellantur à S. Ambroſio, ſecum trahunt Collegia, quæ relinquunt; neque verò ea tergo vehunt, ſed intimo pectore concludunt: pulcherrimæ planéque Angelicæ Promptitudinis, tum quoque, cùm imperata facientes ex unâ in aliam regionem utcunque migrant, prorſùs exſortes. VELUT COCHLEÆ, *quæ niſi intra teſtæ operimentum ſint, ſpirare non poſſunt.* Apage tam indignam pectore Religioſo ſarcinam,

Lib. 1. de Abel. To. 10, 150.

cinam,

cinam, & Franciſci ac Baſilii exemplo proclama. Non illic vivo, ubi dego; quoniam in omnibus illis Orbis partibus vivere cupio, quas Apoſtolicis meis laboribus ſtadium eſſe Chriſtus juſſerit. Illa regio mea eſt, in quâ luce Veritatis ſuperſtitioſos Populos illuſtravero. Illa mea patria eſt, in qua Patris æterni Gratiam recupurabo divinæ legis Deſertoribus. Quisquis paternam domum deſerüit, in omni tugurio domum, & in quovis Mapali Palatium habet.

101. Tales nimirum primi Chriſtiani, & primi Societatis Sacerdotes fuêre: quorum animi Deum quodammodo ſic res creatas complectentem, ut ab iis non claudatur, imitati, Mundum univerſum amplectebantur, nullâ tamen ejus parte unquam arctati, ſemper in ſacras expeditiones Regionum recèns detectarum intenti. Hæc talis magnanimitas incognita regna, & ignotas terras Votis ac Suſpiriis ſequendi, ſi quando in nobis deficeret, equidem cruen-

tis lachrymis veluti collapſum Inſtituti noſtri culmen deplorarem. Sanè Ignatius in qualibet parte Mundi agere vitam nos juſſit, & DEUS nos elegit, ut in quolibet maris ſcopulo, & agro continente, in omnibus angulis Civitatum, in quocumque lapide Pagorum, quos nec Coſmographi deſcripſerunt, nec ambitio cogitavit, doctrinam ſuam vulgaremus. Si quondam in nobis ardor ille remotos populos adeundi langueſceret, tum enimverò Vocationis noſtræ characterem obliteratum putarem. Haud ſatis expoſiturus mihi videor mei doloris moleſtiam, niſi Carthaginis luctum, quem ex incenſâ ſuâ claſſe Civitas illa conceperat, retulero. Quamdiu Carthaginenſes in portu ſuo Triremes conſpiciebant, quibus in Hiſpanias, atque Italiam victrices exercitus ſui tantâ nominis Punici gloriâ, tanto incremento Imperii, quondam navigaverant: nondum ſe perditos conclamârunt, quamvìs victos ſe ſubjugatóſque deflerent. Præſidebant foro

ro Quæstores Romani, in fossas mœnia desederant: pendebant Capitolio vectigal ingens, ac Romam olim à se oppugnatam Regnorum suorum Dominam suspicere cogebantur. In tanta tamen fortunæ adversitate, tanto servitutis pudore, & impositi jugi gravitate, non prorsus profligatas res suas indomiti bellatores illi putabant, nec desperabant posse se olim servatarum navium puppibus repetere terras eas, quas antehac armis suis victores obtinuerant; tum denique victos se subjugatósque fassi sunt, cùm Laureatus Proconsul actas in altum quingentas naves bellicas injectis flammis universas exussit, nullâ penitus in navalis expugnati memoriam relictâ. *Naves provectas in altum incendi jussit*, inquit Livius, *quingentas fuisse omnis generis quidam tradunt, quarum conspectum incendium tam lugubre fuisse Poenis*, QUAM SI TUM IPSA CARTHAGO ARDERET. Nulla planè vigentis quondam fervoris remissio sic me terreret, *Lib.30.hist. To 102.150.*

 uti

utì ſola ſuſpicio, ne frigerent in animis Alumnorum Ignatii beata illa vota & Apoſtolicum ſtudium, ſeu vaſta maria transeundi, ſeu ſuper remotiſſimos quosque horridiſſimóſque montes, tum Zonæ torridæ, tum glaciali Polo ſubjectos, Crucem erigendi. Neque mirationem vobis hi mei metus faciant, quoniam qui fervorem ad Deum adducendi longinquas, barbaráſque gentes huic Ordini tollit, non is capillamenti decus, non ſanguinis colorem, non vivacium ſpirituum robur, non loquendi facultatem rapit, ſed è pectore cor illi eximit, & à membris animam avellit, &, quod conſectarium eſt, illum è vivo corpore in frigidum cadaver reſolvit, ipſâ ſui ſubſtantiâ mutatum, & miſerabili corruptioni totius compoſiti ſubjectum. Quemadmodum enim, qui Anachoretis ſolitudinem ac ſilentium; Monachis Pſalmodiam, & jejunia; Fratribus Minoribus nuditatem, & ſaccum; Stylitis columnam, atque vigilias eriperet, eos animâ

mâ planè ipſâ ſpoliaret, & in Cœtus longè diverſiſſimos ab iis, quos mundus adoraverat, commutaret. Sic ubi Divinarum humanarúmque Diſciplinarum ſtudia, & deſideria ſacrarum expeditionum, Miſſionúmque in Societate non remanerent; non jam ea foret Apoſtolicum illud Agmen, quod Pater æternus ad exſcindendas Hæreſes, erudiendóſque veræ Religionis expertes conſcripſit. *Dedi te in lucem Gentium*, UT SIS SALUS MEA USQUE AD EXTREMUM TERRÆ. Quapropter frontibus Filiorum Ignatii tanquam militiæ ſuæ teſſera litteris aureis inſcribatur: *Nihil intereſt ubi ſitis* IN SÆCULO, *qui extra ſæculum eſtis*.

102. Enim verò hìc non pauci ab Adami ficu nova teporis ſui tegumenta furantur, cùm dicunt: Collegia numeroſa, & Domus frequentes ſolo ſtudio virtutis feliciùs plerumque efflore-ſcentis, ubi eam commorantium numerus amplificet, à ſe amari. Eatenus

à ſe minora domicilia & in ignobilibus vicis poſitas domos vitari, quatenus eò minorem in his æmulationem mutui profectûs conſpiciant, quò minor pariter eſt proficientium numerus. Non, inquiunt, Domuum ampliorum commoda, ſed earum Sanctitas in iis nos detinet. Cujus perſuaſionis fallaciam doctè irridet S.Gregorius in ea Epiſtola, quam ad Cyriacum Conſtantinopolitanum Patriarcham dedit. Ad amiſſam Monaſterii quietem aſpirabat vir bonus, Epiſcopalium ædium ingratos tumultus pertæſus. Atque in eo jam erat, ut à commiſſo ſibi grege fugam arriperet, ſimul & luctam cum Lupis vitaturus, & amiſſæ tranquillitatis pacem recepturus. Eum S.Pontifex ut in Præfecturæ ſuæ conflictu conſtanter perſeveraret, confirmavit, monuítque nullo ſemoti Montis ſilentio quietem animæ afferri, niſì ad eam Spiritus Divinus nos impulerit; ſicut neque ulli tumultuantium negotiorum ſtrepitus meditationem divinarum litterarum per-

perturbent, cùm ad agendam inter delirantes populos moram Verbum Æternum nos invitaverit. Sub ipſo Tentorio Abrahami DEI vivi cultoris, & verorum Fidelium Legislatoris Iſmaël idola finxit, & penè dementavit Iſaacos. Idem à ſacris Tabernaculis Patris proſcriptus, & cum genitrice vel infideli vel ſceleratâ in ſylvis commoratus DEUM ſpectabilem, & Magiſtros Angelos nactus eſt. Ità Lothus, qui Sodomæos inter lumine pudicitiæ ab ipſomet DEO ampliſſimis præmiis cohoneſtatæ inclaruit, in ſolitudine radios innocentiæ monſtroſis nuptiis, ſoboléque funeſtâ infecit. Quamobrem pluris fiat divinæ voluntatis reverentia, quàm clauſtrorum bene munitorum virtus. *Hoc præcipuè perpendas, quia quælibet occulta loca, ſine DEI gratia* ANIMAM SALVARE NON POSSUNT, *nam Loth in perverſa Civitate Juſtus fuit, in monte peccavit.* *Lib.6.Ep.5. Tom.32.40.* Subinde graviſſimus vitæ perfectæ Auctor, ceu Sancta quædam Sanctorum

aperit irrefragabilium Oraculorum ad piè vitam exigendam. *Sed iſta cur dicimus, cum majora noverimus? Quid enim Paradiſo jucundius? Quid Cælo ſecurius? & tamen homo ex Paradiſo peccando, & Angelus è Cælo cecidit. Illius ergo nobis virtus quærenda eſt, & gratia poſtulanda, ſine quo nusquam absque periculo & culpa: cum quo nusquam ſine juſtitia eſſe poſſumus.* Nimis profectò ille decipitur, qui deſerto vexillo Evangelicæ Indifferentiæ, quæ nullo diſcrimine ſedes omnes complectitur, meritorum incrementum & Sanctorum operum lucem ſibi promittit, ſi modò intra parietes, pervigili Præſidum curâ defenſos, ſe receperit. Equidem vigilabunt illi, ſed tu dormies; Illorum excubiæ mortiferum in te Lethargum parient, quoniam DEUS Gubernationis Religioſæ fructum negabit animæ tuæ, ſi non in Ignatii leges planè contumaci, certè illarum minimè ſtudioſæ. Quapropter animadvertit S. Ambroſius inter blaſphemantium Judæo-

rum

rum ululatus Christum apparuisse Stephano Protomartyri, & inter lapidantes Carnifices Cæli penetralia reclusisse: Cùm tamen Magdalena sacro sepulchro proxima, & Angelicis stipata Spiritibus, redivivum Christum alloquatur, nec agnoscat, ignobilem cultorem herbarum rata, non gloriosum Servatorem animarum. Adeò verum est animorum sanctitatem è locorum sanctitate neutiquam pendere; Cùm hinc inter adoratorum mysteriorum monumenta repant in pulvere, illinc verò resonantibus circum Tartareis fremitibus ad Cælestis Harmoniæ sensum se attollant. *Stephanus* INTER JUDÆOS VIDIT ABSENTEM, *Maria* INTER ANGELOS NON VIDIT PRÆSENTEM. Patres, Fratrésque mei me ipso mihi chariores, inter medios turbines, laboriosarũ occupationum, & implicatorum negotiorũ suavissimos in Deum raptus speremus, si ad ejusmodi strepitus nos obedientia dimisit. Neque unquam promittamus nobis aut stillatu- *Lib. 10. in Luc. To. 44. 164.*

ram ex oculis lachrymulam, aut ſcintillam in ſinu exarſuram, vel in Sinai vertice commorantibus, cùm eo loco nos ſtatuerit precum noſtrarum importunitas potiùs, quàm deliberata voluntas regentium. Illic DEUS eſt, eo loco invenitur Deus, non ubi nobis inveniendum perſuademus, aut degere ſomniamus. Contrà verò ab ejus pietate ſuaviſſimos amplexus, & coronas triumphales in negotiis irrequietis & locis tẽpeſtate multiplici agitatis recipiemus. SINE QUO NUSQUAM, *absq; periculo & culpâ*, CUM QUO NUSQUAM SINE JUSTITIA *eſſe poſſumus*.

103. At enim diripienda eſt aliquando ſua Ignaviæ perſona, quâ commodorum cupiditatem fervoris deſiderio per fucum obtegere conatur. Dicamus, quod res eſt, nec diverſa menti verba fingamus. Deſideramus ſcilicet domus conſpicuas non eo nomine, quòd in his diſciplina magìs reſplendeat, ſed quia corpori magìs proſpicitur: non nos ſtatæ precationis penſum ſedu-

ſedulò exigi ſolitum, non ſilentii cuſtodia, non exempli ſplendor, non diſſeminatio Verbi divini, non modeſtiæ illuſtre decus, non voluntariarum afflictationum frequens uſus, ad ampliora Collegia expetenda proliciunt. Vereor enim nè diligentia eorum, qui rem domeſticam curant, ſupellectilis copia, proventuum ubertas, ædificii amplitudo, habitationis commoditas ad domicilia celebriora nos aſpirare jubeant. Qua in re prô quantùm ab invictorum Chriſti Pugilum ſenſis diſſideremus! Hi patriæ nomen abrogabant Emporiis illis, ubi ſub illuſtribus tectis in lucem editi, ubi ſplendidè educati, ubi eos magnifici Throni expectabant, & nobilis conſanguinitas comitabatur, omnibus fortunæ bonis affluentes. Illas ſedes verè ſibi patrias appellabant, in quibus adſtricti compedibus, equuleis torti, facibus uſti, pectinibus laniati, feris belluis objecti, carnificibus traditi, libertatem in catenis, vitam in tormentis, famam in patibulis amittebant. Quibus

in locis cruciabantur ſæviùs, ibi & amores, & cogitationes ſuas omnes reponebant. NAM PATRIA MARTYRIS EST LOCUS PASSIONIS. In hanc ſententiam Gregorius Nyſſenus Baſilii Frater ſcripſit. Eam ob cauſam Domitilla propinquo ſanguinis nexu regnantibus Flaviis inſerta, Romam ſibi patriam negabat eſſe: quoniam in ea inter Capitolii Principes Feminas peculiari veneratione, ſublimitate faſtigii, Titulorum Magnificentiâ, & ampliſſimo comitatu Matronarum Conſularium fruebatur. Ambigebat potiùs an patria ſua non eſſet aut Inſula Palmaria, in qua barbarum in morem diu divexata eſt, aut Tarracina ubi vitam pro Chriſti amore cum puellis ſuis in flammis poſuit. *Patria Martyris eſt locus paſſionis.* Jam verò, cùm tam illuſtria exempla ſuppetant, quo animo erga ærumnas, & aſpera quæque affici oporteat, quantum noſtrum dedecus foret, ſi à tenerarum Virginum, & invictorum Confeſſorum magnanimi-

Orat: magni Theod: Mart. Tom.13.43.

mi-

mitate adeò diversi eas sedes amaremus, in quibus recreatur corpus, & ab illis refugeremus, in quibus nos Crux accipit? Quidnî primorum Patrum austeritate revocatâ, ceu hallucinantem ac mendacem, Stoicum confutamus, affirmare ausum, eum locum unicuique natalem esse, qui vitæ commodis abundaret? *Patria est* (infelix inquiebat Philosophus) UBICUNQUE BENE EST. Quisquis gustum aliquem Evangelii habet, tam rudem Philosophum palàm redarguat, ac magnâ voce; non illa, exclamet, Christi Sectatorum patria est; quam mellis torrentes inundant. Illa illa patria nostra est, è qua dolorum rivi dimanant, & clavorum ac spinarum seges colligitur. PATRIA EST UBICUNQUE MALE EST. Si gravior in illa Urbe paupertas, domicilium angustius, crudior aura, solum sterilius, Cives minùs culti; si, qui præest, austerior, Ministri negligentes videntur, socii verborum parciores, eò precum alis, repulsæ omnis im-

Lib. de Provid. Tom. 9 82.

impatiens convolabo; neque bene mecum agi credam, donec in tot mala me penitus immisero. *Patria Martyris est locus passionis. Patria est* UBICUNQUE MALE EST. Discipulis Epicuri sit sanè Dux Seneca, qui rosas colligit, spinas excolit, botros exprimit, Etesias suspirat, Cæli temperiem amat, de triumphalibus Arcubus sententiam illam suam suspendit, ac floreis corollis inscribit: *Patria est ubicumque bene est*: nam Crucifixi Auditores, ibi animum ac gradum figunt, ubi Montis Calvarii scena vel instauratur, vel saltem adumbratur.

104. Id certè solemne Paulo fuit, cùm Regias illas fugeret, à quibus plausu excipiebatur, & ad eas Urbes navigaret, apud quas pessimè audiret. Age in rem præsentem veniamus. Prosperè successerat Magistro Gentium, ut Sergium Paulum Papho, Cypri Metropoli, imperantem, doctrinâ suâ convictum, & patratis à se prodigiis attonitum, ad Christianas leges traduceret.

Vix

Vix ſacræ litteræ Baptiſmum inſtructi à Paulo Conſularis Viri expoſuerant, cùm pariter Paulum exhibent aliò terrarum vela facientem. *Tunc Proconſul, cùm vidiſſet factum, credidit admirans ſuper doctrina Domini. Et cùm à Papho navigâſſent, Paulus, & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphiliæ.* Act. 13.15. *Interſatur hoc loco Joan. Chryſoſtomus, & vide autem*, inquit, *illos non diu moram trahentes*, UTPOTE CONSULE JAM CREDULO FACTO, *neque emollitos adulatione, & honore, ſed ſtatim operi incumbentes*, & IN DIVERSAM REGIONEM FESTINANTES. Homil. 28. in Act. Tom. 36. 57. Rurſus cùm magnum illud electionis Vas ad pedes ſibi Lyſtrenſem plebem videret accidiſſe, eâ mente ut ſe pariter ac Barnabam, quorum alterum delapſum Cælo Mercurium, Jovem alterum Deorum Principem credebat, cæſis victimis veneraretur, veſtem diſcidit, adoratores repulit, hominem ſe ac de infima Tribu opificem profeſſus eſt, certus ab iis ſe mœnibus

quan-

quantocyùs proripere. Interim ab Iconio adsunt infesti hostes, tantáque rabie in eum declamârunt, ut commota plebs eum velut seditionum & errorum auctorem, & publicæ quietis perturbatorem lapidibus obruerent, gravémque vulneribus & pro mortuo abjicerent.
Act. 14. 18. *Lapidantésque Paulum traxerunt extra Civitatem, existimantes eum mortuum esse.* Vix dum saucius Doctor recipere spiritum, & allevare oculos cœperat, cùm protinus latebrarum ac fugæ loco in tumultuantem furentémque urbem rediit, novísque suppliciis se se obvium tulit. *Circumdantibus autem eum Discipulis* SURGENS INTRAVIT CIVITATEM. Hìc rei novitate attonitus idem Chrysostomus exclamat: Haud facilè reperietis alumnos Christi eò cursitare, quò prodigiorum patratorum fama populorum erga eos vota studiáque erexerant. A triumphis ejusmodi ultrò sibi exilium indicebant, eò se recipere soliti, ubi fremebat vulgus, & Ty-

ranni furebant. *Surgens intravit Civitatem. Nusquam autem dicit, quòd reversi sunt,* UBI SIGNA FECERUNT; *sed ubi meruerant pro nomine illius ignominiosi haberi. Nam hoc à Christo didicerant, dicente, nè gaudete, quòd Dæmonia vobis subjiciantur. Etenim revera gaudium purum est,* PATI ALIQUID PROPTER CHRISTUM. Hæc profectò sacrosancta illa Indifferentia locorum est, quoniam non perinde nullo discrimine habet ab ærumnis abesse, sed illuc procurrit, ubi, quod patiatur, se reperturam arbitratur. Equidem si viri Apostolici sumus, illa ædificia nobis arrideant, quæ inquilinos suos & alunt parciùs, & habent duriùs, & tanquam Evangelici quidam furnuli corpus ærumnis excoquunt, ut animum coronent. Non trahit moram Paulus in conversi Proregis Palatio, Consularis mensæ delicias contemnit; honores ab assentantibus Palatinis exhibitos, munera à subditis ambitiosis oblata, egentis turbæ concur-

sum,

ſum, laudes prodigiis ſuis impenſas, admirationes denique repudiat, quas ſua illi Theologia excitabat. Paphum fugit, quòd illic triumpharet; Lyſtram redit, quòd hîc cæſus, ùt ſervus, & traductus ùt impius, vulnera reciperet, & contumelias ſperaret.

105. Tam præclarorum ſtudiorum Magiſtrum ſymbolicus ille Danielis lapis ſe præbuit. Revulſus ille à montis vertice nullâ ligonis violentiâ, nullâ cuniculorum igniariorum vi, aut motæ terræ concuſſione, ultrò ad Coloſſum Chaldæum provolutus eſt: quò cùm perveniſſet, non in capite ſtatuæ conſedit, auri ſplendore irradiandus, & populi plauſum, quo is ſimulacri faciem efferebat, excepturus, ſed infimæ illius parti ſe admovit, ut ferri rubiginem purgaret, & fragilitatem cretæ caſtigaret. *Abſciſſus eſt lapis de monte ſinè manibus, & percuſſit Statuam,* IN PEDIBUS *ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* Hæc ſcilicet eſt muneris ad quod vocati ſumus, ritè obeundi for-

Dan 2.34.

forma: advolare non ad Regiarum Aularum splendores, ut Magnatum gratiam assentatione atque blanditiis aucupemur. Illuc eatur, ubi zelus noster exercere vires suas possit: ubi campus aperitur industriæ nostræ: ubi tolli flagitia, corrigi errores, peccantes ad pœnitentiam & errantes reduci in viam possunt. Et quoniam Majores nostri tales se se Europæ Civitatibus præstiterunt, cùm rudes erudirent, improbos exterrerent, reprehenderent effeminatos, refrenarent feroces, inter ruinas emendatorum peccatorum in immensum adeò montem paucorum annorum spatio creverunt, ut novum juxtà, veterémque Orbem occuparent: *Lapis autem qui percusserat Statuam factus est* MONS MAGNUS, *& implevit* UNIVERSAM TERRAM. Et profectò incredibili rubore suffundor, quoties promptitudinem lapidis expendo, nullo machinarum impetu loco suo dimoti. *Abscissus est lapis de monte* SINE MANIBUS. Quantus Mons

Roma tunc erat, cùm in eâ versaretur Franciscus Apostolus noster, ac tantâ observantiâ, tantis studiis à summis pariter atque infimis audiretur? Simul tamen, ubi voluntas ei est significata Ignatii, se à Vaticano abrupit, & ad ultimos fines Orientis se contulit. *Abscissus* SINE MANIBUS. Neque pluribus per ea tempora opus erat, ut ex hujus Urbis meditullio litteratissimi Viri Societatis, ad immanissimas Gentes & ignotas Orbis Plagas transferrentur. *Sinè manibus*, una Præpositi vox Alpes in medium mare trajiciebat, atque istæ longè jucundiùs, inter assultus procellarum, quàm inter lenis auræ afflatus versabantur. Nostrorum hominum nemo vel in frequentibus Emporiis ambiebat aliud quàm infimum angulum, in quo patiendi desideria, & animarum studium expleret. *Percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus.* Quisquis advenas Ignatii Filios cognoscere propiùs cupiebat, eos in Nosocomiis, Reorum custodiis, Triremibus, &

pro-

prope culcitras morientium vestigabat, in id solùm intentos, ut offensiones publicas tollerent, & peccata sedulò anteverterent. Id quod me vocat ad secundæ partis examen, quam de munerum non minùs, quàm locorum Indifferentia proposui.

106. Qua in re absolutissimum prototypon procul dubio se nobis S. Franciscus noster exhibuit, cùm missus in Indias geminâ dignitate Nuncii Apostolici, & Christiani Catechistæ ornatus, vix semel atque iterum Legationis Imperium exercuit, Catechismi verò labores millies: rudem ætatulam informans, homines rusticanos erudiens, Idolorum Cultores informans, Pagodes diruens. Bis eum videbitis Diploma Pontificium, quo Legati Apostolici dignitas illi asserebatur, Archiepiscopo Goano, & Præfecto Malacensi exhibere, eo videlicet consilio, ut ille mentem Pontificis intelligeret, hic verò voluntati divinæ repugnare aliquando cessaret. In omni alia occasione Franci-

ſcus Cannabe veſtitus, nudis pedibus, detecto capite, defectus viatico, jejunus, famelicus, anhelus animas inſequebatur, tantò ſibi gratiores, quantò deſpectiores aliis, & ab omnibus deſertas. *Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea usque ad extremum terræ.* Eodem nimirum modo Sol palmam triumphis natam, & trifolium pecudum pabulum fecundat. Quis verò mihi dabit, ut in omnibus Societatis Alumnis reviſam beatam hanc Indifferentiam, ut ad honorifica officia, & humilia munia, ad laborioſa atque ad commoda perinde afficiantur? Ea in re mirabilem prorſus ſe præbuit Joſephus, ſemper lætus, ſemper magnanimus, ſemper negotioſus, ſemper induſtrius, non minùs cùm eum fortuna ad culinæ miniſterium deprimeret, quàm cùm ſua eum virtus ad thronum evexiſſet. Non vultum, non mentem tanta rerum varietas mutavit, ſeu cùm à Patre veſte Polymitâ exornaretur, ſeu cùm eâdem ſpoliaretur à Fratribus. Jam regiarum

epularum Præfecto venditus, aliàs ad familiam regendam exaltatus: Jam turris fundo abstrusus, atque iterum carceri moderando impositus: Jam denique ab ingrato Pincernâ neglectus, & subinde in Imperii Collegam à Rege adscitus. Cocus fuliginosus nunquam ad Abrahami Proavi sui Trophæa reflexit animum. Ægypti Pro-Rex, nunquam paterni tugurii, & custoditi quondam à se gregis oblitus est. Id solùm agebat, ut in eâ functione, in qua eum divina Providentia collocâ-rat, optimum se præstaret, non ignarus animum per humilitatem infimorum officiorum, ab æternorum præmiorum dignitate neutiquam præpediri, neque ut in oculis Dei magnus sis, quidquam in hoc esse præsidii, ut inter prona Magnatum obsequia maximus videâre. Imò si Ambrosio, rem, ùt gesta est, enarranti credimus. *Quò status inferior, eò* VIRTUS EMINENTIOR. Audiamus porrò, quàm mirabiliter magnus Doctor beati juvenis

Epist.44. ad Constan. Episc. To.4. 83.

ad quamlibet vitæ conditionem Filii Familias, Mancipii capite damnati, ac demum Proregis parem animi inductionem & æquabilitatem expendat. SCIVIT *humiliari S. Joseph. Itaque emptus à Coquorum præposito, non prosapiæ nobilis conscientiâ dedignatur obsequia Vernacula, sed magìs gnavum se, & fidelem herili imperio præbuit, alto intendens consilio* NIHIL INTERESSE, IN QUO STATU QUIS PROBABILEM SE PRÆSTARET, *sed illum esse finem* BONORUM, UT IN QUOCUNQUE STATU PROBARENTUR, *illúdque præcipuum*, SI MAGIS MORES COMMENDARENT STATUM, QUAM STATUS MORES. O nos beatos! si relictâ tot sacris Ordinibus Instituti sui austeritate, illibatam promptámque sanctam hanc ad ministeria nostra Indifferentiam conservaverimus. Nunquam aut specus, aut storeas, aut hamatas tunicas, nec crudas in cibum herbas, nec duros silices in quietem invidebo, vitam tan-

tâ

tà cum laude, tótque præmiis olim coronandam agentibus, dum eos, quos rego, tum à locis, tum à muniis videam exſolutos, eóque hilariores, tanquam veros Franciſci Diſcipulos, quò minùs ſplendidum fuerit illud, cui ſe vires eorum, ac facultates impendunt.

107. Hujus virtutis arduitas adeò ſe mihi pretioſam & æſtimabilem reddit, ut omnibus propemodum cæteris ornamentis eam anteponam. *Sicut* LUNA PERFECTA *in æternum, & testis in Cælo fidelis.* Tam inexpectata mihi accidit ea veneratio, quâ Rex Vates tam humilem, tótque defectibus obnoxium planetam obſervat, ut penè fidem negarem prolatæ ſententiæ; niſi Religio juberet: *Luna perfecta, & testis in Cælo fidelis?* Imò verò adeò illa celebris in Eccleſia eſt, ut in ipſo Martyrologiorum ſuorum exordio Sacerdotibus ac Levitis in Choro concinentibus, primò ejus curſum indicet, ac deinceps certamina Martyrum deſcribat. *Sicut Luna perfecta in æternum,* Psal. 88.38.

& testis in Cælo fidelis. A tam alto & obscuro Mysterio velum reducit S. Bernardus Abbas. *Luna*, inquit, *modò plena, modò exigua*, MODO NVLLA *videtur.* In tanta varietate splendoris, jam nimii, jam immuniti, jam obtenebrati, prosequitur nihilominus cæptum curriculum morigerum sidus, neque minùs Solem sequitur, cùm ejus radiis locupletatur, quàm cùm ab eodem luce penè omni exhauritur. Quin fide inauditâ, cùm, ùt oculi quidem æstimant, supremum luminare minori se parciùs indulget, tantò propiùs se hoc cum illo conjungit, séque illi arctiùs devinctum fatetur. *Sicut Luna perfecta in æternum, & testis in Cælo fidelis.* Certè ut nostrûm aliquis Societatem amet, à qua se videt ad amplissima munera provectum, nec magnum, nec mirum est. At verò prodigiosa illa est virtus, quæ eandem Matris loco habet, cùm veluti Noverca vel in humilitatis nostræ profectum, vel in destitutarum animarum auxilium ad munia Apostolica

Ser. in Nat. S. Jo. Tom. p. 227.

lica

lica quidem, ſed obſcura atque humilia illam demittit. *Luna modò plena, modò exigua*, MODO NVLLA; conſtantiſſimè tamen in præfixo ſibi ſpatio decurrit, nunquam quietis cupida, vel laboris pertæſa.

108. Id procul dubio in Miniſteriorum inæqualitate, fervoris æqualitatem notat. Haud tamen explicat ſatis Evangelicam illam INCLINATIONEM, quâ Franciſcus propendebat, & verò noſtrûm quilibet ferri debet, ad ea munia, quæ vulgò minùs æſtimantur, & à DEO tenebris quibusdam involvuntur. Quapropter Chriſtus cùm Gratiæ ſuæ naturam exponeret, non eam Lunæ comparavit, quæ ſemper in Gloriæ ſuæ Cælo reſidet, ſed Aquæ, quæ deorſum vergit, nec quieſcit niſì cùm ultimum terræ locum occupavit. *Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo* FONS AQVÆ *ſalientis in vitam æternam*. Joan. 4. 14. Tum etiam, cùm aqua plumbeis ſiphonibus compreſſa in altum truditur, continuò in terram recidit, & marmoreis

reis amphoris, urnísque onychinis contemptis ſubinde in pulvere ſe verſat, non gravata ſordeſcere, ut ad declivem campi partem decurrat. Id, quod in hoc Elemento naturæ, in Hilarione Sanctitatis & Virtutis fuit, equidem pius Anachoreta, Edeni Paradiſi, non innocentiâ minùs, quàm felicitate in nemore ſuo fruebatur: cùm repentè ab ea profugus mare trajicit, non ſine manifeſto periculo naufragii. Quò, amabò te, quorſum, Hilarion, curſum dirigis, & unde te proripis? Orientem, inquit, fugio, & tempeſtatibus Pelagi me objiciam, nullo mihi littore præfixo. Illa demum arena mihi gratior erit, quæ magìs deſerta in hominum memoria me tumulabit. Abominor Palæſtinam tametſi Reparatoris noſtri veſtigiis conſecratam; eò quòd in ea venerabundi Præſules, Populi obſequioſi ac Dæmones effugati Sanctum me proclamant, adorántque miſerum licèt, viventémque. *Concurrebant Epiſcopi, Clericorum & Monachorum greges, vulgus ignobile,*

In Vita Hilar. Tom. 17. 201.

poten-

potentes viri ac Judices. At ille nihil aliud NISI SOLITUDINEM MEDITABATUR. *Quòd si jam in Oriente latere non posset, ad solas navigare Insulas cogitabat*, UT QUEM TERRA VULGAVERAT, SALTEM MARIA CELARENT. Hactenus S. Hieronymus. Quis unquam credidisset futurum, ut tantum horrorem beatus Asceta conciperet à communi plausu, quo tota terra Sancta eum prosequebatur, ut quò se summorum juxta infimorúmque studiis ac venerationi subtraheret, Evangeliorum volumen, quod à se descriptum totum Cellæ suæ patrimonium erat, vendere non dubitaret, quò Naulum Institori solveret, qui se ad desertissimos Mediterranei maris scopulos transveheret? *Ut quem terra vulgaverat*, SALTEM MARIA CELARENT. Et quoniam, quocunque locorum devenisset, prodigiis, quæ ab ejus vultu & ejus Cilicio, quod isti erat pro veste, scaturiebant, proditus, celebrior, quàm antehac unquam reddeba-

ba-

batur, intolerans debiti virtuti suæ cultûs homo divinus in lachrymas solvebatur, & sua eum gloria extremis cruciatibus conficiebat. *Aliam parabat fugam, & solitarias terras mente perlustrans* MŒREBAT, QUOD, TACENTE DE SE LINGUA, MIRACULA LOQUERENTUR. Huc adeste, quibus vox & sanguis deficit, si quando non ab omnibus digito monstrari, nec vel in Academiarum Theatro, vel in Majestate Templorum inter Collegas Principatum, & inter litteratos regnum obtinuisse vobis videmini. In Hilarionis vultu, ceu speculo, vos contemplamini, & attoniti considerate, quantopere magnum Dei servum nominis sui splendor offenderit, quámque intolerabilis vobis accidat qualiscunque vel minima famæ non clarissimæ imminutio. An fortè hos filios dicemus Ignatii, qui ad se se deprimendum pro stulto se Romæ objicere, & puerorum derisui plumis vestitum, & luto deformatum exponere constituerat?

rat? Non minùs à Patris sui sensu, quàm unus ab altero Polus disjungitur, recederet, qui dotibus suis famam aucuparetur, si dum ille injurias sitit & probra, nos laudes & excellentiam esuriremus sitiremúsque.

109. Deum immortalem! Et quantò plures animas Cælo interdum lucrantur, nullius nominis, sed summæ virtutis Operarii, præquam faciant Academiarum invidiosi Principes, & Basilicarum celebres Oratores! Qui Pastorum mapalia lustrat, qui Bubulcorum montes scandit, qui ad Remigum transtra descendit, qui ad Mauros edocendos in fodinas se demittit, per Myriadas numerat, quos Cælo peperit; dum interim qui de sublimiore loco fulget, Deo forsan nè unum quidem Proselytum pœnitentem, aut Neophytum à se Orthodoxæ Fidei lumine collustratum repræsentat? Simile quid in Ordinibus Religiosis accidit, quod evenisse in Ægypto Gregorius Nyssenus notavit, cùm Gens Judæa lateres coque-

queret, & paleas colligeret. Iis Provinciis Pharao aureum sceptrum, & gemmis coruscum manu præferens dominabatur. Moyses contrà ibidem famulabatur, & dextrâ Virgam, vel è Corylo, vel è Nuce regebat. Nihilominus, dum Rex aureo sceptro nihil penitus efficit, Propheta vilissimæ Virgæ sibilo flumina sanguine diluebat, latifundia vastabat, siccabat Oceanos, primogenitos tumulabat, mergebat exercitus, & à rupibus fontes, & ex aëre manna devocabat. *Virga Mosis virga erat* EX NUCE SEU CORYLO. *Ubi autem Deus voluit* LIGNUM MUTABATUR IN SERPENTEM, *in sanguinem aquam redigebat, edebat ranarum fœtum.* Concludit demùm eruditus Scriptor, affirmátque, non posse nos ceu vilem ramum illum contemnere, qui Monarchæ sceptro potentior, & Elementorum Imperio superior esset. *Ne contemnamus: nam id, quod operatur*, MAGNUM EST. Persæpe Gradus qui minùs illustres in Socie-

Ex Testim. ad℣*. Jud. Tom. I 3.30.*

tate

tate videntur, vel ob Sanctitatem exempli, vel ob industriam eorum, qui rite ejus partes implent, totas Civitates consecrant, & Christi gloriam amplificant, innumero eorum numero, quos eidem in Calvarii ascensu socios adjungunt. *Ne contemnamus, nam id, quod operatur, magnum est.* Alius, dum pro Munere Operarii peccatores expiat, sæpe sæpius infinitos ad frugem reducit. Sacerdos alius Christianæ Doctrinæ Elementa explicans sæpenumero ad Evangelicam innocentiam copiosum agmen Angelorum educat. Missionarius, dum ad paganos homines simpliciter planéque dicit, Templa replet multitudine perfusâ lacrymis, ac flagris cruentatâ. Est, qui vix ad Ostiarii munus ascendit, dum prima rudimenta Grammaticæ rudibus pueris exponit, fervidos Alumnos Cœnobiis parat. Alphonsus quoque noster eâ clave, quâ Majoricensi plebi domûs nostræ portam recludebat, innumerabili turbæ Cælum aperuit, & Infe-


Inferos obſeravit. *Ne contemnamus.* Forſan, qui ſe magnificè circumſpectat in Poli ſui, & ſpecioſi muneris faſtigio, quantò eſt eruditionis feracior, tantò eſt idem emendatarum animarum proventu ſterilior. Haud inficior equidem, eos ùt plurimùm ſanctos & fructuoſos eſſe, quos Deus eximiis dotibus exornavit, quósque Religio veluti ſublimioribus Candelabris Cathedrarum atque Exedrarum, & regiminis clavo nempe, ut plurium utilitati lucerent, impoſuit. Quin imò celebriores quique Societatis Scriptores vitam pariter egerunt probitate illuſtriorem, & Religioſæ Obſervantiæ laude præſtantiorem. Quis enim eſt, qui non veneretur eximiam & totius perfectione vitæ abſolutam virtutem Toleti, Bellarmini, Cornelii, Vasquii, Suarezii, Tuccii? Qui omnes Vniverſitatis hujus Romanæ lumina, & Magiſtri extiterunt? Id tamen non munerum, quæ geſſerunt, fulgore, ſed Religioſæ obſcuritatis ſtudio ſunt conſecuti, & quòd magnos ſe repu-

reputarent, non ex ſublimitate gradûs, quem obtinebant, ſed quòd nullo diſcrimine labores, & magno in pretio haberent Religioſæ humilitatis jugum. *Virga Moſis ex nuce, ſeu Corylo.* Humiles fuerunt omnes vel officiis, vel deſideriis. Certum eſt, ſolum Bovem inter Heroicas animantes ab Ezechiele deſcriptas, transfiguratum in Cherubinum fuiſſe. Unà omnes divinitatis Currum, & æquis paſſibus trahebant, nullâ ſociorum invidiâ, nullo contemptu. Quippe tametſi earum frontem cryſtallus in Cælum effigiata circumdaret, non aliud æſtimabant, aut ambiebant, quàm ut rerum æternarum cultum, quas ſuſpiciebant ipſæ, proximis pariter perſuaderent. *Et ſimilitudo ſuper capita animalium Firmamenti, quaſi aſpectus cryſtalli horribilis, extenti ſuper capita eorum deſuper.* Ezech. 1.22. Hæc gemma, exclamat Gregorius, vultus Ductorum tuetur, & terret. Siquidem ubi Cælum, quo excidere poſſumus, mentes noſtras occupaverit, in æternæ glo-

riæ comparatione nemo non caducos honores proculcat, evanidas laudes abominatur, & ad eam felicitatem aspirat, quæ semel acquisita, nunquam deperditur, & olim cum insigni ornamento triumphorum nostrorum peccatores à nobis in Pœnitentiam conversos, & Justos præceptis Evangelicis excultos DEO repræsentabit. *Quasi aspectus Crystalli horribilis extenti.* FIRMAMENTUM *hoc, quod in similitudinem Crystalli super capita eorum animalium apparet, & horribile & extentum est, quia bonorum mentes* UNDE TERRET, INDE PROTEGIT. Tam beata Crystallo armatus Franciscus à tædio inter ærumnas, & à fastu inter honores se protexit. Idcirco in contemplatione Cæli, quo muniebatur, defixus animorum famem, & dignitatum fastidium concepit, semper ad novorum Regnorum conversiones festinans, sempérque ab ea gloria refugiens, quam in Oriente universo inauditorum prodigiorum patratrix dextera, & Apo-

Hom. 7. in Ezech. Tom. 32. 111.

& Apostolici Spiritûs ardor ipsi conciliaverant. Talem se ille præstitit, talésque nos erimus, si ejus exemplum secuti ad munia pariter, & ad domicilia perinde affecti, Isaiæ Oraculum reapse factísque comprobaverimus. *Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque* AD EXTREMUM TERRÆ.





EXHORTATIO X.

In Pervigilio S. Franciſci.

Puto quòd DEUS nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit tanquam morti deſtinatos.

In hanc ſententiam Chriſtianis Corynthiis Gentium Apoſtolus ſcripſit: In hunc quoque modum dixit, atque in dies repetit Societatis Filiis Indiarum Apoſtolus.

1.Cor.4.9.

PAtiendi ſitis inexpleta, & commodorum capitale odium geminæ Apoſtolatûs Alæ ſunt. Harum remigio ab uno ad alium Orbem evolavit Franciſcus noſter, perinde animorum amans, & commoditatum inimicus.

Tan-

Tantumdem in veris Religiosis ejus exemplum præstat, qui privatis muneribus, demandatísque laboribus non contenti, additamenta insuper flagitant, & arcta confinia vel unius Exedræ, vel unius suggesti dedignantes, laboribus suis, & suo in animorum salutem studio terminos proferunt exercitatione laborum, quos præter destinatos suscipiunt, & alienæ procurationi suffurantur.

110. QUæstus maximos uberrimósque, quos ab Oriente magnum Societatis Luminare, & magnum Ecclesiæ Lumen S. Franciscus reportavit, tot animarum myriadibus, tot millibus Urbium, Coloniarum, Oppidorum; tot centenis Provinciis, Regnis, Principatibus, atque Principibus sub Christi jugum missis, rapiunt sine dubio universos, & sanctâ invidiâ inflammant unumquem-

quemque noſtrûm. Non tamen extra dubium perinde poſitum eſt, utrùm omnibus placeant ſudores, quos ubique gentium tot laudibus exornatus Apoſtolus profudit; incommoda, quæ pertulit; difficultates, quas vicit; non aliam ob cauſam, quam ut barbaras Gentes Religioni Chriſtianæ ſubjiceret, & in viam errantes revocaret. Et ſancta tamen ambitio Provincias ac Nationes Evangelio ſubmittendi prorſus vana eſt, niſi caput gravi ærumnarum jugo antè ſubdiderit, adjunctis Regno DEI populis, quondam coronandum. Quantam mundi nuper detecti partem Crucis imperio Franciſcus adjecit? At quantas calamitates antè perpeſſus eſt, quàm Infidelibus Fidem perſuaderet. Sanè Tolerantiam & Apoſtolatum tam arcto conjugio ſociavit Deus, ut nullius hominis vires ad ea disjungenda ſufficiant. *Deus nos Apoſtolos noviſſimos oſtendit, tanquam morti deſtinatos.* Jam verò quoniam unusquisque noſtrûm tantâ ſiti animarum ar-

ardet, quantâ ille quoque flagrabat, qui plurimas vastissimásque Regiones, quæ cis Indum & ultra Gangem fluvios jacent, ad Christum convertit: reliquum est, ut tum vos, tum meipsum exhorter ad Apostolicam tolerantiam eorum incommodorum, quæ nunquam ab Ethnicorum conversione, ac perversorum hominũ emendatione separantur. Ad patientiam ejusmodi hujus Domûs Operarios exstimulaturus in tria capita orationem distribuam: in priore considerabimus, quantâ veneratione Magistrorum suorum, à quibus aut ad errorum suorum detestationem, aut ad veritatis lucem deducuntur, Tolerantiã populi prosequantur: Videbimus deinceps, quò usque in tam admirabili virtute Sanctorum virorum progressus sit ardor: postremò cum lacrymis expendemus, quàm non possit ea, nisi cum ingenti dedecore, deesse iis omnibus, qui vitam Apostolicam sectantur, uti procul dubio Ignatii Filii, & Francisci Fratres universi profitentur.

III. Adeò rerum adverſarum patientia cum Apoſtolatu colligatur, ut S. Jo. Chryſoſtomus in Apoſtolo Gentium præ omnibus aliis ejus ornamentis deveneretur magnanimam illam cupiditatem innumerabilium incommodorum, quæ in Chriſtianæ Doctrinæ promulgatione pertulit. Contra illos itaque Chryſoſtomus diſſerens, qui putabant à Paulo vel Eloquentiæ robore, vel admiratione prodigiorum, tot Gentes ab inanimorum lapidum cultu ad DEI viventis adorationem traductas fuiſſe: ſecùs ſe res habuit, inquit; longè enim Paulum inter Græcos Demoſthenes, & inter Romanos Tullius Eloquentiâ ſuperabant. Pariter ſi Orbis Terrarum prodigiis perſuadendus fuiſſet, Pharaonis potiùs præſtigiatoribus, auctoribus ſectæ Religioni majorum ſuorum prorſus contrariæ, ſe Abrahami Hæredes dedidiſſent. In rem quidem Doctoris Gentium fuerunt Magi, quos occæcavit; mortui, quos vitæ reſtituit; Paralytici, quos in pedes è graba-

batis, in quibus jacebant, erexit; Viperæ, quarum virus exarmavit; naufragia, è quibus frustra, ringente morte ac Pelago, evasit incolumis. Non tamen hisce portentis aut Areopagitæ Senatum suum, aut Romani Fasces submiserunt. Nimirum haud aliis armis, quàm invictâ tolerantiâ catenarum, virgarum, & quotidianarum ærumnarum repetitis toties mortibus nihil inferiorum, Romæ Imperium, Sapientiam Athenarum, Immanitatem Arabiæ, Judeæ pertinaciam, & effeminatas Asiæ delicias domuit, atque debellavit. *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione* SPIRITUS ET VIRTUTIS. Animadvertite, monet os aureum, quemadmodum tantus Evangelii Præco patratorum miraculorum splendoribus toleratorum incommodorum squalorem anteponat. Virtus, quæ animabat mortuos, patientiæ concedebat dolores suos dissimulanti, & vitam Lictoribus, quam adimere pote- 1. Cor. 2.

Orat. 6. in 1. Cor. Tom. 43. 61. rat, condonanti. *In ostensione spiritûs & virtutis; non enim dixit virtutis solùm, sed priùs Spiritûs, & tunc virtutis.* Atque ut nulli porrò dubium esset, quænam potissimùm virtus, ex omnibus, quibus præditus erat Apostolus, tantam innumerabilium populorum turbam, quos docuerat, post se traxisset, ipsum (colligit vir Sanctus) id exponentem audite. *1. Cor. 4.* *Clamabat: usque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris.* Hoc fortissimæ patientiæ exemplum machina illa fuit, quâ Paulus tertiam Orbis partem commovit, coëgitque fastûs sui supercilium humilitati opprobriorum, quæ Christus in Calvario moriens pertulit, submittere. Cùm enim Mundus videret hominem tanto alios homines amore pœnarum superantem, confessus est, huic ejus Philosophiæ non posse vel dolum, vel quæstum subesse, sed indubiè de Cælo originem duci.

112. Hujus autem Imperii, quod in hominum voluntates patientia, tum quæ ignominias æquo animo perfert, tum quæ corporis cruciatus invictâ constantiâ sustinet, prima lineamenta in Horebi monte Deo ducere placuit. Eò loci Rubus spinis vallatus, insuper à flammis obsidebatur, cúmque frutex ille inter incendii ardores illibatum ramorum virorem conservaret, pertraxit ad se virum inter omnes, qui seculo illo vivebant, facilè Principem. *Videbat quòd* RUBUS *arderet, & non combureretur. Dixit ergo Moyses, vadam, & videbo* VISIONEM HANC MAGNAM. Ipsi etiam Moses in Ægypti Regiâ educati & Israëlitarum Monarchiæ debiti eò accurrunt, ubi per inauditam tolerantiam Ramus aliquis simul ardet, ac floret. *Videbat quòd Rubus arderet, & non combureretur.* Quâ in re notari velim, quòd cùm in arbore Deus ac ignis commorarentur: *Apparuítque ei Dominus in flammis, de medio Rubi*: Id quod ad venerationem Prophe- *Exod. 3. 2.*

phetam permovit, non fuerit infinita ſe prodentis Divinitatis gloria, ſed virgultorum conſtantia inter ignis tormenta durantium. *Vadam & videbo viſionem hanc magnam,* QUARE NON COMBURATUR RUBUS. Contingit ſæpe numero, ut in Miniſtris Apoſtolicis minùs mirentur homines arctiſſimam, quæ ipſis cum Deo intercedit, neceſſitudinem, quàm duros conflictus, qui vel cum crudelitate Tyrannorum, vel cum operoſis Magiſterii ſui ærumnis illos committunt. *Apparuit ei Dominus in flammâ ignis de medio Rubi.* Et quem alium nos Magnetem fuiſſe putamus, qui primo Societatis ſeculo Summorum Pontificum gratiam, amorem Principum, concurſus populorum, & novi veteriſque mundi admirationem ad ſe traxerit. Haud ſanè ſoli doctrinæ, quæ in tot aliis florebat, id referri acceptum debet; adſcribendum verò eſt gaudio illi, quod emicabat è vultu Patrum noſtrorum tot ac tantis calumniis vexatorum, adeò exagitato-

rum

rum ab invidis, adeò laceratorum à Satyris, tam malè acceptorum ab Hæreticis, tam proculcatorum à Politicis, tam invisorum perversis, tam rei familiaris egentium, tam miserè habitantium, tam vulgari vilíque veste utentium; cùm essent iidem, nihilominus spiritu tam vegeto, tam lætâ fronte, in disputando tam fortes, in dicendo tam ardentes, tam diligentes in scribendo, in editis voluminibus tam eruditi, tam Apostolici in Missionibus, Disciplinæ tam tenaces: ut velut extra corpus positi, quippe à propriis commodis tam alieni, & ob doctrinæ præstantiam Angeli viderentur. Nemo erat, qui cùm nascentem Ordinem Ignatii videret, non exclamaret. *Vadam & videbo* VISIONEM HANC MAGNAM, *quare non comburatur Rubus.* Non intelligebant, quî fieret, ut Summi Pontificis Oratores, ac Theologi ad Concilium Tridentinum Legati in venerando Ecclesiasticorum Principum consessu tam præclarè dissererent, & subinde

de ab ſacratiſſimo illo Conventu ad Noſocomia transirent, laborioſam operam ægris navaturi, & inopem vitam mendicantes Clerici tolerarent. Hic ſcilicet ille Rubus eſt, qui ardebat, & ſimul virebat. Atque ubi mundus flammas, & flores junctos conſpicit, in tanti miraculi venerationem uno veluti ore proclamat: VISIONEM MAGNAM! *Quòd Rubus arderet, & non combureretur.*

113. Vereor autem, ut quod in Moyſe tanti ſtuporis ſementem fecit, in aliquo fortè noſtrûm imminuere, ac extinguere omnem penitus admirationem poſſet: ubi enim ſenſus doloris abeſt, quemadmodum in Ramo ardente defuit, tolerabiles utique flammæ ſunt. At iis, qui corpore animóque conſtant, non perinde pœna voluptatem parere, nec qui cruciatur, poteſt non affligi. Jámque nos ad ſecundi capitis conſiderationem hæc deducit abjectio. Erubeſcat verò, qui tam demiſſè ratiocinatus virtutis magnanimi-

tatem truncorum ſtupori poſtponit. Et quoniam inter virgulti Moſaici flammas etiamnum verſamur: videamus an ignis violentiæ tranquillitas animi ſuccumbat. Laurentius Eccleſiæ Romanæ Archidiaconus, homo, niſi fallor, carne compactus, nec ſtipes ligno duratus fuit: nihilominus Valeriani Cæſaris juſſu, ferreis candentibúsque trabibus ſuperjectus, non pedem movit, non latus inflexit, non ſuſpirium duxit, non lacrymam fudit, non rugâ frontem aſperavit, non labra compreſſit: ſed in ardenti craticula tam ſuaviter placidéque quievit, ceu Sponſæ lectulo molli plumâ tumenti, & floribus conſtrato incumberet. Id certè prodigium in diriſſimo illo carnificinæ genere ſpectatum fuiſſe teſtatur Petrus Chryſologus Ravennatum Archiepiſcopus, ac tantæ rei memoriam poſteris transmiſit. *Craticulam ſupplicii*, LECTULUM QUIETIS PUTABAT. Ser. 135. Tom. 13. 181.
Par Laurentio, ut in ordine Levitæ, ita in patientiæ laude Stephanus furentium

tium Pharisæorum lapides veluti sudo Cælo delapsum rorem excepit. Sic de illo Nazianzenus. *Magnus ille Stephanus* VELUT SUAVEM ROREM *crebros lapidum ictus excepit.* Et ne putaret aliquis, tantam animi fortitudinem, primo duntaxat Ecclesiæ Seculo in juvenibus, aut Apostolorum Discipulis, aut Summorum Pontificum Diaconis spectabilem fuisse. En offert vobis longè posterior adoratæ Crucis ætas Melaniam sexu infirmiorem, habitu corporis teneriorē, ortu illustrem, adeò tamen incommodorum patientem, ut mirari satìs Paulinus Episcopus haud potuerit, quî demum princeps Matrona tam sereno, & in Angelicam lætitiam exporrecto vultu sustineret Centonibus indui, fune corpus adstringi, hordeo vesci, vigiliis noctes, diem lacrymis exigere, exulare à patriâ, in Terram Sanctam peregrinari, vastas solitudines invisere, in Catacumbas se abdere, & sic corpus mortale circumferre, ut velut omnis sensûs expers, cum Deo

Ser. de beatitud. To. 13.11.

Deo jam regnare videretur. CUI REFECTIO IN JEJUNIO, *requies in oratione, panis in Verbo, habitus in panno, lectulus in sagulo è Centone durus in terra, & sanctæ animæ in Domino* VIGILARE, REQUIESCERE EST. Quid dicetis modò de tolerantia tam magnanimâ contemptrice pænarum, quæ in acerbissimas neces non unius horæ, sed complurium annorum spatio productas vitam commutant. Non sunt profectò Quercus istæ, aut Rupes, ubi possint flammæ vim suam exitialem, nullo ardentium damno, exercere. Neque sola Melania tam prolixo Martyrio JESU CHRISTI Patientis memoriam venerata est; enimverò coronabant Ecclesiam Seculo illo aureo innumerabiles animæ; sitientes fellis, cinerum avidæ, contumeliarum ambitiosæ, egestatis avaræ, lætæ tormentis, ægritudinum cupidæ, rebus adversis inexpletæ, verbo non aliam ob causam vitæ amantes, quàm ut vitæ deliciis semper emori possent.

Ep. 10. ad Sever. To. 12. 71.

 114. Hanc

114. Hanc rerum naturæ inimicarum esuriem planè Apostolicam in Ecclesia Crucifixi quondam futuram David præviderat, ejúsque præscius pariter atque invidus tot ante annos cecinit. *Surgite postquam sederitis, qui manducatis* PANEM DOLORIS. Haud exigua quæstio super Metaphorâ Panis hoc loco Davidi usurpata inter Sacrorum voluminum Interpretes oritur. Voluit sine dubio Rex præsagus Christianorum patiendi desideria significare, dum ea cibum & escam vocavit. *Qui manducatis panem doloris.* In eo autem Quæstionis cardo versatur, ut de Prophetæ mente constet, quam ob causam, dum afflictationes voluntarias cibi nomine appellat, non potiùs Botrum, Peponem, Coturnicem, aut Malum Punicum indigitârit, quæ sanè vocabula omnia sacris litteris à Spiritu Sancto fuerunt inserta. Repudiavit ille omne aliud alimenti genus, & inter omnia Panem selegit. Ejus rei rationem S. Augustinus reddidit in Commentario

rio,quem super ejusdem Regis Psalmum quinquagesimũ secundum scripsit. Vescimur, inquit, interdum leguminibus & oleribus; sed & nonnunquam ab his abstinemus. Carnibus pascimur, & piscibus victitamus; at non semper; Mel ipsum, palato cæteroqui tam suave, fastidium crearet sæpius comedenti; Intermittimus butyrum & lac, ne tam delicatis liquoribus ob assiduitatem nausea succedat. Pane verò quotidie, & semper nutrimur. *Cætera quæ manducamus, possumus modò illa, modò illa, non semper olus, non semper carnem, semper autem* PANEM. Quoniam igitur patiendi ardorem Pani David comparavit, indicavit scilicet, nascituri Messiæ Sectatoribus continuas nec interpellatas ærumnas amplexandas esse. *Non semper olus, non semper carnem, semper autem Panem.* Atque ideò, *Surgite qui manducatis Panem doloris.* Non est Christi Servus, multóque minùs Apostolorum Collega, qui laboribus quotidianis non vivit. Et quamvis

In Ps. 52. Tom. 12. 194.

tam multa dixerit Psaltes, minus tamen dixit, quàm veri Ministri Evangelii faciant. Non quotidie solum, nec in quâlibet cæna Operarii Christi Panem laboris devorant, sed singulis horis incredibili aviditate deglutiunt. Quid ajo? singulis cujusque horæ momentis, qui Christi vineam excolunt, ærumnarum amarissimis bolis vescuntur. Quemadmodum de Paulo Apostolo Jo. Chrysostomus testatur. *Quotidie moriebatur ille, quotidie probabatur,* NON ERAT MOMENTUM ALIQUOD, *non tempus, in quo non creverit ille cursus.* Eò usque vulnerum ingluvies & tormentorum aviditas tenditur. Hæc Dei Sacerdotibus animarum cupidis supplicium augent, non cùm augentur, sed cùm minuuntur.

115. Quòdsi de ullo Catholicæ Religionis Alumno verè dici potuit, id profectò à Francisco Indorum Doctore præstitum fuisse dubitare nemo potest. Acerrimus enim hic Idololatriæ eversor angebatur, nisi fatigaretur;

tur; esuriebat nisi jejunaret; æstuabat, ardebat, nisi prono ex Ecliptica Sole torreretur; intolerandis frigoribus & asperrimâ glacie urebatur, nisi per nives nudis pedibus ingrederetur; & si quando in ipsum Pagani fustibus non sævirent, aut Bonzii lapides continerent, nec Mauri venena miscerent, omnium eorum malorum desiderio torquebatur; denique moriebatur, quòd non moreretur, & excruciabatur, quòd incruentam & doloris expertem vitam viveret. De quo Petrus Cellensis vaticinatus fuisse mihi videtur, cùm Monachi cujusdam sui durissimum vivendi genus, verámque austeritatis formam descripsit. *Exilium reputat patriam, sine labore laborat,* SINE FAME ESURIT, SINE DOLORE PATITUR, *sine felle & absynthio non cibatur Vir est in millibus unus, & cùm Gigantes gemunt sub aquis*, IPSE RIDET. Ita prorsus Franciscus nullius solatii patiens erat, quoties populi, quorum cœcitatem Veritatis lumine collustrabat, Lib. 1. Ep. 10. To. 27. 34.

 non

non pœnas ipsi, non supplicia geminabant. Exhorrescebat, nisi per vastas solitudines præruptis scopulis horridas, & indomitis feris infestas iter ageret. Exanimabatur virentium pratorum aspectu, ceu liliorum amœnitas, & rosarum odor in Epicuri Discipulos ipsum referret. Triumphabat contrà, quoties per ardentes arenas gradienti serpentes, & insanabiles morsu aspides occurrebant. Parum ejus ardori erat, ad incognita littora navigare, nisi, cùm exscenderet, ipso Oceano inhospitaliorem terram reperiret, à quâ tecto victúque prohiberetur. Et, ut compendio (monet enim tempus) ac verbo complectar, de illo dicebat, quisquis adeò confectum fame, & veste tam squalidum mirabatur, *sine labore laborat, sine fame esurit, sine dolore patitur.* In tanto S. Spiritûs incendio, nec eximius, nec solus videri noster Apostolus possit, dum in Hispaniis Cælum inclamat Teresia, aut pati, aut mori. Domine, inquiebat, sponsalia tecum contra-

tracta rescindo, nisi Crucis tuæ diros dolores, quibus mors tua producta tam diù fuit, dotales mihi & momentis omnibus præsentes feceris: nisi enim & mentem meam spinis, & clavis animam, & pectus lanceâ tuâ transfixeris, ego pariter spiritum meum tibi restituo, nec vivere sustinebo, quoniam pro te longâ morte non licet mori. At forsan Xaverius alium à Sancta Matre cruciatus amandi modum invenit. Nam cùm Teresiæ pectus hasta transverberaret, in eo accepti vulneris articulo Angelicâ Cherubini specie fruebatur, tantáque divini solatii copiâ vel in ipsis, quos patiebatur, cruciatibus, anima illa inundabatur, ut meritò dubitare possimus, utrùm illi pœnarum suarum acerbitates plus solatii, quàm doloris attulerint. At Beatus noster Nuncius aggeres excitabat, quibus Cæli delicias arceret: solitariam afflictionem, purúmque martyrium habiturus. Et hoc quidem ille cùm momentis omnibus toleraret, tum austerita-

ritate vivendi ultrò ſuſceptâ, tum ſupliciis, quibus illum Orcus mulctabat, de tot Provinciarum dominatu ab illo dejectus; tum extremâ rerum omnium vitæ tolerandæ neceſſariarum penuriâ, quâ in Apoſtolatûs ſui munere obeundo laborabat, Chriſto ipſi, cùm eum recrearet, repugnans, ſanctâ, & inexorabili repulſâ rejiciebat rorem, quo Deus magni ſui Servi animam conſpergebat, ut ſæpe in tanta dulcedinis affluentiâ ejus corpus, coram inſpicientibus, qui ſeu privatim in Cellâ precanti, ſeu publicè ad Aram in Templo facienti aderant, in ſublime tolleretur. Inaudito namque repudio munificentiam divinam rejiciens exclamabat: *Sat eſt Domine, ſat eſt.* Myrrham ego à te poſtulo, non Ambroſiam; ſpinas flagito, non violas; clavos, non annulos expecto, Cruces & lethales cruciatus ambio, non thronos, è quibus ſuper populos imperantis Majeſtate refulgeam. Atque hi Sanctorum in amore patiendi ardores ſunt: neque nos Sancti, niſi

ſimi-

ſimiles illis erimus, ærumnarum videlicet cupidi, lætíque ſuppliciis. Non ſum autem tam albæ mentis, ut ſperem; nec adeò ſeverus, ut ab unoquoque veſtrûm exigam, ut tanto ærumnarum ardore magnas illas Animas prorſus exæquet, quæ non exultabant niſi extremis doloribus diſtraherentur, nec vivere ſe credebant, niſi ſentirent ſe mori. Non poſtulo ab iis, qui me audiunt, ut inſtar Laurentii candenti ferro immoti nullo edito doloris indicio incumbant, vel, ut exemplo Stephani ſaxa, quibus in Terram affliguntur, tanquam Miſſiles Citrii floris aquas reputent, quibus recreentur; vel, ut cum Melania cibum ſe ſumere haud credant, niſi præ fame concidant; vel denique ut cruciatus ſuos ipſas inter delicias quærentis Apoſtoli Socii rerum adverſarum lenimenta rejiciant, ac ſuaviſſimos imbres ſeu tenerarum lacrymarum, quas ipſis Deus in genas deducit, ſeu felicium ignium, quibus Spiritus Sanctus eorum pectora ſuccendit, ob-

nixi repellant. Id certè optârim, ut dum profundiſſimis ærumnarum gurgitibus nos quidem non demergimus littus ſaltèm raderemus, illíque propiores vadum tentaremus Pelagi à Sanctis
Deut. 33.19. hominibus & ſulcati, & poti. *Inundationem maris* QUASI LAC *ſugent* Satìs igitur habebo, ſi quidem cum Franciſco immenſæ moli ærumnarum humeros ſupponere grave videtur, ſi ſaltem imitemur in eo, quod ardens Miſſionarius auctarium eſſe voluit Miniſteriorum ſuorum, quibus fungebatur, quibúsque ſemper ſpatia, per quæ labores ſui excurrerent, ampliavit.

116. Ut mentem meam explicem, locus quidam admodum obſcurus ex undecimo S. Matthæi capite neceſſariò
Matth. 11. 12. mihi priùs exponendus eſt. *A diebus Joannis Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Multùm enim verò apud Interpretes controvertitur, quam ob cauſam Dei Regnum à primis Baptiſtæ temporibus vim tuliſſe dicatur. Colligunt denique violentiam ejus-

ejusmodi Cælo admotam tunc fuisse, cùm Joannes se in conspectum dedit; nempe cùm Puer sanctissimus doceret præscriptos vel à ratione, vel à virtute limites transcendendos esse salutem suam prorsus atque ex animo cupienti. Certè solitudo non nisi ætati adultæ convenit; at Joannes etiamnum puer nemus habitavit, & cunis quodammodo antra conjunxit. Pœnitentia innocentiæ minimè congruit; sed Joannes integerrimis moribus honestatis suæ crystallum pungentis cilicii asperitate involvit, Pudoris Liliis Cameli setas inserens non nisi peccantibus debitas. Tot igitur afflictationes, tantis incrementis auctæ, vel ætate Superioris, vel certè tantæ virtuti nequaquam debitæ ad expugnandum Cælum machinas excitârunt. *A diebus Joannis Regnum Cælorum vim patitur.* Hujus fortitudinis & beatissimæ violentiæ magnanimus Orientis Domitor Joannis primùm Discipulis, & nobis deinceps Magister extitit. Audite: quòd si ex Europâ

ropa transire in Indiam cupiebat, oportebat plurimorum annorum spatio emetiri Oceanum, quâ parte procellosior est, & à zona torrida irritatus stragem miserabilem per lethales morbos edit eorum, qui vastis navium molibus naufragia utcunque fugissent. Naviget sanè; quoniam in tam remota Regna Evangelium inferre decrevit. Cur autem famulorum manum, quos ejus obsequio Rex Lusitanus in navim addiderat, non admittit, & horum destitutus operâ, sibimet esse famulus, atque mancipium cupit? Quamobrem opiparæ mensæ Navarchi non accumbit, sed à vectoribus ac nautis recocti & verminosi panis reliquias emendicat? Quid causæ est, quòd Prætoriæ navis instructissimo conclavi egressus sub dio, super rudentium spiras, aut anchoras ad somnum capiendum se abjicit? Ecquid, cùm in Mozambicum appulisset invitatus ad vires reficiendas, quas immensus ille Africanorum littorum flexus attriverat, contemptis hospitiis, ad

quæ à Classis Præfectis certatim invitabatur, Nosocomia ingreditur, ad solandos ægros, ad animandos moribundos, ad servandos phræneticos, ad Pœnitentes expiandos, ad noctem pariter ac diem in odiosissimis ministeriis, periculosam servitutem ægris omni ope destitutis, ac fœdâ lue contactis serviendam! At enim mutare Cælum, & exteros intrare portus oportuit, ut suscepti muneris partibus faceret satis. Sed quid est, quòd in Orientem appulsus non sedem sibi Goam deligit? Et in eo Emporio Tribunal Nuncius Apostolicus erigit? Non edicta proponit emendandis moribus salutaria? Non Sacerdotes ablegat in Idololatrarum Urbes? Non eruditis Theologis convertendam Japoniam, & erudiendas Molucas commendat? Aut forsan Diplomati Sedis Apostolicæ, cujus Administer nominabatur, haud obtemperâsset, si amplis in ædibus residens copiam sui accedentibus faceret, jacentes sublevaret, eorúmque frœnaret auda-

daciam, libidinem compeſceret, qui aut Conſtitutiones Eccleſiaſticas, aut divina præcepta violabant? Nihil horum: quin luſtrare ipſemet Indiam univerſam voluit, nec eam circumiit, aut venalium mancipiorum humeris circumlatus, aut equorum tergis vectus, quo ritu per eas Regiones vel poſtremi hominum peregrinantur: Sed eam peragravit Cannabem indutus; totam inſpexit ſcipione fultus: & maximam ejus partem nudis cruentíſque pedibus emenſus eſt, & ad pietatem ipſe inſtituit. An autem hoc non eſt vim Cælo adhibere, dum tantò præſtatur amplius, quàm Muneris ratio poſtulat? Quòd ſi Joannes adeò violentus in Cælum fuit, ut ſylvas puer habitaret, an minori vi Franciſcus illud invaſit, dum Vicariorum Chriſti per illa Regna Legatus percurrit omnia, ſudore diffluens & ſanguine perfuſus, tam excelſæ dignitati humilitatem Peregrini, & mendici Viatoris intolerabiles ærumnas conjungens? Repeto jam ea, quæ di-

cere pro instructione nostra instituetam, cùm sententiam Matthæi, & Joannis artes exponerem. Ah! si Francisci Socii sumus, non satis habeamus demandatum nobis officium implêsse, nisi patientiæ terminos in ejus exercitatione proferamus. Qui de suggestu ad concionem dicit, non contentus studiorum ac Vigiliarum laboribus, indiviso scilicet ejus muneris comitatu, commissa fatentibus aurem alacriter præbeat, & gnaviter expiet, quos ad detestanda peccata permovit: qui bonas artes in publicis Academiis profitetur, adjungat quâdam virtutis abundantiâ immenso studiorum labori rudium Catechesim, & Catechumenorum culturam: qui Christi Collega pro Pœnitentiæ Tribunali semet accusantibus jus dicit, ab expiatis peccatoribus ad captivos solandos excurrat, & inter moribundos ad illum præcipuè Vigilias agat, qui jacet inter omnes miserrimus, & diutissimè difficillimèque cum morte luctatur. Ad

sum-

summam, nemo in privato munere penitus acquiescat, & pro se quisque allaboret, parem se Francisco præstare, qui in Provinciæ suæ administratione id demum solatii capiebat, si aliorum emendationi proprii corporis dolores, atque animi molestias addidisset. Præsidi suo exponat unusquisque, tametsi multùm laboret, quid porrò aut per facultatum copiam, aut virium robur possit. Quisquis aspirat ad Apostoli nostri trophæa, extimulet Rectores suos, ut operâ suâ liberè utantur ad quemlibet quantumvis ingratum aut periculosum laborem exhauriendum. *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

117. Talem industriam non solùm Franciscus tantus Christi Administer, verùm etiam Theodoricus, acerrimus Hostis Sacrorum, & Religionis Catholicæ perniciosissimus oppugnator nos docuit. Eò Principis illius fortitudo provecta est, ut cùm videret quanto præsidio à Copiis suis vallaretur, quám-

que

que difficulter impeti ab hoſtibus ſuis poſſet, rationem iniit, quâ ſuorum agminum cuſtodiam eluderet, & inimici exercitûs iram provocaret. Quapropter die quæ conflictũ antecedebat Regiæ veſtis cuſtodi ad ſe vocato graviter imperavit, ditiſſimos ſibi cultus ex omnibus, quos haberet, depromeret; & cùm ille moneret diem inſequentem non novæ nuptæ hymenæo, ſed cruentæ pugnæ deſtinatum eſſe, quæ de fortunis Imperióque ipſius decerneret; Eam planè ob cauſam excepit Theodoricus, tam ſplendidâ veſte me adornabo, ut gemmarum fulgore & ſagi opulentiâ illecti Barbari in me curioſiùs tela dirigant, opimorum gloriâ ſpoliorum prædǽque cupidine incitati. Quod Regis facinus totidem ferè verbis S. Ennodius recenſet. CULTIOREM ME ACIES SUSCIPIAT, *quàm feſta conſveverunt. Qui me de impetu non cognoverit*, ÆSTIMET DE NITORE. *Invitet cupidorum oculos* HONOR INDUMENTI, PRETIO-

Paneg. ad Theod. To. 2. 10.

 TIO-

TIOSIOR SPECIES FERIENDUM EXHIBEAT. Age verò si Rex adeò felix ac potens tam cupidus fundendi proprii cruoris fuit, & tantâ vulnerum ambitione flagravit, ut supellectilis suæ Gazâ inimicorum suorum impetus acriùs stimularet, eâque solùm de causâ, ne à conductis mercede militibus, qui primis in ordinibus cadebant, fortitudine vinceretur; quis nostrûm erit, qui, ut parem se Redemptoris Apostolis, & Indiarum Apostolo ferat, non hortabitur Præsides suos, manifestatis, quibus pollet, facultatibus, ac robore, quo viget, ut aliis atque aliis muniis ipsum cumulent, & laboribus opprimant? Ità profectò quemadmodum Arianus ille Princeps gemmis se oneravit, & auro circumdedit, ut spes prædæ digniorem vulneribus faceret, ita nos facultates, experientiam, ingenium, eruditionem, vires atque animos promamus, quibus prodesse proximis, & Ecclesiam illustrare possumus, eo consilio, ut, qui nobis imperant, geminatos labo-

labores, résque longè difficillimas nobis commendent.

118. Et quoniam Heterodoxi Regis exemplo Præcones veritatis extimulâsse, erubescere jure merito deberem, substituam Theodorico Hæretico Martyrem Catholicum pro Religione suprema perpessum. Adeò Tyranni crudelitatem & barbariem Carnificum, quam in corpus, atque ipsa ossa exercuerant, invicta Christiani Herois constantia lassaverat, ut innumeris cruciatibus laniatum pro mortuo humi destituerent. Cùm ecce! Beatus Pugil ac morti proximus in tantâ Ungularum ac pectinum sævitie, nescio quam corporis partem, tametsi minimam, à ferro & igne intactam animadvertit; & continuò collectis viribus, quas solas illi Suppliciorum acerbitas reliquerat ultimis vocibus, locum à vulnere immunem Tortoribus commonstrans, & incuriam exprobrans, supplicium quod meriti essent, denunciavit, quòd cutis partem nec concîdissent flagris, nec ferreis la-

minis uſtulâſſent; heus vos, inquiebat, abſolvite horum actuum lanienam, ut pars mei nulla invideat alteri, ſed omnes pari ſpe gaudeant, in communi corporum Anaſtaſi cicatrices ſuas oſtentandi, quarum ſplendoribus ſtellarum radii concedent. *Ut quæ ſola ungulas effugiſſet, eósque* UT NE HUIC QUOQUE PARCERENT, *inhortans.* Quàm verò Theodoricum vinceret, & Martyrem à Nazianzeno laudatum æquaret is, qui licet eſſet functionibus prægravatus, & laboribus oppreſſus, Societati Matri ſuæ objiceret, quòd non ſatis ampla ſpatia ſibi laxaret, in quibus vires ſuæ ac facultates deſudarent ad proximorum auxilium, & animarum quæſtum uberiorem faciendum. Qui exclamaret: plura poſſum, quàm præſto; nec aut tam breves mihi vires ſunt, ut duriores longè labores ferre non poſſim, aut ardore animi tam ſum defectus, ut non multò productiores vigilias, aſperiora itinera, expeditiones magìs arduas, & labo-

S. Greg. Naz. Orat. in Jul. Tom. 115. 72.

labores longè difficiliores, minúsque in vulgus speciosos mihi deposcam. Supersunt mihi tempora, quæ obedientiæ obsequiis impendam, restant destinata nondum perfecta vitam in paupertinis Domibus, ignobilibus locis, & functionibus ingloriis transigendi. Qui dissereret in hanc sententiam, is profectò apparatum donorum, à quibus instructus est, sagittis, quibus peteretur objiceret, & illibatum integerrimúmque corpus ostentaret, ut in se regentium onera, curarum partem, necessitatésque deponeret. Ipse quoque Regis Gothi magnanimitati suppar Ennodii calamo celebraretur. *Invitet cupidorum oculos*, HONOR INDUMENTI, *pretiosior species feriendum exhibeat.* Atque hic Apostolicæ perfectionis est apex nullam cum laboribus pacem, nullas inducias admittere, cohortaríque Præsides suos, ut in sua terga quidquid est ponderis, quod subire aliorum humeri recusant, deoneretur.

119. Quòd si alicui gravis Instituti Religiosi Sarcina, & laboriosa vita, quam inter hos parietes agit, fortè videretur, is Hieronymum audiat: qui, cùm cogitationem ejusmodi oboriri posse Virgini Eustochio prævideret, sic eam adversùs desidiam, semper eos, qui Claustra inhabitant, inquietantem præmunivit; si fortè, inquit, Religiosæ Vitæ Leges ac consuetudines graves tibi molestǽque videbuntur, sacras paginas aperi, & secundam Pauli ad Corinthios Epistolam perlege: Illic reperies tam longum indicem voluntariarum & gravissimarum afflictationum, ut tibi ea, quæ pateris, Reginæ Babylonicæ, quam in Apocalypsi suâ Joannes descripsit, ob immensam deliciarum affluentiam ad Rogum damnatæ imitamenta quædam esse videantur. *Quando tibi grave videtur esse, quod sustines, Pauli secundam Epistolam ad Corinthios lege: In laboribus plurimùm, in carceribus abundantiùs: In plagis supra modum, in mortibus frequenter. Quis no-*

Ep 22. ad Eustoch. Tom. 17. 125
2. Cor. 11. 23.

noſtrûm ſaltem minimam portionem de Catalogo harum ſibi poteſt vindicare virtutum? Eadem ferè poſſent à me in ignavos ſocordéſque dici: ſed quæ Dei Clementia eſt, non tam longè petenda nobis exempla ſunt, quibus incitari ad curſum reſtitantes, & jacentibus addi alæ poſſint. Cui laborioſior æquo domûs hujus Diſciplina, & multò durior Societatis vita videtur, relegat in ejus annalibus labores, ſtudia, cruentas pugnas, & neces tot Fratrum ac Patrum noſtrorum, qui per utrasque Indias tot Eccleſias Eccleſiæ condiderunt, & tot Chriſtianos Reipublicæ Chriſtianæ addiderunt. Subinde cum animo ſuo reputet, num ad ſe ex tanto laborum & ærumnarum Aſſe, cujus Hæredes ab iis ſcripti ſumus, pertineat exigua illa portio, quæ, ut ſic dicam, ſecundo loco genitis, & poſterioribus ſanctarum familiarum fratribus nunquam negari ſolet. Inſpiciat in Ephemeridibus noſtris non ea ſolùm, quæ à primis noſtris Patribus geſta

ſunt, nobíſque alicubi Sanctorum Sacerdotum, alicubi novorum Apoſtolorum nomen pepererunt; ſed & aliorum innumerabilium Operariorum Seculi noſtri, qui tanta & egerunt, & paſſi ſunt apud Corſos, Sardos, Britannos, Batavos: ut nihil dicam de iis, quæ in hodiernum usque diem Hiſpaniæ, Galliæ, Germaniæ, Poloniæ, atque Italiæ magni Miſſionarii præſtant, in quibus Provinciis innumerus illorum numerus eſt qui Fundatori noſtro laudes gratésque ferunt, quòd ſe vident è peccatorum naufragiis ereptos, & in littore vitæ caſtigatioris noſtrorum hominum operâ conſtitutos. Non eſt Provincia, non Civitas, in quâ non complures Societatis Patres, ac Fratres digito monſtrentur, quos nulla incommoda unquam abſterrent à promovendâ pietate populorum, & evellendis radicitus inolitis vitiis ac corruptelis è Pagis, Oppidis, Agris, Montibus, in quibus Dei verbum diſſeminant, & incredibiles ærumnas tolerant, ut imperitos erudiant,

diant, improbos à peccando deterreant. Ipſa Roma per omnes anni feſtos dies prodire in publicum ex Univerſitate Collegii Gregoriani plurimos noſtrorum videt, per plateas Crucifixi ſignum attollere, tantóque ardore plebi Evangelium exponere, ut gementes lacrymantésque eò deducant, ubi publicâ quidem, ſed tamen obductâ tenebris diverberatione ſui, aut Chriſtianâ vindictâ noxas admiſſas ulciſcantur, aut vulneribus quos animi ardor aperuit referant Chriſti Jeſu plagas pro nobis in Cruce vitâ defuncti.

120. Neque verò hoc eſt quod in primis Alumnis S. Patris, & primis Indiarum Apoſtoli Sociis adoro. Illud admiror, quòd flocci fecerint innumerabiles ærumnas, quas perpeſſi ſunt in ſulcando Oceano, peragranda Æthiopia, expeditionibus ad Americanos Idololatras ſuſceptis, quos ab Urbium frequentia immenſa fluviorum divortia, montes inacceſſi, nemora Tigribus infeſta, & latrociniis infamia diviſerant.

Erant illi tam hilares in egestate, tam interriti periculis, & in tormentis tam fortes, ut ad Assueri epulas sub tabernaculis purpureis, & super strata gemmis pavimenta sibi recumbere viderentur. Hoc ego in illis prædico, quoniam idem in primis Novæ Legis Sectatoribus Gilbertus Abbas est veneratus. Explicans itaque sententiam illam ex Canticis.
Cant. 3. 5. *Adjuro vos Filiæ Jerusalem per capreas, cervósque camporum.* Ab auditoribus suis exquirit, quâ demum ratione Cervis istis primigeniorum Christianorum vivis Archetypis adeò planus ac floridus ille campus, quem percurrebant, videri potuerit. PER CAPREAS CERVOSQUE CAMPORUM. An verò prata florentia, & non potiùs abscissæ rupes, & insuperabiles scopuli erant, ad Apostolorum pedes abjicere patrimonia, in spelæa ex urbibus suis migrare, vivos se in antris tumulare, catenis graves in ergastula compingi, lustrare Provincias ferro onustos, videre se damnatos à Judicibus, derisos à

Po-

Populis, invisos Principibus, mundo abominabiles, à Tortoribus laniatos, à monstrosis belluis discerptos? An non quotidie virgis cædebantur, plumbatis tundebantur, distrahebantur equuleis, frangebantur rotis, & vel molaribus, vel anchoris ad colla revinctis mergebantur vastis fluminibus hauriendi? An non ex Urbibus in nemora ejecti, è Palatiis proscripti, & in cavernas abditi, ditionibus suis exuti, & in servos venundati, à consanguineis divisi, & associati sicariis fuerunt? Quâ ratione igitur. *Per capreas Cervósque* CAMPORUM? Nimis profectò inhospitales Alpes, nimis depressæ fossæ, & sine fundo Abyssi erant, ad quas damnati vitam miseri tolerabant. At enim animi lætitia solitudines in viridaria, præcipitia in planitiem, montes in prata illis converterat. *Cervos* CAMPORUM *dicit, quòd illis qualibet aspera, & ardua qualibet plana sunt, & pervia, & inoffensis pervia cursibus* QUASI PLANIORIS ÆQUORA CAMPI. Gilbert. ser. 14. in Cant. To. 109. 52.

Illis

Illis condensa non sunt, quorum Dominus perficit pedes quasi Cervorum, QUI NULLO INJURIARUM OBICE TARDARI POSSUNT, *magis autem complacent sibi in tribulationibus.* Paria vos quoque de quocumque primorum Litteratorum Ordinis nostri dicatis licet, qui tantis lætitiis incedebant inter inexplicabiles difficultates, & inextricabiles labyrinthos, quos illis Hæresis per ea tempora subnascens, & Mundus omni vitiorum genere marcidus objiciebat. Quid? Teneras iis lacrymas sacra lætitia exprimebat, cùm propiùs illucescere cœpisset anniversarius dies, quo fugam ex Ægypto arripuerant, & crebrò nostrorum Collegiorum parietes de genibus osculabantur: neque finem faciebant Deum laudandi, qui se ab Ægypti cæpis ad fruendum Manna sub umbrâ nubis, ac Sinai, transtulisset. Quotiescunque in memoriam revocabant, vivere se à mundo secretos, & Crucis sanctæ Præconibus sociatos esse, toties animam pari-

pariter & corpus Muniis illis devovebant, quæ vel duriſſimis laboribus, vel longiſſimis cruciatibus ſibi ſtarent. Quapropter & ego cum Gilberto incomparabilium illorum virorum memoriâ provocatus, exclamo. *O miſera hæc tempora noſtra! Quomodo ab hac regulâ in contrarium reſilimus? Ubique obicem patimur.* Et quamvis tam amara objurgatio nec in omnes, nec in plures, ſed in pauciſſimos cadat, illi tamen pauci, qui ſub leviſſimo conſuetudinum noſtrarum onere ingemiſcunt, Apoſtolatum noſtrum haud parum dehoneſtant. Tot inter ardentiſſimos Operarios, qui diù noctúque ab adjuvandis proximis, erudienda juventute, ſublevandis afflictis ſtudia ſua nunquam patiuntur quieſcere, inventus eſt non nemo, cui grave viſum ſit, aut moribundo unam alterámque noctem advigilare, aut paucorum dierum iter ad ruſticanos montium noſtrorum habitatores expiandos ſuſcipere. Heu! UBIQUE OBICEM PATIMUR.

Itá-

Itáne paucorum hominum peccatorum vinculis exſolvendorum moleſta gravíſque nobis cura videbitur, dum tot Socii noſtri pro Corollis roſeis æſtimant immenſarum regionum procurationem, & Catechiſmos Guineæ Mauris expoſitos intra graveolentia ergaſtula, quibus detinentur miſeri illi ad fodienda metalla damnati? Haud grave eſt Vitæ noſtræ Inſtitutum, ſed eſt infirma id credentis patientia. Idipſum dixit Auguſtinus ſermone vigeſimo ſecundo poſt primos ducentos *de Tempore*, vas quodlibet vitreum, vel levem ictum claviculi ferre non poteſt, cùm aurum interim à ferreis malleis, quibus millies tunditur, illuſtriùs puriúsque reddatur. UNA EADEMQUE TUNSIO *bonos producit ad gloriam, malos redigit in favillam* Noſtrâ ſcilicet culpâ contingit, ſi plumæ gravant, & molles Pæoniæ vulnus infligunt. Propriæ ignaviæ adſcribatur dolor ille oportet, quem pauci aliqui in ſervandis legibus noſtris & exercita-

Ser. 222. de Temp. To. 44. 26.

tio-

tione Munerum noſtrorum perſentiſcunt. Foret autem longè deterius, ſi iſti (ſi quidem hujus farinæ inter nos vel unus unicus verſatur) præter privatarum querelarum turpitudinem per enorme piaculum deſidiæ ſocios inſuper quærerent. Væ miſero illi, qui Serpentis, à quo Eva decepta eſt, æmulus effectus à ſtudio laboris ſtrenuos Sodales abducit. Prohibeat Deus, ut in Religione audiantur voces adeò execrandæ, quales ſcilicet forent: Ferendum non eſſe, ut nova munia demandato muneri, vel privato miniſterio, ſuperaddantur: Id quod functionis ratio poſtulat, ſi præſtes, ſat eſſe. Qui humeros ſuos Regentium arbitrio ſupponat, ultra modum ut onerentur, invitare. Eſſet hoc quidem novi Apoſtolatûs genus, ſed auctore Lucifero inſtitutum; ſed inter nos inauditum; ſed Apoſtoli noſtri Coapoſtolis inviſiſſimum. Tam pernicioſo Apoſtolatui, qui ut fervorem diſſuadet, ſic perſuadet inertiam, aditus omnes occluſit

Petrus Damianus, cùm ad Eremicolas scriberet in hunc modum. ERIMUS ALIENI TORPORIS APOSTOLI, *& non doctrinæ, sed oblivionis Magistri, non Duces ad Victoriam, sed Præcessores ad fugam, quam ob rem dilectissimi* HOC AB ÆTATE NOSTRA PRÆCIDAMUS OPPROBRIUM, *& virtutis insigne, quòd à Patribus nostris illibatum accepimus, integrum in filios transfundamus, si vita Eremitica minuenda est, per alios incipiat minui, ne nos inveniamur in hujus fraudis sacrilegio* PRIMI. Malè pereat, qui sic vivit; & instar Judæ rumpatur, qui sic differit. In talem Apostolatum, qui ardorem restinguit, qui otio patrocinatur, qui pœnitentiam exanimat, qui currentes sistit, qui Gigantes mutat in Pygmæos, qui Zelum transformat in Politicam, qui Evangelicæ vitæ arborem veneno inficit, ceu inimicum prorsus Apostolatui Francisci omnium manibus lapides jaciantur. Dehiscant illi profunda terrarum, & cum Abirone

Lib. 6. Ep. 33. Erem. Gam. To. 14. 85.

ne & Dathane Inferorum Abyſſus pandatur. Nos eorum Apoſtolorum numero inſeri cupimus, de quibus ad Corinthios Paulus ſcripſit. *Deus oſtendit nos Apoſtolos noviſſimos* TANQUAM MORTI DESTINATOS. Vita noſtra eſt, vitam pro animabus ponere, ut mors noſtra ſimilis fiat beatæ morti Franciſci, qui tot Regnis, quæ Chriſtianæ Fidei ſubegerat, tot Regibus, quos Chriſto genuerat, haud contentus, Sinas pandere tum eſt aggreſſus, cùm Deus illi Cœlum aperiret, veri & prodigioſi Apoſtolatûs ſui Præmium recepturo. Idem precor nobis omnibus contingat.





EXHORTATIO XI.

In Pervigilio S. Francisci.

Mihi autem absit gloriari NISI IN CRUCE Domini nostri JESU Christi. *Galat.6.*



Ommodorum, gloriæ, atque excellentiæ ODIUM *quemadmodum in itineribus Indicis Sancto Francisco perpetuus comes adhæsit, ita nobis ejus discipulis in obeundis Instituti nostri Ministeriis semper Dux esto. Equidem nunquam ista fulgorem dabunt, nisi Crucis ærumnæ consiliorum nostrorum scopus fuerint. Eò igitur accurratur, ubi plus sudoris spargitur, & minor seges colligitur. Cùm nos Mundus ita comparatos depre-hen-*

henderit, compereritque; Spiritualium ſuorum quæſtuum arbitros, & in negotio ſalutis Magiſtros nos optabit. Quapropter nullus Societatis Operarius ſe à Cruce disjungat, quæ ſola ſalutis alienæ cultores titulis ſanctitatis exornat, cùm ex ædificiorum modeſtiâ, paupertate veſtis, & frugalitate victûs ea palàm eluxerit.

121. ALtitudo iſta Mentis prorſus Heroica, quæ conſtanti vultu, oculiſque irretortis contumelias omnes, ac toleratu aſperrima quæque provocat, ſuſtinétque; ac magnanimus iſte contemptus, qui ſuperbo pede conculcat, quidquid grande, vel illecebroſum Mundus oſtentat, ex ore Pauli primùm plaudente Cœlo, ſtupente mundo, attonitis Inferis prodivit. Hæc eadem ſubinde multis pòſt ſeculis magnanimitas, quæ delicias averſaretur, amaret ſupplicia in Franciſci Aſſiſiatis linguâ non mi-

nore gaudio Ecclesiæ, quàm Hæresis dolore renata est. Denique cum summa Christiani Nominis, & Societatis ad ultimos Naturæ terminos propagatæ gloriâ ex ore tertii, ejúsque nostri Francisci effloruit, ut adeò cum Apostolo Gentium, & ipse Indiarum Apostolus, & cum Fratrum Minorum Duce sacris vulneribus illustri, ob similem vitæ austeritatem, non minùs verè Xaverius noster exclamare posset. *Mihi autem absit gloriari nisi in Cruce.* Hæc nempe Crux deportata humeris, & intimo pectore recepta Crucis cultum Ethnicis persuadet. Hanc Apostolus noster in tot Provinciis Idolorum cultui mancipatis, in tot Regnis ante illam diem ignotis, in Orbe quodammodo extra Orbem posito erexit, quia nimirum in eâ & cogitationes omnes defixit, & amores suos omnes collocavit. Non est autem vera legitimáque Crux Christi, sed fucata & mendax Crux illa, quæ secundùm corporis dolores, quorum ipsa sibi causa est, non cupiat insuper

adji-

adjici ſibi appendicem illam, qualis eſt à populis divexari, à Diſcipulis prodi, à Sociis deſeri, ab amicis exagitari, & à Deo derelinqui quodammodo; qui ut Filio ſuo Crucem Cruce aliâ haud paulò graviore geminavit, ita Miniſtrorum ſuorum, quæ ſibimet inferunt, quæque ab hominibus patiuntur, tormentis, alios in animo cruciatus addit, eósque veluti ſanctis eorum ſtudiis offenſus in tenebris ægritudinis, internâque Spiritûs ariditate deſtituit. Quanto autem ſtudio Crucem ejusmodi, quam homines maledictis inceſſerent, ac Deus ærumnis gravaret, quâ conſtantiâ tulerit, imò quantâ obſervantiâ Xaverius coluerit, operæ pretium erit cognoſcere: ut perfectiſſimum & Apoſtolicum Ectypon ex eo in nobis ipſis deſcribamus.

122. *Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce.* Nulla unquam mater tam tenero complexu filium, vel è remotis præliis reducem, vel è tumulo redivivum pectori appreſſit, præ ut Franci-

ſcus noſter non unam modò, ſed mille Cruces eſt amplexatus. Tametſi enim cum ærumnis & incommodis intolerabilibus, innumeris, perpetuis, majoribúsque, quàm aſſequi cogitando poſſimus, conflictaretur Vir Sanctus, iis tamen vocibus, quæ non niſi maximis ſanctiſſimíſque Evangelii Miniſtris in uſu fuerunt, idemtidem exclamabat. *Amplius, amplius.* Videor itaque mihi comparationem illam Apoſtolo Indiarum aptare poſſe, quam Gregorius Nazianzenus Athanaſii tum propriis, quibus in corpus ſuum ſæviebat, tum hoſtium ſuorum acerbiſſimis odiis vexati laudibus inſerüit. Adamantis primùm eum nomine celebrat, qui æreis aut ferreis malleis ſic reſtiterit, ut nec flecti potuerit, nec frangi. Et quoniam Adverſariorum violentia propriâ crudelitate laſſata quietem interdum aliquam invicto Patriarchæ permittebat, ſeu cùm inter vaſtas ſolitudines degeret, ſeu cùm in ſepulchris conderetur, tum enimverò ex Adamante verſus

ſus in Magnetem ipſe ſibi tormenta ultrò accerſebat, impatiens ſcilicet, ſub oculis Christi vitam agere, quam nullæ ſpinæ coronarent. *Egregiam duorum lapidum naturam imitatur.* PERCUTIENTIBUS ADAMAS *efficitur, & Magnes arcanâ naturæ vi ferrum trahens, ac durissimam omnium materiam ſibi adjungens.* His tam nobilibus pretiosíſque gemmis Orientis Apoſtoli Statua formatur. Adamantem profectò ſeſe ille præſtitit invictum non minùs contranitentibus Prætorum minis, furiis Barbarorum, Bonziorum nequitiâ, quàm cùm à Regiis Oratoribus, maximis Principibus, Præſulibus ac Regibus honoraretur, qui virtutem illius admirati, certatim eum & nobili paratu inſtruere, & magnis honoribus tollere contendebant. Contra univerſos diverſis licèt armis ſtetit invictus: admittebat injurias, & in plagis triumphabat: at contrà repugnabat imperantium officioſæ humanitati, & laudibus, quibus omnis eum nobilitas ef-

De Laud. Athan. Tom. 59. 133.

ferebat, repudiatis, tum famulitio, quod in iter Goanum Rex Lusitanus addiderat, tum conviviis, quæ Classis Præfectus in diuturnam navigationem ad Imperii illius extera Regna tendenti obtulerat. Denique obviam euntium officiis, quæ vir summæ auctoritatis, famæ, scientiæ, & jam tum prodigiis inclytus promerebatur, constantissimè resistebat. *Percutientibus Adamas efficitur.* Et quod eum longè magis exornat, duriorem sese, magisque adamantinum præbebat iis, à quibus ornabatur, quàm à quibus vapulabat, magisque intractabilem illis, à quibus ad delicias invitabatur, quàm à quibus cumulabatur injuriis. *Adamas efficitur;* non minùs liquati sulphuris imbribus, quàm aquæ stillatitiæ rore insuperabilis. Sed tamen in animâ Francisci Adamantis pretium Magnetis virtus superabat. Hic lapis non rosas, Electrum, aut Pyropos ad se trahit, & si Cœlum ipsum stellas suas attenuaret, easque generoso saxo admoveret, eas ceu vilem glebam con-
temne-

temneret, totúmque se ad attrahendos clavos, cultros, & cujuscumque nominis aut formæ arma in cædes nata, converteret. MAGNES *arcanâ naturæ vi* FERRUM TRAHENS. Non fuit labor, quem Franciscus non subiret; non vulnus, ad quod seu curandum, seu sugendum non advolaret; non tormenti genus à Sanctis viris usurpatum, cujus amore non caperetur; non asperitas vel informium asserum, vel rudium saxorum, quibus non indormiret; non Appenninis, aut Alpibus pares scopuli in quos ad prædicandam Fidem non eniteretur; non ciborum insipidorum abominabiles reliquiæ, quibus non pascerentur; non probra, non repulsæ, non contumeliæ, quas non optaret; semper pejora quæque sitiens, rerum tum bonarum, tum optimarum implacabilis ubique hostis. MAGNES *durissimam omnium materiam sibi adjungens.* Duabus Nazianzeni gemmis lubet ex Gregorio Nysseno, durum silicem ad-
 jun-

jungere, robur juxta & venuſtatem Divi noſtri ſimulacro additurum. Animadvertit eruditus Philoſophus ſplendorem eo ſaxo attineri, & ingenitæ lucis radios condi, neque tamen è lapide promicare, niſi vi chalybis icto vel fracto. SILICES *obſcuri in tenebris manent*, ETIAM SI ILLUMINATRICEM VIM IN SE CONTINEANT. Perinde prorſus in Apoſtolo noſtro evenit. Avulſus ille eſt à Vaticano cum ampliſſimâ Nuncii Apoſtolici poteſtate, & Summi Pontificis Vicario Imperio in omnes Indiarum Antiſtites, univerſósq; qui per immenſa Orientis Regna diſperſi Petro in Succeſſorum ſuorum pedibus Crucem deoſculantur. Tam illuſtris tamen cùm eſſet Apoſtolicæ Sedis Legatus, nigrâ cannabe veſtitus apparuit: nullo ſervulo proſequente, nullo Clerico comitante, nullo penitus vel minimo auctoritatis ac dignitatis ſacræ indicio. Muneris ac poteſtatis ſuæ titulos, quam Præſes ſupremus obtinebat, inauditâ mo-

De hiſt. ſex dier. To. 13. 28.

modeſtiâ perpetuò preſſit, ſemel aut iterum Petri Gladium de vaginâ eduxit, cùm hanc ei vindictæ Apoſtolicæ neceſſitatem impoſuiſſet importuniſſima cujusdam protervia, qui Evangelii curſum & Dei Opt. Max. cultum pervicaciter morabatur. Et quemadmodum cùm videret nullis jam precibus flecti poſſe Tartaream Malacenſis Præfecti contumaciam, Evangelio Politicam præferentis, & ſuorum quæſtuum cupiditati converſionem Infidelium, & Converſorum conſtantiam poſtponentis, in illum denique publici edicti fulmen intorſit, nihil ejus ſatellitum arma, nihil eorum, à quibus ille concitabatur, potentiam veritus. Antequam verò Anathematis telum vibraret, ictûs tam acerbi excidio paterna monita, fervidas hortationes, ac Paſtorales minas præmiſit. Quid multis? Velut unus è duodenis illis ſilicibus, qui totidem Apoſtolorum ſymbola è Jordane ſublati fuerunt, intra viſcera ſua ignis ardorem, & zeli fulgura texit, ſimúl-

ſimúlque ut alienâ cogente perfidiâ Nuncius Pontificius viſus eſt, ſimul ſe occuluit, & mendici Sacerdotis & incomitati animarum Patroni amatâ ſibi ſpecie ſe involvit. Et dubitamus adhuc, poſſe Franciſcum in tam difficili honorum fugâ, & preſſæ dignitatis latebris, & omnium incommodorum invictâ patientiâ, verè, ac citra omnem Auxeſim illud ſibi uſurpare. *Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce.*

123. Atque hoc, quod, tametſi componatur cum rigore Anachoretarum, & Infulas defugientium modeſtiâ, tam eſt illuſtre ac ingens, exiguum tamen eſt ſi animadvertatur, quos aggeres divinis favoribus Franciſcus objecerit, & quâ conſtantiâ cæleſtem Ambroſiam à ſe repulerit. Hoc loco imperare mihi non poſſum, ut taceam, quantâ admiratione Gilbertus Abbas ſummam perfectionem cujusdam Ordinis ſui Archimandritæ, ad cujus tumulum dicebat, ſit proſecutus. Hic, quem mortuum, inquit, lugemus, toto corpore myr-

myrrha & animi lætitiâ nil eſt præter aromata. MYRRHATA CARNE, MENTE AROMATICA, *crematione continuâ indefeſſi amoris odoriferum incenſum offerebat.* Non idem tamen mihi de Franciſco affirmare licet, qui tametſi eſſet in attritis ſuis membris laudato illo Monacho multò amarior, minus tamen ſolatii percipiebat animo, utpote qué à flumine illo, quod Dei Civitatem allúit, vel ſummis labris deguſtando prohibebat. Quapropter ſicut Elementis, Cæli hauſtui, temporibus anni ſeu æſtuantis, ſeu glacie rigentis, corporis animíque ægritudinibus, invictâ conſtantiâ ſolebat acclamare. *Amplius, amplius:* ita cæleſtibus viſis, crebris animi in Deum, & corporis in aërem raptibus, Prophetiæ dono, gloriæ prodigiorum, deliciis Spiritûs, mellifluarum lacrymarum imbribus, flammis innocentibus, quibus ejus pectus circumplectebatur, amplexibus, oſculis, illecebris Charitatis divinæ, ipſis mirantibus Angelis, reſpondebat: Non ultrà,

Ser. 41. in Cant. To. 109. 197.

ultrà, non amplius! *Sat est Domine, sat est!* Sic ut de illo, si Gilbertum imitari volumus, scribere debeamus: *Myrrhatâ carne, ut mente myrrhatâ:* Non minori Martyrio, per intolerandas ægritudines excruciari animam cupiens, quàm quo res creatæ, atque ipse cum iis conjuratus proprium corpus torqueret. Quâ in re non memini me in Annalibus Ecclesiæ legere, qui Franciscum superârit inusitatâ fugâ æterni amoris brachia eluctantem, atque ultrò euntem obviam Deo flagris in ipsum sævienti, & lætitiæ coronas, & prodigiorum diademata offerenti sedulò se suffurari assuetum.

124. Eâ re admirabilis sui ipsius hostis desideria Pauli Apostoli superavit, mysticam quandam mortem à Christianis omnibus requirentis, quæ immobilitate ac horrore cadavera imi-
Coloss. 3. 3. taretur. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Equidem durissima morientis conditio est, corpus sepulchri horrori, vermium gu-

gulæ, & putredini oſſa committentis. Attamen quemadmodum caro Juſtorum poſt eorum exceſſum in cinerem denique reſolvitur, ſic animus ab occurrentibus Seraphinis exceptus,&Cœlo illatus Dei conſpectu, & nunquam amittendo imperio potitur. Tum quoque cùm beata illa ſedes,quantumvis ſanctâ morte defunctis,occluſa perſiſteret, quietem tamen à laboribus animæ capiebant, & in Limbo Patrum feliciſſimæ pacis otio fruebantur. Sic quo tempore Pauperis Lazari ulceroſum cadaver deformitate vulnerum, & corruptionis fœtore, ſtomachum intuentibus movebat,ejus animam Abrahami complexu receptam ſupplex Epulo infimis precibus invocabat, ut damnatæ linguæ ardores miſeratus aſperſâ frigidæ ſtillâ temperaret. Quare Paulus, cùm Coloſſenſibus vivam mortis imaginem commendaret, non aliud eos juſſit, quàm ut carnificum lanienas, & latebrarum incommoda infracto animo tolerarent, cordis lætitiâ & men-

mentis ſolatiis ultrò permiſſis. At Franciſcus flagellis proſciſſus, ſpinis transfixus, fame tortus, ſole toſtus, torrentibus madidus, gelu ac nivibus obrigeſcens, & in tantâ duriſſimorum cruciatuum alluvione quovis cadavere immobilior petebat inſuper, ut animam ſuam æternus Pater multiplicatis tempeſtatibus agitaret, ſolatiorum ſenſu, & ſpiritualium conviviorum guſtu negato: *Sat eſt, Domine, ſat eſt.*

125. Et quoniam contrarium votis ſuis Deum experiebatur, ut qui itinera ſua & prædicationis per Indiam, & obedientiæ per Europam laborioſam exercitationem ſuaviſſimis ſolatiis proſequeretur, tam ſævum ſibi nobiliſſimus Amator Crucis ſeſe carnificem exhibuit, ut ſicut vicerat ſeveriſſimas Pauli præceptiones mortuis pares dogmatum ſuorum auditores cupientis, ſic Petrum æmularetur, vel in ipſa morte mortis tormenta quærentem exaggerantémque. Ad ſupplicii locum Apoſtolorum Princeps à lictoribus raptatus,

tùs, ad funestæ trabis conspectum eam ob causam ingemuit, quòd pro DEO non satìs dura pateretur. Non explebant Petri desideria, vel Nero, illa Tyrannorum Megæra, vel Crux, ultima suppliciorum omnium meta. Quapropter exclamans, non imitor, inquit, Christum, nisi morte prorsus simili me Crux ista sustulerit. Ubi enim spinæ, quæ cerebrum mihi transfigant, ubi gravia plumbo flagra remanserunt; quibus mea membra lacerari debuerant? Non fel, quod hauriam, video; non latrones socios aspicio, qui unà mecum Cruci confixi in me maledicta conjiciant. Non me Discipuli mei fugâ destituunt, neque alium ego Petrum habeo, qui me neget. Quare si Magistrum meum imitari cupio, adjungere me oportet ligni clavis novam dolorum catastrophen. Obtestatus igitur sævientes satellites est, ut capite deorsum verso in crucem se attollerent, tormenti genere tam diro, ut Japoniis deinceps usurpatum in horribili

carnificinæ ſuæ foſſa, citra ferrum, citra crucem Martyrio morte omni ſuprà, quàm dici poſſit, atrociore damnatos excruciet. Ambroſium audiamus, quem extra ſe poſuit Magnanimitas Petri non contenti nec ſanguinarii Cæſaris furiis, nec geminæ trabis ſupplicio, ultra quas nihil licere Tyrannidi, nihil crudelitati conceſſum eſſe videbatur. *Petrus* CRUCEM SUAM INDIGNAM *arbitratus*, *inverſo ſuſpendi popoſcit veſtigio*: UT ALIQUID PASSIONI SUÆ ADDERET, *cujus acerbare ipſe ſibi ſupplicia non timeret.* En vobis inſtauratos in Franciſco ardores Petri! Parum quippe viſum eſt beatiſſimo ſui tortori Xaverio Romam peregrinari ſolo ſcipione nixum, nullius jumenti ope; pedibus per Alpium nives ingredi, niſi, ut moleſtias itineris exaggeraret, crura inſuper funibus adſtringeret, usque dum exanimis prolapſus parum abeſſet, quin vitam in vaſtis montibus poneret. Levem eum laborem arbitrabatur, quòd bis Zonam tor-

Lib. 1. de Interpel. To. 10. 245.

torridam navi transmitteret, pane nautico, eóque verminante, fætentíque aquâ victitans, nisi & Oceani subsultantis æstui, & gravissimis sub Eclipticâ sæviente toleratis molestiis alias adderet, ac super anchorarios funes ad quietem se abjiceret, ministraret ægris, morientibus advigilaret, mancipiorum munera occuparet, alienam suámque vestem elueret. Mozambicum appulsus, nec dum satur tot incommodis inter maris tempestates devoratis, nec portûs illius, ob æstus furias, & Cœli lucem navigantibus infestissimi, putri aurâ contentus; nisi quàm primùm, neglectâ omni valetudinis suæ curâ, Nosocomia intraret, & in multiplices ærumnas, quarum feracissima erat illa ægrorum cura, se conjiceret; ac nisi in eodem lecto iisdémque stragulis acquiesceret, in quibus illâ ipsâ nocte homo fœdâ lue contactus animam egerat. Indiam ingressus, in quâ nec vini nec panis gustus est, cùm videretur victûs ab Europæo diversissimi insolentiam resarcire leva-

mento aliquo debuisse, sponte suâ omnem sibi carnis usum interdixit, nec aliud opsonium, quo aleretur admisit, modicâ orizâ & tenuibus herbis aquâ subactis vitam tolerans, mortem arcens. Cedò autem, ut se verum Apostolum demonstraturus tot Regna nullo vel Mauri unius comitatu, vel aselli vecturâ instructus percurrat, quid est, quòd cùm tot centena leucarum millia pedibus conficeret, eos in plerisque suis itineribus calceis exarmavit? & nudis cruoréque manantibus plantis montes conscendit, ferventes arenas pressit, horridas vepribus solitudines peragravit? Quem in finem inter tot ærumnosissimi Apostolatûs lethales angores, non modò nullum, ne per noctem quidem fomentum, quo ad futuros labores convalesceret, afflictis suis artubus indulsit, verùm etiam culcitrâ, quid dico? verùm paleis quoque ac stramentis rejectis multas noctis horas vigil, & de genibus ardenti prece traducit, & subinde in nudum solum

pro-

procumbens atterit potiùs, quàm in quietem membra componit? Nunquam certè adeò, quæ pro nostro in virtute profectu monere constitui, pervenirem, si vel compendio Sancti Viri austeritatem & ærumnas perstringere animus esset. Possim sanè Jobum aliquem eum dicere; non quidem Cacodæmonis invidiâ, sed Christi pro eo Crucifixi reverentiâ laceratum. Equidem mirabilis ille, & invictæ patientiæ Heros, cùm se videret altissimo Dei consilio Inferorum furori objectum, & toto corpore vulneribus deformatum, quamvis è rapinâ latronum superessent prædia, tótque amplissimæ domus, quibus ventorum furiæ pepercerant, vel, si his quoque eum Sathanas spoliavit, prompta tamen essent amicorum & consanguineorum præsidia, à quibus fascias, & balsama in vulnerum suorum curam, ac in amœnas ædes receptum impetraret, ubi afflictum corpus recreare posset, nec admisit ista, nec in vulneribus & Lepra, quibus totum ejus

corpus Cacodæmon infecerat, atque laniaverat, satìs esse supplicii, aut par desiderio suo patiendi argumentum arbitratus est: quin ut Conditoris sui voluntati perfectiùs obsequeretur, in fimo se collocavit,& asperâ testâ erumpentis tabi profluvium radere perseveravit. Ea propter S.Gregorius Pontifex fimi sordibus, aureis characteribus, Elogium inscripsit Viri adeò dolores suos amantis, ut impiè à Dæmone percussus, inhumaniter à familiaribus increpitus, & à Deo virtutem exploraturo inter turbinis nebulas reprehensus, non ferret duntaxat tantum suppliciorum cumulum, sed triumphanti similis insuper amplexaretur. In cladibus suis pacatus, quas passus erat, constans in angustiis, quibus urgebatur, &, quod magis stupeo, & à Gregorio ceu Corona afflictissimi Athletæ temporibus imponitur, ipsis lætus calamitatibus, quibus hominem tum animi ægritudo omni solatio destituti, tum Dei ejus dicta in speciem objurgan-

gantis indignatio penitùs oppressisse Job. 38. 1.
videbatur. *Respondens autem Dominus Job de turbine, dixit. Quis est iste involvens sententias sermonibus* IMPERITIS? O Prodigium, exclamat ille, ingens ac novum! En hominem qui cum morte colluctatur, & ridet! huc scilicet tendebat Beati Francisci ardens amore pectus, ut Encomium promereretur, quo Pontifex Maximus Jobi ad incitas redacti fætentem latrinam exornavit. *Adversis gaudet, passione reficitur*, MŒRORE REFOVETUR. Lib. 8. Moral. cap. 3. To. 33. 130. Proh! Quantis gaudiis incessisset ardens Missionarius noster, si corporis attriti cruciatibus calamitas animi perturbati, ac reprehensi à DEO potiùs, quàm recreati, & approbati per omnia respondisset. Tum enimverò, cùm mentem pariter ac corpus Cruces obsedissent ad vocis usque defectum, & cum Paulo & cum Francisco exclamâsset. *Mihi autem absit gloriari* NISI IN CRUCE. Hanc ille tantâ industriâ excolebat, quantâ de Epicuri gre-

ge nullus arborem vitæ irrigâsset, ut voluptates haberet immortales. Quod si non vererer, ne hujus cænaculi sanctitatem profanarem, adductâ in medium Hydrâ, quam Poëtarum theatra genuerunt: dicerem profectò Franciscum, ut erat doloribus inexplebilis, & cupidissimus injuriarum monstro tam fero, ut ab eo laceraretur immaniùs, non capita decussurum, sed aucturum, & virus accensurum fuisse. Universa prorsus ejus studia in hoc unum insumebantur, ut nova inventa comminisceretur, quibus magis ac magis membra sua lancinaret, & vultum ignominiis ac pudore confunderet. Ut adeò ejus vita in implacabilem contra se luctam conversa viveret, ut cruciaretur; & moreretur, nisi cruciaretur. Ut omnis denique dies novum sibi veluti clavum adigeret, & ætas universa non nisi Crux continua videretur. *Absit gloriari nisi in Cruce.*

126. Atque hanc nobis vitæ formam Lux festa proponit, quam cras qui-

quidem jejunio, & insequente die Panegyricis & Symphoniis venerabimur. Cæterùm si credimus solâ Pervigilii inediâ festum diem abundè celebrâsse, hallucinamur profectò. Haud sum ignarus homines nostros omnes in parte gloriæ ponere, quòd primis S. Parentis Consiliariis, primísque Societatis Ducibus accensere possint Apostolum, quem tot terrarum Regna in Præstitem ac Tutorem suum elegerint: quémque universa Christi Ecclesia inter maximos Sanctos, qui sint Aris impositi, deveneretur. Novi, cùm ab aliis sacris Ordinibus illustres Ecclesiæ Doctores, invicti pro Fide Pugiles, severissimæ austeritatis Magistri, animarum Quæstores diligentissimi, coronati primarum Urbium Præsules, quorum nomina fastis Romanis Summi Pontifices publico decreto inscripserunt, nobis objiciuntur, à vobis pariter ac me ipso reddi omnibus illis Franciscum Indiarum Apostolum, credereque hujus solius imaginis splendoribus, & hujus

unius veneratione nominis illustres, ac nullo illorum inferiores nos esse, studioséque dissimulatis aliorum nostrorum Beatorum ac Sanctorum prodigiis hujus unius Viri tam coruscam lucem arbitremur, ut sub ejus umbrâ & contra calumnias muniri, & piâ Orthodoxorum omnium invidiâ frui gloriemur. Nec vanè jactata, sed verè dicta omnia. Dubito tamen, quin, si vita nostra Sancti vitam non exprimeret, illud objicere nobis Christus posset, quod Israëlitis, quos à Patriarchis ducti natales inflaverant, Ambrosii ore exprobravit. *Nil tibi proderit, si dicas, Abrahæ sum Filia. Abraham quidem salvatur*, SED TE NOBILITAS GENERIS NON JUVABIT. *Non te decipiat data Patribus repromissio.* NON SUSCIPIO PRÆROGATIVAM GENERIS, NISI VIDERO CONGRUENTEM GENERI MORUM NOBILITATEM. Fuit sanè Franciscus è Majoribus nostris, sumus unà cum ipso Filii pariter Ignatii, & Di-

S. Ambros. Ser. 2. in Ps. 118.
To. 41, 19.

Discipuli; sub iisdem signis militamus, iisdem legibus vivimus, ad ejus fortia facta desideriis inardescimus, ejus vestem induimus; at nisi per vestigia, quæ ille in angustissimis semitis Consiliorum Evangelicorum impressit, pariter incedamus, non in laudem nobis, sed acerbam reprehensionem, ac periculosam ostentationem vertetur, quòd ejus pallio tectos paribus cum illo votis ac Societatis vinculis adstrictos nos esse vanissimè prædicemus. NOBILITAS GENERIS NON JUVABIT, *nisi videro congruentem generis nobilitatem.*

127. An subinde in omnibus nobis morum nostrorum forma Francisci Moderationem, Nuditatem, Obedientiam, Demissionem: Divina meditandi, affligendi sui salutémque alienam promovendi præclara studia referat, ex uniuscujusque operibus dijudicandum relinquo. Enimverò totis artubus contremisco atque animo concido, quoties acerbas illas exprobrationes

nes lego, quibus S. Jo. Chryſoſtomus Chriſtianos Antiochenos exterruit, eo ſolùm nomine ad omnem vitæ ſanctitatem procurandam planè devinctos, & ineluctabili neceſſitate adſtrictos pronuntians; quòd Paulus Apoſtolus Aſiam minorem percurrerit. Hic Paulus (ajebat ille) multa in victûs inopiâ, tenuitate veſtis, ſqualore carceris perpeſſus eſt, periculis & incommodis itinerum multa: plurima verò in mutatione hoſpitiorum ex unâ in aliam urbem, & à notis Provinciis in Regiones alias à ſuis prorſus abhorrentes migratione ac fugâ. Quid enim aliud Apoſtolus omnéſque illius Coapoſtoli
1.Cor.4.11. clamabant, quàm; *Usque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur.* ET INCERTIS VAGAMUR SEDIBUS. Sic enim voces illas: *Inſtabiles ſumus*, Chryſoſtomus explicat. Secundùm hæc exardeſcens eloquentiſſimus Sacerdos, vitæ tam aſperæ commemoratione non jam reprehendit, ſed opprimit
popu-

populares ſuos omnes. Ergóne in conſpectu Magiſtrorum noſtrorum pane, pænulâ, tecto, patriâ carentium nos degeneres eorum alumni, vel in proximos pagos detrectamus excurrere, quamvis extra hæc mœnia vel Neophytos inſtruendi, vel convertendi Idololatras, ſpes nos evocet? Nos, dum illos nec luteæ caſæ, aut conſerta virgultis mapalia tegunt, ædes attollimus peregrino marmore, Cupreſſinis, & auro illuſis trabibus ſuffultas? Nos, conſpectâ Evangeliſtarum noſtrorum macie, non modò non expalleſcimus, ſed exquiſitè condiri epulas & lautitias deſideramus? Heu! quantum illorum fortia facta, deſidiam noſtram ac mollitiem accuſant! quantùm illorum flammis gelu noſtrum adverſatur! *Nos autem* NE PATRIA QUIDEM AUDEMUS EGREDI, *ſed delicias quærimus*, ET ÆDES SPLENDIDAS, *& omnem abundantiam*. Quæ ſanè verba exanimant audientes. At multò majore metu ego contremiſco, veritus ne

Orat. 6. in 1. Cor. 4. To. 4. p. 62.

ne paucos aliquos noſtrûm ea fulmina contingant. Haud equidem domicilia noſtra Romana luſtraturus ingrediar, ut quæ à Summis Pontificibus aut è Sereniſſimâ ſtirpe genitis Cardinalibus ampliſſimis, & ſub oculis Deceſſorum meorum conſtructa ſunt; atque hi, uti fas eſt credere, illorum auctoritati repugnare haud potuêre, ferre videlicet coacti ædificiorum apparatum commodatorum, ut ſic dicam, nobis, at non ſtructorum à nobis. Submitto cervicem quantumvis reluctantem Vicariorum Chriſti, & Eccleſiæ ſuæ Principum munificentiæ, neque gemituum meorum ſuſpiria, & querelarum mearum acerbitatem admoveo ſanctiſſimis eorum conſiliis, qui ætate, regimine, virtute me præceſſerunt. Quàm enim iſti ab omni faſtu alieni fuerint, in Romanâ S. Andreæ domo Tyrociniorum noſtrorum Prototypo palàm videre licet, quam ex omnibus ſolam Præpoſiti Societatis nullâ vel ope vel arbitrio Magnatum ſtruxerunt. Hæc quam

quàm ſalubris, amœna, ſpatioſa & noſtris aptata uſibus eſt, tam eſt pariter ornamentis vacua, & omni laterculorum etiam non ſectorum, multóque magis illuſtrium marmorum aut ſculptorum lapidum ſpecie caret, ne lævigatæ quidem calcis tectorio inducta. Adeò enim Majores noſtri averſabantur omnem magnifici operis umbram, ut non dubitarent injuriæ temporum tantam ſtructuram exponere potiùs, quàm ut neceſſariis munimentis, vel veſtigium ſuſpecti ſplendoris miſcerent. Quapropter nec ego, nec vos vel minimæ vanitatis, ſi quis fortè ſplendor in quâpiam ædium noſtrarum reluceat, condemnare illos velut auctores debemus, qui ſtatuam, quam Romæ in unâ earum erexerunt, tantopere abhorruerunt. Non perinde imperare mihi poſſem, ut eos non deteſtarer, qui extra Urbem contra noſtrarum Congregationum Decreta ſuper ſtruendis ædificiis condita, & contra noſtræ mendicitatis modeſtiam ſeu copiâ orna-

namentorum, ſeu Propylæorum magnificentiâ venire auderent. Non hæc ornamenta, ſed luxûs potiùs monſtra forent, aliena prorſus ab eo, qui veſtem Apoſtolicam induit, & Paupertati Evangelicæ Sacramentum dixit. Foret autem longè deterrimum, ſi hoc unquam contingeret, ſi, qui noſtræ Sanctitatis modeſtiam dehoneſtârunt, ac nos ipſos ceu glorioſos ac ſuperbos per eam, quæ in oculos incurrit cælatarum imaginum ſpeciem oſtentârunt, interim in penetralibus interioribus ædium præſcriptam domibus noſtris parcimoniam ſummâ ſeveritate retinerent, nóſque proinde miſeri & egentes in conclavium noſtrorum anguſtiis, in tenuitate unius ligneæ ſedis, Iconis unius chartaceæ, lectuli velis, munimentóque omni ſpoliati, carioſæ menſulæ de rudi ac informi populo, paucorum librorum, quos noſtros dicere non poſſumus, ut pote Moderatorum arbitrio ſemper ſubjectos, exiſtimaremur veſtibulorum magnitudini, amplitudine

cubi-

cubiculorum, & ſupellectilis magnificentiâ pariter reſpondere. Evertat Deus, ſi hoc unquam eveniret, omnem inſolentis ſubſtructionis faſtum, & omnipotenti ſuo brachio nimis exornatæ ambitioſæque architectonicæ eam ſtragem edat, quam inferre imprecationes meæ haud poſſunt. Id verò me nonnullo ſolatio recreat, quòd pauciſſimæ ſint moles illæ, quas Dominantium potentia in ſolis ſtudiorum Vniverſitatibus ad commendationẽ litterarum erexit, non ignaris Catholicis, eas ab invitis nobis ob ſolam doctrinæ venerationem nec ſine dolore tolerari. Nullus mihi hic ſermo de Templis noſtris eſt. Hæc enim Deo ſoli dicata nullâ unquam ratione poſſunt vel majeſtate, vel opulentiâ, tum parietum, tum inſtrumenti ſacri, dignitatem infinitam SS. Triados exæquare. Quam ob rem Ignatius Parens noſter, nóſque ejus Filii Dei Optimi Maximi dignitati omni, quo poſſumus, ſplendore contendimus reſpondere, ſi modò in Tem-

 plis

plis etiam modum non excedamus, aut loci vaſtitate, & altitudine, quæ Miniſteriis noſtris officiunt, & pietati Religioníque adeuntium haud parum incommodant. De domiciliis noſtris loquor, quæ nobis deſtinantur, non Chriſto: quæ ſicubi modulum noſtrum ſuperant, id, veluti diximus, nullo ambitionis noſtræ vitio contingit, ac vix evenit, neq; impoſterum eveniet: eliminantibus ſcilicet ex ædibus noſtris quamcumq; faſtûs umbram ſtatutorum noſtrorum excubiis. Nihilominus ſi dolores mei ex eo aliquantulùm temperantur, quòd abortus tam lugendi rariſſimi ſint, & ſoli obedientiæ, quam Principibus & Magiſtratibus debemus, imputandos eſſe conſtet; poſſent forſan illi exaſperari aliis expetitorum commodorum & ærumnarum ſtudioſè vitatarum abuſibus, ac ſuperfluarum rerum novitate, quam Chryſoſtomus in populo, quem inſtruebat, fulminavit. O nos felices, ſi ſola tectorum magnificentia diverſos à Franciſco faceret, quoniam

quæ

quæ in domiciliis suprà, quàm conditionis nostræ frugalitas ferat, conspicuis culpa est, ea nullâ nostrâ culpâ contingeret: tales enim habitare domus sustinemus, quales earum Fundatoribus visum est condere; Eo autem utique peccaremus, nisi paupertas tam dilecta Sancto, quem veneramur, foret nobis quoque longè carissima; nostrum enim vitium, multóque gravior & Modestiæ ac Patientiæ jactura foret, si quæ sunt inter nos paulò illustriora munia nobis arriderent, & labores minùs honorifici, ac domus minùs copiosæ displicerent. *Nos autem ne patriâ quidem audemus egredi, sed delicias quærimus, & omnem abundantiam, quis enim nostrûm esuriit propter verbum Dei? Quis fuit in solitudine?* Hic ille pugio est, qui animum meum transverberat, dum inter tot Filios meos conjunctissimos Cruci, & ærumnarum cupidissimos, non possum non aliquos deflere, quietis non admodum inimicos, & qui nonnunquam cum magno

quidem & ſui & noſtri nominis probro admittant, & forſan emendicent etiam, neſcio quam inuſitatam rerum copiam Ignatii Diſcipulis, & Condiſcipulis Franciſci prorſus indecoram: atque Hi, dum ſe de recto tramite auſteritatis religioſæ ſeduci à naturæ propenſionibus ſinunt, tantum abeſt ut myrrham ſibi rubóſque excolant, ac circumquaque omnes pereuntis gloriæ flores & ſecularium deliciarum aromata extirpent, ut omnem ignominiæ ſpeciem declinent, & vel ad vocationis, vel ſanitatis usque periculum mœrori ſe permittant, ſi quando eorum cupiditatibus mora injicitur, & violatarum regularum errores publicis animadverſionibus caſtigantur.

128. Idem planè his quod Coloſſo Babylonico aliàs ſæpe producto à me, conſideratóque à vobis accidit. Quòd Statua, cùm eam in ferreâ terreâque ejus parte ſaxum contigiſſet commota ſit, & leviſſimum attactum non tulerit, vitiúmque fecerit, magnæ profe-

ctò

ctò infirmitatis indicium, non verò prodigium fuit. At enim indignum tantâ machinâ monstrum fuit illud, quòd tam exiguâ sui parte perculsa universa concussa fuerit, & in minutissimum pulverem dissoluta ad primos auræ afflatus evanuerit. Quòd si Romanarum Pyramidum alicui eâ, quâ nititur parte, quæque major est ejus portio, dodrans de mole desecetur, descenderet illa sine dubio aliquantulùm, sed, ut erat, erecta, nullo in latus alterutrum flexu in basim decideret. Secùs autem simulacro illi evenit, quod ictu levissimo percussum, omni suâ parte continuò solutum, Austris ludibrio fuit. *Percussit* STATUAM IN PEDIBUS *ejus ferreis, & fictilibus, & comminuit eos: Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento, nullúsque locus inventus est eis.* Daniel. 2. 35. Ita quòd nostrûm aliquis quia facultate quâpiam suâ non rite utatur reprehensus,

aut à munere, quo laudabiliter fungitur, abstractus ex animadversione aut missione datâ aliquantulùm commoveatur, infirmitas est indigna quidem eo, qui Christi convitiis in Calvario impetiti, & tot annos in abjectæ officinæ latebris absconditi Crucem sequutus est. At verò simillimum monstro foret, si præ impatientia & ira ad intolerabiles mœrores sese abjiciens, fastidiosè, ac cum stomacho negaret in quocumque alio munere obsequium suum Societati approbaturum, & quam inter nos adeptus est scientiam, easque dotes, quas secum è seculo attulit in illis exercitationibus, quæ minùs periculosæ indolis suæ lenitati, & è re nostra magìs futuræ visæ fuissent expromere adhiberéque detrectaret. Heu me! Accidit interdum, ut qui ab uno munere submotus est, universa continuò nullo discrimine rejiciat, & qui non tam punitus, quàm nævo, qui vultum, aut reduviâ quæ digitum illius infecerat purgatus est, mortuum se pro-
cla-

clamet, & ad omnes labores porrò ineptum se vociferetur. *Tunc contrita sunt* PARITER *ferrum, testa, æs, argentum & aurum, nullúsque locus inventus est eis.* Pergamus: Quemadmodum lapillus, quo immanis simulacri creta icta est, subinde in immensum montem excrevit, omnésque terrarum plagas occupavit, sic in Viri Religiosi vel castigati, vel munere, vel loco moti animo ea, quæ excepit monita, & injuria, quam sibi factam existimat, in tantam molem excrescunt, ut omnes corporis sensus, & facultates animæ penitus opprimant; quô fit ut horis omnibus, quocunque in opere, ubique locorum acceptam cladem mente volutet. Precibus vacanti acceptæ, ùt arbitratur, injuriæ imago obversatur: sacras paginas volventi characteres inumbrat ignominia, quâ sibi affectus fuisse videtur: dum pœnitentibus aurem adhibet, longè magis exaudit obstrepentes sibi aut publicatum errorem suum, aut animadversionem privatam.

Breviter: ſeu cum proximis agat, ſeu ad Aram faciat, ſeu corpus cibo reficiat, ſeu dormiat, ſemper triſtibus nebulis fanatici contemptûs obſidetur. Quare de glarea mundum ſibi fabricatus, calcatæ Crucis mœſtus transfuga, nihil præter contumeliam, quæ nusquam eſt, nec fuit unquam, aut animo verſat, aut ſermone ſonat. LAPIS *autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt* MONS MAGNUS, *& implevit* UNIVERSAM TERRAM. Quo in naufragio cordis miſerabilibus angoribus merſi eò miſerior eſt afflicti hominis anima, quòd leviſſimi tactûs immerito dolori fabuloſum cauſarum volumen attexat, quæ nec per ſomnium occurrerunt iis, à quibus ſe læſum opinatur. Arbitratur infelix lapidem à monte præmeditato conſilio eum revellendi, exacuendíque fuiſſe reſciſſum: libratam limis oculis dexteram ad ſenſum doloris, quem ab eâ animadverſione præſentiſceret, infligendum: ratus diù antè multúmque à Præpoſito in

in arcano Senatu expensum fuisse verbum illud, quo perstrictus est: certò sibi persuadens eam, quæ ipsi negata venia est, aut munus, quod mutare jussus fuit, indè coorta, quòd Præsidum severitatem excitâsset implacabilis memoria earum rerum, quas Juvenis atque olim per socordiam ac incuriam perpetraverit. Neque tamen animadvertit infelix inanium prorsus machinarum architectus, perinde sibi ac simulacro evenisse. Id quidem perculit lapis, sed fortuitò à monte seu antegressis pluviis elutus, seu temporis edacitate corrosus, nullo ingenio scalpri, nullâ consilii malignitate, aut artificis odio solutus. *Abscissus est* LAPIS DE MONTE SINE MANIBUS, *& percussit statuam in pedibus.* Ita te Præses ab uno in alium locum transtulit, non ut pudore te afficeret, sed quòd, cùm necessariò subrogandus esset, qui Domui ab Operariis non instructissimæ operam navaret suam, te illo ministerio judicavit aptiorem. Sic quo-

que, ſi reſponſa tibi aliquando minùs blanda, nec ſeſamo papaveréque conſperſa reddita ſunt, non ea præteriti teporis tui, aut in averſionem obſtinati animi, à quo inhumanam repulſam paſſus es, vindicta fuit; fuit ea potiùs negotiorum multitudo, quæ Præpoſito tuo ſolitam humanitatem, ac ſpatium ademit antè ſecum expendendi, quàm negaret, quod concedi non poteſt, & id jubendi, quod Præfecturæ ſuæ ratio poſtulat. Contingit enim ſæpenumero, ut vel rerum varietas, vel negotiorum pondus, aut perturbatio animi, aut nova imperia, aut rerum perperam geſtarum deprehenſa indicia, aut recèns incuſſi metus, eos qui præſunt, annuere prohibeant, ſuámque adeò ſuavitatem mandata non ſervent. Sufficiat igitur, ut ne acerba illic myſteria fingantur, ubi non ſunt, meminiſſe, non de induſtria lapillum ad Coloſſi pedes devolutum fuiſſe, ſed quòd à rupe diviſum terræ hiatus, & ſua cum gravitas ad infe-

inferiorem glebæ partem pertraxerint. Ne, quæso, enodandæ simplicissimæ fortuitæque sententiæ advocentur tot Sphynges, quæ suâ interpretatione, non eam explicent, sed pluribus nodis adstringant.

129. Foret profectò supra omnem patientiæ modum misera Regentium conditio, nisi Evangelicæ Obedientiæ, ac Paupertatis Alumni tam molles ac delicati, tam exiguo quoque numero essent; deficeret enim Præsides & de suis statuendi libertas, & negotiis consulendi facultas omnis. Sint nobis sanè Colossi minùs vasti, ac statuæ humiliores, siquidem ingentes illas quælibet tentabundæ manûs tractatio impellit in desperatos mœrores, & obstinatam fugam cujuscumque muneris ab eo, quod ardebant, diversi, quódque illis vel temporis ratio non dum maturi, vel graves aliæ causæ distulerunt. Eam ob rem ego quidem non continuò lætitiæ me permitto, cùm Tyrocinia nostra ingrediuntur adolescen-

ſcentes ortu illuſtres, perſpicacis ingenii, & oris diſerti præclaris ornamentis inſignes: contineo tantiſper gaudia mea. Quòd ſi enim earum dotum claritati morigera Regentibus docilitas, & in eventis, quæ ſubinde conſequuntur, conſtantia non reſponderit, nihil opis eſt vel in copia ornamentorum quibus præditus eſt, vel in claritate ſtirpis, vel in acumine ingenii, vel in exiſtimatione aut gratiâ, quam ſibi vel apud litteratos, vel apud Magnates comparavit. Quanta æris, argenti, atque auri vis in eam molem, quam Rex Chaldæus ſomniaverat, infuſa radiavit, & tamen metallorum tam illuſtrium tam copioſus ac multiplex apparatus, repentè concidit, atque evanuit: ſic ut ad prodigioſæ majeſtatis memoriam ne pulviſculus quidem ſupereſſet. NULLUSQUE LOCUS INVENTUS EST EIS. Sint ſanè Scholaſtici noſtri ac Sacerdotes minùs docti, celebres minùs, & à ſplendore ſanguinis, & mentis perſpicaciâ minùs

nùs conſpicui, ſed qui ad ſublevandas Ductorum ſuorum neceſſitates flecti ſe patiantur; nec ullis humanorum eventuum impulſibus cedant, quæ nimirum varietates hanc vitæ humanæ imbecillitatem, & religioſæ diſciplinæ aſperitatem nunquam non comitantur: ut ſi contingat interdum eos modicæ lucis candelabris imponi, vel etiam ſub occupationum parùm in vulgus probabilium Modio deliteſcere ſinantur, ament eum, à quo premuntur, & DEUM laudent, à quo non extolluntur. Pro confirmatione doctrinæ non perinde omnibus ſacris Cœtibus familiaris dubium libet exponere, quod Romani illi Agricolæ propoſuerunt, qui Conſularibus faſcibus ſtivam ſociabant. Diſceptabant iſti, utrùm Salices, an Vites plantare præſtaret? Equidem primam problematis ſpeciem intuentibus riſum quæſtio movet, ac diſputantes ludibrio videtur exponere; qualis enim comparatio vitis racemis cum ſterilibus ramis

mis ſalicis intercedere poteſt ? Quòd ſi tamen utriusque emolumenta trutinentur, ſubducantúrque rationes, irriſi virgulti ſtirps palmitem vincit. Fecundæ ſunt utique nobiléſque vites, at quot impenſis, quantâ diligentiâ ſtant cultoribus ſuis ? Paſtinum per tot menſes nunquam à pedamine removetur. Falcula ſæpe in totum, quo vitis brachia extenduntur, ſpatium vibratur. Ulmus, cui maritatur, vinitoris induſtriam requirit, quam ſuo quoque tempore frondare manus debet. Si lacrymanti viti aſpirant auræ, vel ab Aquilone oppidò frigidæ, vel ab Auſtro nimiùm humidæ, necquicquam ab ea vinum expectes; ſi parcius pluviæ Cœlum fuerit, acini non pingueſcunt; ſi largum, marcent. Ita pariter cùm gemmaſcit, rabidorum animalculorum peſti malleoli ſubjacent, & ſi pruina caliculum uſſerit, de vindemiâ conclamatum eſt. Nihil dico, quàm facilè vinum aceſcat, quàm ægre per æſtatem ſuper humum, hye-

hyeme verò in ſubterraneis cellis conſervetur. Salicem verò depanxiſſe ſat eſt: quam cùm alternis annis ſemel circumfoderis, adeò ramorum ſuorùm prodiga eſt; ut quo plures reciduntur, tantò feliciùs repullulent, uberrimo lucro coloni. Ea propter Hiſtoricus Naturalis ſcribere non dubitavit, multís partibus ab arbore tam vulgari celebratos adeò vinearum palmites ſuperari: *Cædua ſalici fertilitas, denſiórque tonſura; nullius quippe tutior eſt redditus, minorísve impendii,* Lib.16.c.38. To.57.137. AUT TEMPESTATUM SECURIOR. Bacchentur licet Aquilones, grandinis imbres ruant, & facto agmine arborem inundent Erucæ, Bruchi, Vermes, & Locuſtæ, ſalix tamen obnitentibus fruſtra tot hoſtibus, & ringentibus necquicquam Elementórum furiis, ramuſculos ſuos profert, & cultori ſuo vincula miniſtrat, renaſcentium usque viminum copiam rependens putationis injuriæ. *Nulla tempeſtatum ſecurior, nulliúsque den-*

densior tonsura. Atque hoc eſt, quod conabar exponere, cuique cùm verba non invenirem, idipſum quotidie oculis noſtris ſpectandum terra ſubjicit. Paucorum quorundam Religioſorum nobiliſſimæ dotes non ſecùs ac Vites poſt innumeros labores; & maximas expenſas fructum reddunt Societati. Molli manu tractari à Rectoribus ſuis poſtulant, & â Ducibus ſuis ſingularem ſolicitudinem exquirunt, ne unquam ipſis deſint ſplendida munera, theatrum amplum, commodæ domus; perhumaniter haberi, & omnium votorum ſuorum ſine morâ damnari, poſt quemlibet laborem, diuturnam ſibi vacationem indulgeri, & immeritis laudibus vel mediocrem operam ſuam celebrari, & nullo vel humaniſſimo verbulo perſtringi errores ſuos, ſemper vigili curâ præferri omnibus; primos in Cœnis accubitus ſibi ſeponi, primas in Synagogis Cathedras, in Conciliis præcipuas ſedes ſibi ſervari volunt: Et niſi per viam roſis conſtratam

tam passum non promovent, quemadmodum nisi aura popularis aspiret, vocem proferre dedignantur. Sic ego per Metaphorarum umbras dissero, veritus, ne, quem tego, detegam, aut oratione meâ vulnerem, cujus me ratio vivendi cruentat. Constat sanè ab aliquibus, licèt paucissimis, qui mirè sibi placent, nullúmque jactandi se se, suáque ornamenta prædicandi, finem faciunt, Præsidibus facultatem adimi, vel necessitatibus Collegiorum prospiciendi, vel munijs successorem dandi, nisi blandissimis excusationibus, & amplissimis pollicitationibus eos sibi conciliârint, qui infra dignitatem suam sedem omnem arbitrantur, nisi de summo fastigio prudentiæ, aut sapientiæ suæ lucem latè diffundant circumcincti sideribus & Iride coronati. Cùm interim alij humanis quidem dotibus minùs exornati, sed à Pietate ac virtute longè magis instructi, omnem Urbem pro Hierosolymis, quamlibet sedem pro solio, quamvis ædem pro Salomonis

Templo, unumquodque Collegium, ut Cedrinam Davidis Domum æstiment; quodcunque ministerium quantumvis operosum, exiguum, neglectúmque, Aaronis Pontificatu non inferius, & prodigioso Imperio Moysis aperientis maria, & Ægyptum flagellantis sublimius reputent. Vah vites! eradicet vos Deus, à palmitibus Apostolicis tam diversas! Illi enim quolibet in sabulo renascebantur, sub qualibet auræ temperie florebant, & citra cultum ac curam, ultrò fructibus suis mundum ditabant, nec tamen à mundo quidquam repetebant. At contrà rore Cæli ac benigno siderum illapsu salicum humilitatem Christus fecundet, quibus ut germinent, ac fructum ferant, minus nihilo sat est. DENSIORQ; TONSURA, ET TEMPESTATUM SECURIOR.

130. Putari, ac fecundari; tempestatibus obrui, nec commoveri; proprietates sunt ejusmodi, quæ Desertores Crucis à filijs Crucifixi distingvunt.

Quid,

Quid, inquam, non commoveri? Quin imò chalybis aciem, & ſtragem Elementorum Franciſci & Ignatij primi Alumni ſponte ſuâ ſequebantur. Id ab univerſis Collegium præferebatur, in quo annona & ſupellex eſſet anguſtior. Ea officia illi importunis precibus prenſabant, quæ per continuos labores ducerentur, & nullâ operæ gratiâ compenſabantur: neglecti lætabantur; læſi exultabant; à Præpoſitis ſuis depreſſi, & à nefarijs hominibus conculcati triumphabant. Quotquot Baſiliſcos ac Monſtra Petri velum concluſerat, tot generoſæ illæ animæ, nullâ refugientis ſtomachi ne umbrâ quidem, protinus ut invitati erant, intrepidè devorabant, atque in venenis alimentum, & in morte vitam inveniebant; Cervorum inſtar veſcebantur Serpentibus haud ſegniùs, quàm in Coturnices irruant helluones. *Coluber illi non erat noxa, ſed præda.* Et illi quidem cum voluptate viperas ac Dracones glutiebant, & nos ſi fortè in fauces muſca in- S. Ambroſ. l. 6. in Pſal. 118. To. 41, 60.

volârit, aut formica irrepſerit, jugulatos nos vociferamur? Si ab ore Rectorum noſtrorum ſyllaba non mellita eruperit, aut periodus non ad omnem humanitatem velut ad amuſſim exacta prodierit: dolore conficimur ſcilicet, ac ſublato ejulatu confoſſum nobis pectus eſſe proclamamus? Eadem debilitate, ſi vel Athei cujuſdam virtutem ridentis impudentia, vel Hæretici Theologiam exoſi rabies, aut improbi Catholici perfectionem reſpuentis pertinacia, aut competitoris non ferentis ſibi quemquam vel probitatis famâ, vel doctrinæ plauſu præferri, invidia nos in vulgus traducat, accuſet in Judicijs, Fidem noſtram ſcriptis ſuis elevet, in Academijs oppugnet, continuò libros abijcimus, bene cœpta deſerimus, docere, ſcribere detrectamus? Declamamus in ingratum ſeculi genium ſalutis Miniſtros, & Interpretes Evangelij negligentis: oppilandas illi fauces eſſe ſilentio, aperiendóſque oculos luce ſubtractâ, ne, quid ſentire debeant, videant, & errores

res suos agnoscant, dictitamus. Non est hoc profectò serpentibus pasci, & inter nives florescere. *Coluber illi non erat noxa, sed præda.* Minùs, obsecrò, de ingratis injuriosis, & obtrectatoribus queramur, & firmiore memoriâ quid jubeant, suadeántque Constitutiones nostræ retineamus. Nempe ut frontem opprobrijs, pectus gladijs, cor hostib⁹ offeram⁹, ut æquo animo toleremus ingratos, injurias amem⁹, & inimicos amplexemur. Talis in tot adversitatibus, cùm traduci sua itinera, & industrias oppugnari videret, Franciscus fuit; atquę ideò amabilem se Barbaris, ut rerum dominis venerabilem reddidit. Ita pariter, qui hunc imitatus avidè labores arripuit, nec gratam vicem eorum, in quos beneficia contulerat, expectavit, urbes totas duxit, quò volebat, & imperantibus imperavit.

131. Id certè Noëmo tot ferarum, quot Arca concluserat, Domitori S. Augustinus scripsit accidisse. Eas ille omnes & frenavit, & rexit: Hoc illi

præmium meruerat ea tranquillitas animi, quâ ratis caliginem, belluarum consortium, Cœli tonitrua, ventorum impetus, undarum procellas, Carinæ Mephitim, & aquarum Diluvium patienter sustinuit. Tantæ rerum omnium perturbationis, mundi communium Exsequiarum, tam horrendæ stragis, & vastitatis prorsus irreparabilis patientia, quâ Senex sanctissimus per demissum obsequium divinis Edictis assensus, nullo querimoniæ ullius suspirio edito, sed indefessâ Psalmodiâ laudes Dei, excidij, illius Auctoris celebravit, illi parêre Pantheras, & servire Leones coëgit. *Ibi agnoscit ordinem suū feritas, quia se cognovit humanitas*; ET JUBENTI HOMINI OBEDIUNT, QVIA HOMINEM SUPERIORI DOMINO OBEDISSE COGNOSCUNT. Ærumnæ videlicet læto ac lubenti animo toleratæ modestissimum Virum ferocibus Leonibus formidabilem, & vastis Elephantis verendum Rectorem præstiterunt. Sic Patribus nostris E-

Serm. 45. de Temp. To. 41. 152.

que-

Equeſtris ac Senatorius Ordo, Claſſium Præfecti, Principes, Antiſtites, & Clerus ſe ſubmiſerunt, quòd eos viderent æquis animis inopiam ferre, inter labores exultare lætitiâ, nullâ cujuſquam importunitate ſuperari, ſemperque magis ac magis ad inſtruendos, ſublevandóſque populos incendi, quò minùs gratos ſe ſe illis exhibebant improbi, quos correxerant; cœtus quorum mores emendârant; Idololatræ quos ad Deum converterant. Noſtrâ quoque tempeſtate Altaria noſtra, Sacerdotes noſtri, Sacri noſtri ſermones, ingenti glorioſâque Oratoribus noſtris Concione frequentabantur, eò quòd Operariorum noſtrorum virtuti grave non eſſet, noctes inſomnes ad morientium lectulos ducere, diem verò aut ſacro Tribunali confixos, aut per Noſocomia & carceres diſtributos exigere. Quòd ſi jam ad hujus Templi officia minor unda populi conflueret, ſuſpicari forſan liceret, non omnes Sacerdotes, quibus alienæ ſalutis procuratio in-

cumbit, tales esse, quales eorum sunt multi, tantâ in loquendo gravitate, tantâ ad audiendum promptitudine, tantâ in relaxandis peccatis benignitate, tam Apostolicâ tum oratione, tum stylo, dum Sacras paginas interpretantur; quales in veteribus illis Roma suspexit. Utinam quemadmodum tot nostri Sacerdotes, tantâ siti animarum, tantâ cupiditate convertendarum Gentium incensi, tam sui obliti, & ad munia sua intenti sunt, sic essent omnes, quotquot informandis ad Sanctitatem animabus præfecti, in hoc primo Societatis nostræ Templo, aut pro Tribunali sedent, aut è suggestu verba faciunt. Neque verò causetur quispiam, si quando rari pœnitentes se ad pedes nostros abjecerint, aut infrequens concio dicentibus adfuerit, id à loci à Palatijs circumsessi, & populo vacui solitudine provenire. Nam etsi non negem, hoc domicilium à frequentiore S. Urbis populosioréque parte disjunctum esse, nego tamen Auditorum nostrorum infrequentiam, &

exi-

exiguum ſectatorum numerum ejuſmodi ſolitudini adſcribi poſſe. Loci poſitus idem eſt hodiéque, qui S. Patris ætate fuit, cùm arctum populis vetus Templum eſſet, nec Domûs veſtibula multitudinem caperent. Plures per illa tempora S. R. E. Cardinales, pluréſque Principes accurrebant ad Exegeſes ſacras, cùm novæ veteríſque Legis dubia exponeremus, excipiendas; audiendóſque, qui diebus Dominicis per annum dicebant, quàm modò vel in ſolemnibus diebus, vel ſacris per quadrageſimam ferijs conveniant. Non eſt profectò, non eſt mutatus locus: quare, ſi quæ diverſitas accidit, extra dubium eſt, id non ab ædificij poſitu, ſed ab Operariorum tepore proficiſci. Si Apoſtolici fuerint Oratores noſtri, ſi ſtudio animarum Confeſſarij noſtri flagraverint; ſi graves maturǽque fuerint ſententiæ noſtræ, ab omni urbis Regione advolabunt, qui dubia ſua proponant, qui de peccatis ſe accuſent, qui cupiant emendari. Numquid non vicinum

est nobis nec minùs, ac nos, à populi frequentiâ remotum Collegium Romanum? Et tamen ob ingentem existimationem, quam de sanitate doctrinæ, de singulari peritiâ Magistrorum tam celebris Academiæ scholas regentium, omnes habent, pro se quisque filios illuc suos dimittit, tametsi trans Tyberim, & ultra Pontem Ælium colant, atque illuc summo suo incommodo per hyemis frigora, & ardores Caniculæ se conferunt, ut bene scribendi artem, & rectè sentiendi Disciplinam addiscant? Tantum valet Magistrorum optimorum existimatio, ut ab omni parte Urbis, quamvis remotâ, ad excipiendas, quas tradimus bonas artes, tenera juventus attrahatur. Idem continget quoque, si, ùt olim, & nunc etiam magnâ ex parte accidit, Templi nostri Mystas, & porticus nostræ Consiliarios antiquum illum ardorem magìs etiam quàm unquam aliàs spirare sibi persuaserint, à quibus videlicet nemo non speret se virtutis egregiæ documenta, & facilem no-

noxarum ſuarum veniam conſecuturum. Patres mei! non multi, ſed omnes ſimus, quales veterum Patrũ noſtrorum ſinguli fuerunt: cupiamus nimirum non minùs, quàm illi ardenter ad pietatem permovere, atque adjuvare omnes, qui vel in ſuprema cum morte lucta, vel inter vitæ animæque diſcrimina conſtituti opem noſtram implorant: & deprehendetis ſubinde verè editum, inſtauratúmque in nobis Iſaiæ Oraculum fuiſſe, inundationes populorum & incredibilem infimorum juxta & ſummorum undique accurrentium frequentiam promittentis.

123. Et profectò tam ſanctâ hominum miſerorum, ſuáque commiſſa plangentium inundatione nos videbimus obrui, ſi non modò Auſteritatis & Virtutis amorem dignum eo, cui vel Franciſci vel Ignatij licuit eſſe Diſcipulo, verùm etiam ſitim illam laborum atque ærumnarum, illam commodorum patientiam, & beatum illud faſtidium honorum ac commodorum

revocaverimus , instauraverimúsque, cui sub prima Religiosæ vitæ, tempora insvevimus. Nos quoque cùm abjectis Ægypti bullis ac phaleris Jesu Christi sanguine purpurata insignia induimus, in primis probationis nostræ experimentis admirabili luce refulsimus, quam nobis non patiendi solùm, sed exquisitos etiam cruciatus perferendi, non pietatis tantùm sensum, sed ipsam Sanctitatem in proximos transfundendi, ardentia desideria circumdederunt. Recurrant nobis in memoriam itinera pedibus confecta, somni super stramenta capti, duri atríque panis alimonia, Catechismorum simplicitas, divexati corporis sævities, inopia rerum necessariarum, ad sacra loca pro more peregrinantibus tolerata : omnia denique rudimenta illa Sanctitatis cum posteriorum annorum processu comparemus. Et quemadmodum in multis unà cum ætate austeritatis, & animarum ardor crevit, ita fieri potest, ut in aliquo mihi non absimili, non dicam in ferendâ, sed

ſed amandâ Cruce priſtinum illud robur nonnihil elanguerit. Nollem equidem, ut, qui ſe ejuſmodi Inſtituti ac Vexilli ſocium,& Commilitonem eſſe ferventiſſimi Apoſtoli gloriatur, Palmæ ſimilis eſſet. Hæc, uti S. Gregorius decimo nono Moralium acutè notavit, è ſtipite ſurgit eâ aſperitate, exilitate, ac frondium inopiâ, ut deſertiſſimæ ſolitudinis humile virgultum videri poſſit; ſubinde quantò altiùs ſe attollit, tantò apparet minùs ſcabra, ſuóſque ramos in tantum ſpatium amplitudinémque porrigit, ut de illâ dictum videatur, quod Jacobo Patriarchæ promiſſum fuerat. *Dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem.* *Palma* QVÆ TENUIS, *ab imo proficit*, VASTIOR AD SUMMA *ſuccreſcit.* Qui antehac nunquam ad natales ſuos animum reflexerat; qui ſemper dotes ſuas ſtudiosè occultârat; qui quolibet Dei Domûs angulo indignum ſe reputaverat; qui horis omnibus abiici ac contemni, corpúſque ſuum atteri, deſide-

Geneſ.28. 14.
Moral. 19.

sideria sua opprimi expetierat, adjungebátque ultrò Ciliciorum cruciatus, flagellorũ tormenta, usu; sui ipsius victoriam, precum prolixitatem, indefessi laboris jugum, nunc cunas retegit illustres, aut velat obscuras: depressionem vitat, & ad honores enititur: manna suspirat, & fastidit legumina, cùm laudatur, exultat: cùm corrigitur, queritur: rigorem temperat, & ad labores à quiete segniùs redit. *Quæ tenuis ab imis proficit* VASTIOR *ad summa succrescit.* Cui quondam sartum tectum conclave, cibus conditus, quies moderata, vestis honesta, ministerium non laboriosum, instar damnati luxûs, & tanquam deliciæ detestabiles videbantur, nunc forsan æqualem se Martyribus putat, si cubiculum, quod incolit, per hyemem meridiano Soli non obvertatur; si togæ limbus resarcinetur; si cibis desint aromata; nisi laboribus suis theatrum pandatur ejusmodi, à quo immortalitati suum nomen consecretur, dicatúrque omnes, quot quot ante illum diem eum

præ-

præcesserunt universos suâ unius luce inobscurâsse. Jam verò si monstrum tam informe, quod nos in alios ab iis, qui fuim⁹, commutâsset, IN ALIQUO NOSTRUM cũ aliquâ specie veri argui unquam posset, continuò infrequentis illius ad exercitationes nostras concursûs, & venerationis nomini nostro detractæ, manifestè reus ageretur. Avertat Bonum Numen, ut Palmæ simus, & Cupressi esse desinamus. Quapropter quantò nos altiùs antiquitas ac celsitudo Gradûs, munerum celebritas, populorum acclamatio, meritorum fama provexerit, tantò nos tenuiores, minorésque in privata existimatione nostri, & in externarum functionum specie reddamus. Sudare magìs, quàm refulgere cupiamus. Ea sanè Cupressi natura est, ut ejus altitudo cum tenuitate pari incremento crescat, quantò sublimioris, tantò gracilioris. Novimus, citra laborum pondera, & perturbationum nostrarum victoriam innocentiæ quoque coronam negari, nec ipsi quidem

dem Apoſtolatui bravium concedi, aut diadema elaborari nisì poſt certamen. *Parum laudis habet corona Virtutum* (utì
Hom. 4. To. 11. 166. apud Valerianum legimus) QVÆ EX LABORE NON DESCENDIT.

133. Prohibeat Deus, ne Auguſtini ſeculo ſeculum noſtrum reſpondeat. Is certè in Tractatu de Opere Monachorum haud paucos Monaſterii ſui Alumnos tã otioſos, & ab omni ſubeũdâ moleſtia tã alienos fuiſſe queritur, ut in Religionis Golgotham virorem Libani, & Carmeli fertilitatem transferrent, atque adeò loco pœnarum, quas exemplo Chriſti ſuper infamem ſcopulum inter duos Latrones confixi ambire debuerant, haud aliter, quàm ſi pro Calvario Thaboræum montem incolerent, & luce irradiati refulgere, & albeſcere nivibus inter Eliæ Vatis, & Moyſis Legislatoris obſequia cuperent. *Vitam inopem*
De opere Monach. Tom. 19. 74 *& laborioſam fugientes, vacui, paſci, ac veſtiri voluerũt: Et* INSUPER HONORARI AB EIS, *à quibus contemni contemerique conſueverunt.* Atque utinam iſti,

ùt

ùt sunt à Cruce refixi, & à clavis alieni, quemadmodum otiosas manus, ita pariter quietam linguam haberent! verùm enim verò quàm segnes ad laborem manus afferunt, tam in aliorum exitium prõptam linguam habent, quâ teporem ardentibus afflant, & strenuè laborantium industrias injectis vinculis cohibent. Ajunt, unum munus sufficere, ut de Ordine tuo bene merearis. Suadent, ut Camelorum instar onus excutias, si solito majus imponitur. Audacter quiritari & reluctari contumaciter hortantur, quibus vel ob paucitatem Operarum vel Collegiorum necessitates novum aliquod præter usitatum munus adiicitur. Addunt animos illis, qui ad ollas Ægyptias respectant, palearum juxta & fornacum obliti. Ideò exclamat Augustinus. *Utinam isti, qui vacare volunt manibus, omnino* VACARENT ET LINGVIS; *neque enim tam multos ad imitationem provocarent*, SI EIS NON TANTUM EXEMPLA PIGRA, SED ETIAM MUTA PROPONERENT.

134. Antequam verò tam improbos Declamatores, támque miserè deceptos Auditores, qui serpentium falsâ Charitatis specie in modestorum præjudicium vigilantis exitiabilissima sibila pronis auribus hauriunt, Francisci Brachio & cœlestibus telis fulminem, precum mearum priùs infelicitas mihi deploranda est. Audîstis hactenus quantis rationum momentis, & sacrorum testimoniorum auctoritate ignavam mollitiem reprehenderim, quantáque contentione amorem incommodorum, & constantiam in tormentis nostris hominibus persuaserim. Haud equidem muto sententiam, imò desertorem, nec Ignatiani agminis & Xaveriani signi militem eum esse dico, quisquis simili cum illis ad ærumnas affectu non exclamat. *Mihi autem absit gloriari* NISI IN CRUCE. Hanc utì recipi in amplexum cupio, cùm eam nobis vel pauperitatis angustiæ, vel ardoris nostri exserendi opportunitas obtulerit: Ita nolim eam per eorum, qui præsunt, incu-

curiam illis iniici, qui Societatis curam matrum suarum providentiæ uberibúsque prætulerunt. Equidem toties privatim ac publicè Præsides, ut ad sublevandas necessitates subditorum promptè studioséque se demitterent, sum obtestatus, ut sæpius mihi faciendum fuisse meritò queri possim. Sicut enim vos à subditis postulatis, utì horam manè contemplationi de genibus impendant, ut per tot alias horas severè silentium custodiant, ut tanto tempore, vel in excipiendis confessionibus, vel in tradendis litteris desudent, ut perfectionem tot Regularum consectentur, ut à necessariis suis, & à paternis ædibus tam procul degant, à dignitatibus tam sint alieni, nihil à consanguineis conquirant, omníque adeò privatâ sui curâ exsoluti vitam exigant. Sic ad vos spectat, de necessario victu, honesto vestitu, & quibuscumque opportunis refocillationibus curiosissimè illis prospicere, quas scilicet Instituti nostri rationes iis indulgent, qui se vobis crediderunt. Igi-

túrne tam æquis postulatis frustrato, & tam iniquæ negligentiæ dolore contabescenti emoriendum mihi erit? Pudet forsan ad recognoscendas officinas & necessitates inspiciendas descendere? En vobis Regem Gothum, qui hâc ipsâ in Urbe, in qua degimus, è Capitolio se demittens, positis regiis vestibus, furnos lustrat, & panis pisturam, candorem, ac pondus inspicit; haud indignâ majestate regiâ solicitudinem ratus, inspectorem agere ministrorum, & manuariarum operarum, quò subditis suis ritè annona præbeatur. PER OFFICINAS PISTORUM DISCURRIS, *pensum & munditiem panis exigis, nec vile judicas esse, unde te possit Roma laudare.* Quòd si eò usque potentissimorum Regnorum Dominus, licèt Hæresi contactus se demisit, ut nutrirentur qui mandatis suis parebant, & ut Fides constaret Mercimoniis eorum, qui eum ad expeditiones suas, quas illi vel furor, vel fastus suggerebat, secuturi erant: quantò potiore jure Præsidem Religiosum uti-

Cassiod. l. 4. Var. form. 29. Tom. 20. 51.

utilitati eorum animorum, qui propagationi Evangelii conſecrati, & familiariſſimis Reparatoris noſtri Diſcipulis ſunt accenſi, allaborare par erit? Quid eſt cauſæ, quòd ego in ſubditis tolerantiam Timothei, & in Superioribus Pauli Charitatem non videam? Ille cùm, moleſtis ac continuis exhauſti ventriculi reſolutionibus laboraret, aquam nihilominus bibere perſeverabat. Hic ſuſtinebat humeris ſuis immenſam molem Chriſtianæ Reip. univerſæ. *Solicitudinem omnium Eccleſiarum.* Et tamen pelago quodam merſus anxietatum, quas illi cura Chriſtianæ fidei in animis Fidelium in perturbatiſſimo rerum ſtatu, & inter immaniſſimas carnificinas, quibus illorum corpora diſtrahebantur, conſervandæ longè graviſſimas pariebat, tam attentè animum ad cujuſdam ſui Diſcipuli neceſſitates advertit, ut illi quid quantúmque biberet, præſcripſerit. MODICO VINO UTERE *propter ſtomachum.* Felices nos! ſi Rectorum humanitas tam perſpicaci ocu-

2. Cor. 11. 28.

1. Tim. 5. 23.

lo necessitates inspiceret subjectorum, & si tanta in subditis esset ad molestias austeritatémque propensio, ut vel ægri vulgaria fomenta recusarent, & laboribus suis Gigantum robur æquarent. In contemplatione tam sanctæ contentionis inter Discipulum egentem, & abstinentem; & Magistrum simul gravissimis curis oppressum, simul languenti stomacho consulentem, velut extra se positus S. Joannes Chrysostomus exclamavit. *Concedatis aliquid de Timothei virtute, & Pauli curâ dicere.*

Hom. 2. Pop. Ant. de ebriet. Tom. 20. 90.

135. Quòd si autem hoc Providentia Divina siverit, ut inter nos desiderentur, qui Pauli vestigia prementes, quid subditis conveniat, provideant: Timotheos saltèm quàm plurimos tribuat, qui quod naturæ defuerit, Gratiæ viribus suppleant. Nemo verò queratur se inopem vitam agitare, aut grave Votorum jugum ferre non posse; nam qui de iis quereretur, is Dei Filium mendacii argueret, leve id pondus esse ac suave affirmantem, ac proinde gregalibus Sa-

tha-

thanæ mendaciorum omnium Patris accensus inter primogenitos Dei Filios reprobationis stigma circumferret.

Contra istorum iniquissimas querimonias S. Valerianus tonat, eósque damnato gregi Hœdorum annumerat, & ab Agnorum æternæ gloriæ destinatorum consortio sejungit. *Humilitati Pietatiq; servire leve onus, & jugum Domini est, quod non gravat nisi* AUT PERDITOS, AUT PERITUROS. Hom. 2. Tom. 11 166 At vos linguæ vipereæ (si quidem in hoc S. Xaverii mystico Paradiso vel unus serpens repit, qui præceptorum reverentiam dissuadet, & ad laxanda licentiæ frena sodales hortatur) etiam atque etiam considerate, quantò acerbiùs Petrum castigaverit Christus, cùm se à Cruce dimovere conaretur, quàm cùm ipsum ejuraret in Palatio. Imprudentis cujusdam miserationis impetu actus Simon Divino Magistro famæ, vitæque jacturam in atroci Crucis supplicio faciendam Discipulis suis prænuntianti, ausus est suadere, ut à se calamitatem illam averteret: *Absit à te Domine.* Vix im-

Matth. 16. 23. peritus amator preces ſuas abſolverat, cùm vehementer commotus Chriſtus, eum à ſe rejecit, & triumphorum ſuorum Remoram, ac Luciferi Oratorem appellavit. *Vade poſt me Sathana: ſcandalum es mihi.* Sed qui Leonis inſtar rugiit, cùm pravo conſilio moneretur tormenta vitare, cùm ſubinde Petrus, à ſe illum cognoſci per ſummum ſcelus negâſſet, & negationi perjuria junxiſſet; eum ad lacrymas amabili aſpectu invitavit, & vix primas ſtillas ex oculis profundenti horribilem linguæ perfidiam condonavit. Adeò, quod unumquemque noſtrûm maximis terroribus debet concutere, magìs commotus eſt Servator, cùm ſe à curſu, quem ad Concilii Aulam, ad Columnæ flagra, ad Prætorii ſpinas, ad Montem ſupplicii cœperat, audiret revocari; quàm cùm tot beneficiis ornatus Pōtifex probro ſibi duxit, familiarem ſe ipſius, & amicum profiteri. Igitur hac diverſitate pœnæ non internæ quidem, ſed apparentis, quâ mulctatus Petrus eſt, majoris videlicet cùm à Chriſto ignominias & vulne-

nera removeret, minoris autem, cùm ab eodem perfidus transfuga desciviſſet, attonitus prorſus, & præ ſtupore vix mihi præſens repeto. *Utinam qui vacare volunt manibus, vacarent omnino & linguis.* Si quis itaque in Dei ſervitio marcet, ſedeat ſanè, ſi ſic lubet; ſed obmuteſcat, ùt piſcis: vapulabit is quidem ob otii ſocordiam, ſi jaceat, ſed non velut Corruptor caſtigabitur, ſi taceat. Væ tepidis, niſì linguam amittant, ac vocem: væ ſi de propriis vitiis parum ſoliciti, teporis ſui ſocios conſcribant alienæ virtutis objurgatores & ignaviæ patroni! *Neque enim tam multos ad imitationem invitarent, ſi eis non tantùm exempla pigra,* SED ETIAM MUTA *proponerent.* Spero equidem nullum fore, quem inter Sanctos ardores Franciſci lethale hoc frigus adſtringat, multóque mihi amplius promitto futurum, ut ſi quis in tanto ferventium exemplorum, & Apoſtolicarum cogitationum incendio non nihil aliquando refrixiſſet, aſſeclas tamen repudiaret teporis ſui, & privatim incurius, ſine-

ret, ut omnes alii ceu germana Societatis ſoboles, Divi noſtri adorantes veſtigia, magnis animis tormenta provocarent, & generoſo contemptu procul à ſe delicias omnes amoliti, ex animi ſui ſententia exclamarent. *Mihi autem abſit gloriari nisi in Cruce Domini.* Quod ut in ore omnium eſt, ita nunquam non futurum exiſtimo.



EX-

EXHORTATIO XII.

Ad PP. Procuratores Provinciarum dicta in Conclavi Congregationis eorum generalis.

Cúmque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. *Exod.34.*

EQuidem de Societate quilibet Sacerdos Legum tenax & exemplis vitæ illustris esse debet. Id autem præstare longè magìs par est eos, qui gradu, & ætate sunt magìs conspicui. Quod tamen consequetur nemo, nisì meditationis studium in rebus, quas gerit, omnibus adhibuerit, nec in adversâ quoque valetudi-

ne omiserit. Subinde Religiosi Veterani Virtutis propriæ studio perfectionis alienæ singularem curã adjungant, nec ullâ ratione dissimulent, si quid fortè peccatum sit.

136. QUisquis inter nos post confectos studiorum labores Societatis Sacerdotibus accensetur, nisi penitùs se in novum aliquem Instituti nostri Moysen transmutârit, non est is aut verus illius Operarius, aut dignus S. Parente Filius. Quam vitæ perfectionem si ab illo quoque requiro, qui etiamnum, ut sic loquar, in Apostolatûs cunis vagit, recentique chrismate delibutas manus nuper consecratus Sacerdos habet: Vos, qui Domûs Dei Columnæ quædam, ac Arbitri estis tam gravis negotii, quale scilicet est, an Generalem Congregationam cogi nécne oporteat, decernere; seriò cum animis vestris expendite, quantò major vobis necessitas incumbat

bat, ut Societati universæ vos exhibeatis, non minùs singulari virtutum splendore exactâque observantiæ curâ conspicuos, quàm veteris Legis Conditorem Abrahami Nepotes suspexerint. Visus est Israëlitarum castris Divinus ille Vir, tam coruscus facie, tam tenax præceptorum, ut, cùm Virtutis illius splendorẽ Electi populi turmæ ferre non possent, in venerationis, quâ eum reverebantur, indicium deiicerent oculos, curvarent corpora, & illius dictis audientes se præberent. *Ut non possent intendere Filii Israël in faciem Moysi propter gloriam vultûs ejus.* 2.Cor. 3. 7. Tantumdem unusquisque Vestrûm à Filiis meis per Provincias sparsis consequetur, si tum vos ipsi, tum omnes earum antiquiores Patres Constitutionum Tabulas manibus, hoc est operibus, & vultu Angelicæ modestiæ, atque Apostolicæ Sanctitatis lumen præferre junioribus videamini. Atque hæ geminæ partes erunt orationis meæ, quibus tertiam pro coronide adjungam, quam nobis recitata modò

ver-

verba ſuggeſſerunt: dum demonſtrant Legiferi marmoris ſoliditatem, quod Moyſes manu ſuſtinebat,& diffuſſorum radiorum claritatem, quâ ejus vultus coruſcabat à diuturnâ intimáque cum Deo familiaritate ac conjunctione dimanâſſe: *Ex conſortio ſermonis Domini.*

137. Atque ut à primo exordiamur, quiſquis Profeſſorum Societatis à Virtute in vitium deflecteret, is extemplò in abominabilē illum Cœli Draconem deformaretur, qui lapſu ſuo tertiam partem ſtellarum ſecum in ruinam traxit: quandoquidem ij, qui Ordini noſtro ſeriùs adjuncti fuère, graviores Sacerdotes tanquam Ideas vitæ noſtræ,& rectè vivendi formas ſibi præſtituunt. Quam ob rem, qui proceſſiſſe aliquantùm ætate ſe novit, accurato ſtudio ſēſus ſuos omnes cuſtodiat, ne præfixas à Legibus metas tranſgreſſus, bene currentibus offendiculum obiiciat, aut vaſtos hiatus aperiat. Et hæc illa cura fuit, quæ Sacerdotem Eleazarum à cibis, ut videbatur, minimè vetitis abſtinuit,

ve-

veritum ſcilicet, ne, ſi juventus ipſum à patriâ Majorum diſciplinâ deſciviſſe crediddiſſet, Idolatris ſe aggregaret, & ipſas cum immundis epulis menſas helluaretur. Exclamabat proindè fervidus Senex: antè quid quid eſt animæ ac corporis mei ad Inferos, quàm carnis, quæ vetita creditur, vel unus bolus in meas fauces deſcendat. Cùm pueri, cùm Levitæ me Impiarum Gentium ſuperſtitionibus aſſenſiſſe crediderint, calcabunt Leges, & Baccho vinum libabunt. *Reſpondit citò dicens*: PRÆMITTI *ſe velle in Infernum. Non enim ætati noſtræ dignum eſt fingere,* UT MULTI ADOLESCENTIUM ARBITRANTES *Eleazarum nonaginta annorum transîſſe ad vitam alienigenarum, & ipſi propter meam ſimulationem* DECIPIANTUR. Quòd ſi ſeniorum quiſpiam prævaricatus fuerit, non unus juvenis duntaxat prævaricabitur, ſed ingens juvenum agmen Senis exemplo perverſum mores ſolvet, egregio animi ardore in licentiæ glaciem mutato. UT MUL-

2. Machab. 6. 23.

MULTI *adolescentium.* Unus ero, inquiebat invictus Eleazarus, in carnis, quam mihi offertis, esu; at erunt innumerabiles debilitatis meæ sectatores, qui continuò inauditorum Sacrilegiorum Magistri effecti omnem deinceps posteritatem corrumpent.

138. Exponat, si quis potest, quantam vastitatem degeneris viri unius canities, proximis quibusque ipsam intuentibus inferat. Si quando de juvenum grege aliquis exorbitat, movetur nemo, & pro se quisque proclamat, aridum ramum ab arbore rescindendum. Contrà verò, qui dimidium ferè seculum intra sacra septa transegit, si mores laxârit, & Legum severitatem fastidierit; continuò ludum pandit, ad quem minor ætas cursu solicito properat, ut libertaté addiscat, & Religiosam disciplinam modestiámque dedoceatur. Eam ob rem Christus acerbiori supplicio eos adjudicavit, qui pusillis offendiculum præbuissent, quàm qui Prophetas lapidâssent. *Qui scandalizaverit*

rit UNUM DE PUSILLIS *istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis!* Et quis est, quem tam formidabiles minæ non terreant? Haud equidem Servator dixit, qui Cœnobia Servis meis referta pravo suo exemplo offenderit, is lanceâ confossus occumbat: Verùm si vel puerorum uni vitio hominis auctoritate aliquâ pollentis objectum offendiculum fuerit, ejus viri non manui, sed jugulo, non quemcumque lapidem, sed molam gravissimam, quâ in altissimos Pelagi hiatus mergatur atque sepeliatur, illigari jussit. *Qui scandalizaverit* UNUM, *suspendatur molæ in collo ejus, &* DEMERGATUR *in profundum maris.* Ad hujus fulminis tonitrua obrigescat, qui non ardet; contremiscat, qui non volat. *Væ mundo à scandalis.* Matth. 18. 9.

139. Is verò tantæ stragi se subducet, qui cum Moyse in ædibus Dei Legis Tabulas, non tam mente, quàm ma-

nu exhibebit. TENEBAT *duas Tabulas testimonii.* At verò Moyſes divinis mandatis inſcripta marmora non humeris ferebat curvus ſub pondere, ac ſpiritum ex alto citans; ſed utrâque manu ceu levem plumam attollebat ad oculos uſque omnium: fuítque lapidibus illis longè glorioſior, quàm ſi Deus ejus digitis maximas ex Oriente gemmas induiſſet. TENEBAT *duas Tabulas Teſtimonii.* Certus vitam priùs, quàm illas amittere. Moyſi Judæo ſimillimus fuit Abrahamus Anachoreta. De hoc S. Ephrem id ipſum teſtatur, quod nos in illo alio commendamus. Erat Beatus Aſcetes tum animo, tum corpore afflictiſſimus, tum propter vitæ, quam elegerat, aſperitatem, tum ob Neptis errantis fugam. Nihilominus, & cùm iter faceret, peſſimo dolo circumventam puellam ad pœnitentiam reducturus (quæ ſubinde aſperrimam vitam ſanctâ morte abſolvit) & cùm in ſolitudine ſuâ verſaretur, vitámque aſperrimam viveret, adeò ſemper Inſtituti ſui amans ac te-

nax

nax fuit, ùt inedia in cupedias, cilicium immigrâsse in Purpuram, spelunca in Regiam, silentium ac solitudo in Amphitheatra ipsi & amœnissimas scenas se laxâsse viderentur. *In tantis tribulationibus atque angustiis* NUNQVAM *Religiosæ vitæ suæ Regulam* INFREGIT, *nunquam remissior factus, neque segnitie vel tædio aliquo fatigatus, sed veluti esuriens aut sitiens, sic mens ejus* NUNQVAM SUI INSTITUTI DULCEDINE POTERAT SATIARI. Quis mihi dabit, ut in quolibet Societatis nostræ Sacerdote, quem ætas venerabilem fecerit, solitarii Abrahami veram effigiem recognoscam? Ah! arctiùs iste pectori vivendi Regulam, quàm vitam appresserat: cùm magìs suorum observatione rituū, quàm herbarum suarum alimento viveret, nunquam satur exequi ea, quæ vitæ genus, in quod se contulerat, præscribebat. *Mens ejus nunquam sui Instituti dulcedine poterat satiari.* Equidem videre mihi videor omnes propè Filios Ignatii observantissimos omnium ejus mo-

In Vita B. Abr. To. 30. 11

nitorum. Id tamen mihi non sufficit: videre illos cuperem, non tenaces duntaxat, sed amantes etiam Regularum. *Nunquam sui instituti dulcedine poterat satiari.* Et qualis demum hæc erat Instituti dulcedo, quod Abrahamus sequebatur? silex pro pulvillo, storea pro stragulâ veste, saxum pro domo, fons in potum, pratum pro mensa, pro ditione vastum nemus, productæ vigiliæ pro quiete, perpetua psalmodia pro relaxatione animi, oculi lacrymis infusi, membra vepribus lacerata, pedes, quibus gelu pellem detraxerat; manus, quas in callum labor duraverat; viscera fame discruciata, fauces siti tabescentes, anima per contemplationem in Abyssi flammas immersa, memoria ab omni eo, quo recreari poterat, avocata; tota denique vita per atrox tum animi, tum corporis ducta Martyrium Jam verò tam asperæ vitæ duritiem ille ceu dulcissimum, mellitissimúmque favum, & velut delapsum Cœlo Manna reputabat. *Mens ejus nunquam sui Instituti* DULCEDINE

NE *poterat satiari.* De hoc nimirum, dici poterat: *Tenebat Tabulas Testimonii;* quod de Moyse proditum litteris fuit.

140. Idem prorsus, ità sperare Christus me jubet, dicendum esse de unoquoque vestrûm confido: Fore vos nimirum cujuscumque apicis Instituti nostri, quod in pretiosum summariũ compendio redactum, singulis mensibus legitur, & horis omnibus observatur, strenuos Conservatores. Ac prorsus uti Decalogus suavitatem deliciarum, rerum, alienarum rapinas, iræ furias, linguæ licentiam, cupiditatum procacitatem, sectarum studium, Hebræis interdicebat, & veluti cœlestis quidam agger omnes propensiones naturæ per Adami gulam corruptæ compescebat: sic à Legibus nostris, quidquid à primis Parentibus vitii contraximus, impugnatur: vetus homo Christi Cruci configitur ut in eum qui secundùm Deum creatus est, innovetur, & generale proponitur edictum perpetuæ atque indefessæ impugnationis omnium cupiditatum: præscripto unicui-

que, qui agminis hujus se militem profitetur, perpetuo & inexplebili odio rerum omniũ, quas Natura offert, & Gratia repellit. Quare, si quis prorsus oderit, quæ placent, & ardenter consectabitur, quod aversatur, poterit is se populis, quos instituit, & Juvenibus nostris in ipsum intentis redivivum quendam Moysen insculpta lapidi mandata præferentem repræsentare. Hujus certaminis in quo nobiscum cõgredimur, quodvis Cœnobium cruentam esse Palæstram Petrus Damianus existimavit. Nil enim aliud vir Religiosus exercet, quàm perpetuam perturbationum & cupiditatum suarum carnificinam, eâ in voluptates omnes lanienâ sæviens, quâ Samuel adipatum Agagum concîdit. Hîc enim sobrietas gulam suffocat; hîc sui demissio superbiam prosternit; hîc Obedientia voluptatem in compedes mittit; hîc carnem Temperantia crucifigit; hîc Modestia in carcerem oculos compingit; hîc Paupertas in mundo nos à mundo excludit; Breviter, omnis

vita

vita noſtra, ceu aurea maſſa in horas ſingulas graviſſimis malleis Diſciplinæ Apoſtolicæ ſuper Evãgelicorum Dogmatum incudem tunditur, ut in hoc corporis luto nobilitatem Angelorum; in ſenſuum fragilitate, Beatorum conſtantiam; in tentationum procellis, cum Deo triumphantium Cœlitum referat Apathiam. Audiamus ſcriptorem purpuratum mirabili eloquentiâ exponentem, quæ à me ſunt aliquantò rudiùs declarata. *Illic Agag pinguiſſimus per manum ſobrietatis in fruſta conciditur, illic in Golia ſuperbiæ caput abſcinditur, in Saül inobedientia reprobatur. Illa eſt officina in qua mulieris Evãgelicæ* DRACHMA *quotidie malleis diſciplinæ regularis extunditur*, ET SIC AD SUI CONDITORIS IMAGINEM REFORMATUR. *Lib. 7. Ep. 56. Duciſſ. Sabaud. To. 14. 98.*

141. In ea, quam diximus, Academiâ primam Exedram Jobo univerſorum, qui ſe unquam voluntariis pœnis attriverunt, facilè principi, & ad magiſterium duriſſimo examine prætentato

concedendam esse arbitror. Post armentorum, Filiorum, atque ædium jacturam toto corpore saucius vir sanctus, acerbissimisque vulneribus confectus, quæcunque Luciferi crudele ingenium poterat excogitare, non modò de doloribus suis questus non est, sed novo victoriæ genere adversarium profligavit. Ipsæ te, ô tenebrarum Princeps, artes tuæ atque arma, quibus vincere me sperâsti, vicerunt! Credideras me opprimendum acerbitate vulnerum, & opum rapinâ: at ego nequitiam tuam meâ patientiâ superabo, adjungam vulneribus vulnera, dolores doloribus, & inopiæ nuditatem Me de throno dejicere contendebas, & ego in fimo me voluto. Tu carnem meam lacerâsti, sed ego asperitate testæ, si qua etiamnum pars sana superest, vastabo. *Percussit Job ulcere pessimo, à planta pedis usque ad verticem ejus, qui* TESTA *saniem radebat sedens in* STERQVILINIO. Ad tantæ tótque incrementis exaggeratæ patientiæ spectaculum omnes ejus inimicos invito.

Iob 2. 18.

Cedò

Cedò enim quot in claustris quoque à Religiosis cæterà non tepidis balsama conquiruntur, si quando extima cutis leviter perstricta est? En Jobum, qui horrendis ulceribus, quibus totum ejus corpus fædè crudeliterque deformatum erat, nequaquam contentus, pœnas sibi congeminat, & fomenta repudiat. Poterat ille dubio procul à tot amicis, qui concurrerant, vel antidota postulare, vel lectum impetrare ac lintea; nihil ille tamen rerum earum petiit, quibus mitigari ærumnæ suæ possent. Plura se adversa, quàm optaverit Lucifer, dictitans concupiscere. TESTA *saniem radebat, sedens in sterquilinio.* Hinc colligi licet, exclamat Gregorius, quibus modis sua membra, cùm vigerent, acceperit patientissimus Princeps, dum infirma languentiáque tam inhumaniter laniat, QVAM ILLE MOLLITIEM SANÆ SUÆ CARNI *concessit, qui non vestem, sed testam etiam vulneribus admovit?* *Lib. 3. Moral. cap. 4. Tom. 3 § 41.*

142. Et est tamen, qui patientiæ palmam auferat etiam Jobo: Basilium

video tam avidum dolorum, ut cùm austerissimi cruciatus, quos sibi ultrò ingerebat, nihil præter pellem, & ossa, & vivi cadaveris speciem reliquissent, doleret tamen, quòd non cruciaretur; & moribundo quàm viventi propior, ad inusitata genera pœnarum aspiraret. Illud deinde omnem admirationem superat, videre tantum virum, cui neque Nerones, neque Decii, neque Maxentii fecerant satis, contemnere Leonum rictus, flammarum ardores, totius corporis membratim concisi lanienam, eò quòd omnis hic dolor intra paucas horas finem acciperet. Accusabat mortem Religiosissimus Archimandrita, non quòd à Deo viventibus omnibus esset præstituta, & à Tyrannis per atroces cruciatus inferretur Martyribus; sed quòd semel se tantùm, neque sæpiùs mortalibus indulgeret. *Statutum est omnibus hominibus semel mori.* Non me terret, inquiebat, denunciatio supplicii; id enim verò me exanimat, quòd illud repetere sæpiùs non licet. Non eò me feralis sententia terret,

Hebr. 9. 22.

terret, quòd MORI necesse sit, sed quòd semel. Quid enim est, quod me vetat centies tormentis oppressum, centies per annum mori? SEMEL MORI? Equidem vobis non invideo Laurenti ac Vincenti, quibus tamen diù mori contigit, lento igne super ferreas crates excoctis. Inviderem potiùs damnatis Tartari Civibus, qui semper vivunt, & semper moriuntur, si modò ii perfidiæ pœnam in pœnitentiæ Holocaustum converterent. Dolebo itaque, quia non doleo, quantùm vellem; & moriar, quia vivo sinè spe plus quàm semel moriendi. Horum desideriorum Interpretem exhibeo vobis Gregorium Nyssenum, qui ab amplificatione verborum meorum omnem Auxeseos suspicionem removet. CUI CLADES ERAT, *quòd non SÆPE posset Martyrum certamina imitari: cùm* UNI MORTI *natura obnoxia sit.* Ex illo pariter Gregorius Nazianzenus tam sublimes Ideas patientiæ descripsit, ut procedere longiùs haud possit, aut scribentium stylus, aut asperrima

Orat. in laud. Basil. To. 1 3. 3 1.

quæ-

quæque amantium vota. *Divitiæ illi erant* NIHIL HABERE, ET CRUX, *quam solam totâ vitâ familiarem habebat.* Et hæc prototypa nobis ante oculos versentur oportet, ut domi foríſque tum Juvenibus noſtris, tum civibus lucem præferamus, utroſque videlicet auſteræ vitæ radiis veluti totidem facibus ad fugiendas delicias, & abominandas voluptates inflammaturi. Hi theſauri, hæ opes Baſilii erant nuditas, & Crux; quarum altera omni eum ſolatio privaret, altera tormentis omnibus exponeret. NIHIL HABERE ET CRUX. Jam verò cubicula, veſtes, ſcripta noſtra inſpiciamus, diſpiciamúſque, num eorum ad doctrinam vitámque neceſſario uſui, ulla ſe affluentia miſceat, quæ ſeveram illam proſcriptionē, quâ ſe Baſilius damnaverat, promereatur. Expendamus num ſupellectilis tenuitatem æquet afflictationum, quarum ipſi nobis auctores ſumus, copia, ſic ut non voluptatibus modò Paupertas nos privet, verùm etiam cum Chriſto crucifigat auſteritas.

Orat. in laud. Baſil. To. 54. 118.

Nihil

Nihil habere & Crux. Neq; verò vir sanctus Quadragesimæ solùm, & Adventûs sacris temporibus, ac solis primis Monasticæ vitæ annis eam amplexatus est: imò per omnem vitam & omnia ejus momenta, nunquam sinè Crucis comitatu acerbissimus sui tortor, & Monasticarum Legum Conditor conspectus est, ut priùs eum vita desereret, quàm Crux. *Nihil habere & Crux* : *quam solam* TOTA VITA *familiarem habebat*. Atque hìc ea, quam cum sensibus nostris pugnam sacra nobis Evangelia indixerunt, Metas hubuisse, *& non ultrà* produci potuisse videri possit.

143. At si cum Jona navim conscendimus, non quidem ut à Deo fugiamus, sed ut propiùs ejus monitis accedamus: videbimus infœlicem Prophetam de navi præcipitatum in mare, & inter undas à Pisce devoratum. Jam verò quibus in angustiis gemino naufragio haustus Israëlita deprehensus fuerit, pro se quisque secum exigat. Cœlum ut perduellem damnaverat: Aër spiritum interclu-

tercludebat: Terra portu prohibebat: Unda naufragium minabatur: Cetus captivum attinebat: præsenti periculo, vel dentibus eum comminuendi, vel hausto mari suffocandi. Agnoscens tamen errorem suum Vir Dei, & in hâc tot calamitatum immensitate nihil animo perturbatus monstrosi carceris illius angustias ità sustinuit, ut nec gemitu dolores suos egereret, nec suspirio prosequeretur. Psallebat, philosophabatur, altissimâ contemplatione in suũ se Conditorem recipiebat, neque minùs tranquillè in monstri visceribus agitavit, quàm deinceps placidè sub hederæ
Ion. 2. 39. umbrâ obdormivit. ET ORAVIT JONAS *ad Dominum Deum suum* DE VENTRE PISCIS, *& dixit: qui custodiunt vanitates frustrà misericordiam suam derelinquunt.* Hìc Hieronymus tantæ rei prodigio attonitus, manúsque tanquam extra se raptus jactans, profitetur vix à se credi, quod sacræ Litteræ testátur. Ergóne de Adami Nepotibus aliquis vitiatâ carne involutus, tot pericu-
lis

lis circumſeſſus, tot ærumnis oppreſſus, in ipſo mortis & naufragii aſpectu nullum interitûs vitandi modũ videns, nováq; ſemper infortuniorum ſuorum incrementa timens, ceu in fauces Balenæ, non vorticibus tempeſtatum propediem hauriendus, ſed in Sancta Sanctorum inter fragrantia Thymiamata ſacrificaturus intrâſſet, Deo pro peccantibus ſupplicat, impios arguit, atque ad emendationem exhortatur peccatores? Id quod ego, proſequitur Hieronymus, in conſecratâ Bethlemi ſpeluncâ inter Monachorũ meorum mellifluas lachrymas vix obtinerem, præſtat Jonas inter furentis Oceani fluctus decumanos. *Oravit Jonas de ventre piſcis, qui cuſtodiũt vanitates fruſtrà miſericordium ſuam derelinquunt.* Quid verò præcipuè obſtupuerit Hieronymus, audite; *cerne magnanimitatem* (inquit) *Prophetæ in profundo maris, in ventre tantæ beſtiæ æternâ nocte coopertus, non cogitat de periculo ſuo, ſed de naturâ rerum generali ſententiâ* PHILOSOPHATUR. Quale verò In c.2.Jon. Tom.11.118.

&

& quantum in tam invictæ patientiæ comparatione dedecus nostrum foret, si vel dicto in transeuntes temerè jacto leviter perstricti, vel quâpiam domi veniâ frustrati, vel oculo minùs benigno à Præside aspecti, aut responso minùs reverenti à subditis reddito, aut, penè dixissem, cibo super cœnam minùs condîto, vel potu ad prandium non, quantùm volebamus, refrigerato, sic animo perturbaremur, ut orationis hora se nobis in conceptæ indignationis, ac rancoris non repressi theatrum converteret? Hæ illæ Phocæ sunt, quas subire nos oportet, à quibus absorberi necessum est, quin tamen intepescamus in precibus, & à suggerendis salutis æternæ monitis desistamus: *Oravit Jonas de ventre piscis.* Itáne verò immobilis ille in tantâ rerum confusione perstiterit, & Nobis auræ lenis susurri quietem eripient? Quomodo nos Judici Christo excusabimus, cùm omnis spiritualis exercitationis jactum fecerimus, si fortè nihili rebus offensi, vel ad sacras litteras

medi-

meditandas, vel ad excutiendam conſcientiam prorſus nos ineptos vociferaremur? Et fieri tamen poteſt, ut is etiam cui neceſſitatem amandi paupertatem, ùt Matrem, ſuiipſius divexationem conſectandi ùt præmium, in doloribus exultandi, triumphandi inter opprobria, neceſſitatē Leges imponunt, mirum in modum commoveatur, cùm error ipſius aliquis vulgatur, cùm ornamentum aliquod ſuum negligitur, cùm Jcunculam amiſit non ſuam. Hos dicemus ſcilicet alteros quoſdam Moſes Evangelicorum Conſiliorum Tabulas circumferre, ſi Crucis loco, quæ fuerat humeris deferenda, quemadmodum jubet Chriſtus, noſtrúmque Inſtitutum nos hortatur, nè frondes quidem rami, aut ſpicæ feſtucam ferunt? Sumus profectò, ſumus interdū ſimillimi Coloſſo Chaldaico, qui, cùm tot ſuis relucentibus membris conſpicuus eſſet, atque mirabilis, ſi lapillus voculæ unius cretam actionis cujuſpiam non omni ex parte perfectæ percuſſerit, continuò in pulve-

rem resolvitur. Querimur, ceu nihil de luto, cujus tamen habemus plurimum, haberemus, quia scilicet non toti eo constamus, cúmque nos auri, argenti, æris ingens vis exornat, quæ nos non grandes modò, sed Gigantes efficiunt, unius digiti lutum carpi impotenter ferimus.

Dan.2.34. *Percussit statuam in pedibus ejus ferreis & fictilibus. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento.* Heu me! Tam tenera quorundam mollities est, ut, tametsi sint à rebus necessariis instructi, bene habiti, & in summa Religiosorum pinnaculorum fastigia sublati, se tamen affectos injuriâ, contemptos ac depressos putent, ac vociferentur, cùm in tantâ rerum necessariarum & honestissimorum munerum copiâ iis quidpiam vel levissimi momenti justas ob causas negatum est. Pes unus icitur, & tota continuò in ruinam statua nutat, & in exacerbata cupiditatis non expletæ memoriâ tenuissimus lapillus (quemad-

modum

modum anno ſuperiore me dicere memini) quia ſe inquieti hominis cupiditati in ceram aut lanam emollire non potuit, in tantæ magnitudinis montem excreſcit, ut univerſum occupet Orbem terrarum. Nihil eo qui ſe læſum immeritò queritur, aliud coquente, quàm repulſam ſexcentis licet juſtiſſimis rationibus excuſatam, totidémque promiſſis unam quampiam non promptam indulgentiam infinitis aliis compenſandi condîtam. Quapropter cum Jeremia exclamo *A. A. A. neſcio loqui.* Haud enim verba reperirem, quibus ejuſmodi querelarum, ſi eæ unquam inter nos audirentur, indignitatem exprimere conſiderem. Ardor ille, quem in omnium vultu conſpicio, quo Cruci præacutis Conſtitutionum noſtrarum clavis configi, nec vinearum Chananæarum uvis, ſed felle Montis Calvarii expleri concupiſcitis, ſecurum me jubet eſſe, fore, ut pro ſe quiſque contendat, reddere ſemet Apoſtolicæ vitæ atque aſperitatis vivum exemplar. Sic ut, qui pau-

ciores nobis annos numerant, amorem Crucis concipiant, cùm eam in unoquoque Senum nostrorum expressam viderint: futurum quoque spero, ut mundani homines odio implacabili in libidinis incentiva, & vanitatis blanditias ferantur, pallore nostro commoti, & Religione nostrâ ad virtutem emendati. *Tenebat duas Tabulas Testimonii, & ignorabat quòd cornuta esset facies sua.*

144. Offert se modò nobis examinanda pars altera, quam proposui, Exempli scilicet ac Lucis, ut quæ nunquã à moribus, & à vultu eorum disjunguntur, qui cum beata religiosæ vitæ duritiâ in perpetuam societatem se conjunxerunt. Atque hic Exempli splendor adeò necessarius est sacrorum Ordinum veteranis Patribus, ut eo ad sanctitatem informent eos, qui pauciora stipendia in Religione fecerunt, adeò idem ab universis Dei Ministris requiritur, ad mundi sectatores corrigendos, ut in omni loco & rebus omnibus, ceu Veritatis ac Religionis Soles quidam debeant clarâ in-

in luce oriri ; ità tamen ut animarum profectui occidant nunquam. Et amborum quidem effigiem in se ipso David expressit, dum canit. *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur* Nisi Professi nostri, dum è cōclavi pedē efferunt, universos, à quibus videntur, accendant, non sunt eo gradu digni, ad quem eos Societas evexit. Ego certè fateor, me sub prima studiorum meorum tempora in plerosque Sacerdotum nostrorum incidisse nunquam, quin radii ab eorum gravitate relucentes, mores meos componerent, ad virtutem excitarent, & torporem meum excuterent. Eandem vim atque efficaciam Philosophicis atque Theologicis scholis nostrorum scholasticorum præsentia ministrabat. Qui ceu divinâ luce radiantes Planetæ linguæ silentio, oculorum gravitate, maturitate gestuum, vultûs modestiâ, scriptionis diligentiâ, religiositate disputandi, accuratâ motuum omnium compositione, tum Collegiorum Pontificiorum Alumnos, tum Discipulos univer-

Psal. 118.

ſos, vel ad horrorem vitiorum concipiendum, vel ad perfectionem ardentibus votis conſectandam promovebant. Graviſſima prorſus neceſſitas nos premit adeò quidem, ut, ſi ſecùs fecerimus, jam illi non ſimus quos eſſe oportet, tantam ſanctitatis lucem diffundendi in eos, qui nos aſpiciunt, aut nobiſcum agunt, ut fateri cogantur omnes, ſe ab aſpectu noſtro ſacras flammas Chriſtianæ fortitudinis haurire, quibus omnes terrenarum paleæ cogitationum exurantur, & totum, quod habent, cæleſtium deſideriorum aurum ad purum excoquatur. *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur. Pleriſque enim juſti aſpectûs admonitio correctionis eſt, perfectioribus lætitia eſt.* Gloſſam ſubinde ſuam S. Ambroſius abſolvit, cum dicto: *Quàm pulchrum ergo*, SI VIDEARIS ET PROSIS! In itineribus, allocutionibus, viſitationibus, congreſſibus, diſputationibus, plateis, conviviis niſì eos, qui nos aſpiciunt ſanctos efficiamus, nec Succeſſores, nec Filii Patrum noſtrorum ſumus:

Serm. 10. in Pſ. 118. Tom. 2. ſo.

mus: namque eorum quilibet quocumque pervenisset, tanto fervore corda replebat, ut quantamlibet solutis moribus Babylonem, in dolentem Niniven converteret. Proles suas Parentes intra penetralia domuum abscondebant, si quando Ignatii Operarii vel per Urbes transirent, vel ad concionem dicerent: quòd omnes ferè, qui eos vel audiebant, vel videbant, in Carthusias se recipere, & ad sacra Cœnobia sese proripere consuevissent. *Quàm pulchrum, si videaris, & prosis!* Secùs autem eveniret (quæ quidem foret maxima nostra calamitas) si tot inter alios, qui per domos nostras Angelicâ specie refulgent, pauci aliqui officii sui obliti, non modò eos, qui peccatis suis indormiunt, vocum suarum tonitruis, & actionum suarum fulgoribus non excitarent, sed altiùs etiam sopirent, eò certiùs in rerum caducarum luxu ac vanitate, quam adorant, interituros. Quam enim sanctitatem in alios ille transfunderet, qui in diversoriis, ad quæ illum iter detulisset,

conclave commodius, ac molliorem culcitram cum ſtomacho flagitaret? Quis non honorum, divitiarúmque cupiditate inflammaretur, cùm in familiari colloquio ſtolidâ veneratione adorare dignitates atque divitias ſerviliter obſtupeſcere deprehenderemur? Nimiopere ſubinde ſeculares offenderentur, ſi, quem menſæ ſuæ convivam adhibuerunt, vina æſtimantem, & condimenta commendantem audirent. Heu me! Si Crucis Alumni quidpiam mirantur, præter transfixi Servatoris ſpinas, irriſi Chriſti arundinem, æterni Verbi Præſæpe, dolores ac contumelias, quas ſuſtinuit, jam illi non ſectatores, ſed perduelles ſunt, ac proditores Perfectionis, cui ſacramento ſe addixerunt. *Quàm pulchrum, ſi* VIDEARIS ET PROSIS! Nisì æternarum rerum amorem fluxi temporis mancipiis inſeramus, neceſſe prorſus eſt, nos de culmine noſtræ profeſſionis excidere. Sit ergo totius noſtri corporis habitus volumen quoddam propheticum, quo vel viſo, nè dum devora-

to,

to, virtutis desertoribus viscera inamarescant, & emendari cupientium ora dulcescant.

145. *Videaris & prosis?* Nimis profectò Vocationis nostræ majestatem deprimo, si à Filiis Societatis requiro, ut ipso aspectu suo ad pietatem intuentes permoveant. Quid? Nomina quoque nostra Laicis hominibus in memoriam revocata, soláque aspectûs nostri recordatio id in cordibus hominum vanitati deditorum præstare debent, quod Spiritus sanctus in animis Discipulorum in Cœnaculo Sionæo collectis effecit. Id enim verò eveniebat Civibus Nazianzenis, quoties Matrem, Patrémque Gregorii Theologi nominabant. Ad eorum nominum sonum petulantes continebant se se; manum à rapinis avari retrahebant; lascivorum flammæ restinguebantur; superbos sui fastûs pudebat; Impii demum, Sacrorum & Christianæ Religionis hostes Christo capita submittebant. *Gregorium dico & Nonnam* (ità de genitoribus suis scribebat

Orat. in laud. Greg. To. 59. 87. tantæ auctoritatis Doctor) *nam* NE NOMINA QVIDEM IPSA PRÆTEREUNDA SUNT, UT QVÆ VEL SOLA *virtutis studium in hominum animis excitare queant.* Id hodiéque in aliquibus nostrûm renovatur, quorum excellens virtus omnes, à quibus nominantur, manu pectora plangere, & ex oculis profundere lacrymas cogit. Equidem incredibili lætitiâ gestio, si quando viri amplissimi & Ecclesiastici venerabiles illato fortè sermone de iis, quos vel in Litteris Magistros, vel Duces animarũ suarum habuerant, attoniti ac lacrymabundi eorum laudes celebrant, & capta ex iis pietatis emoluméta recensent. Sat est, inquiunt, præceptionum, quibus nos instruxerunt, & sanctitatis, quâ vitam exegerunt, meminisse, ut Christianæ innocentiæ imaginem renovemus, quam in animis nostris majores vestri descripserunt, dum litterarum Palæstras in totidem egregiæ virtutis, ad quam nos inflammabant, Sanctuaria consecrarent. *Ne nomina quidem prætereunda*

da ſunt, ut QVÆ VEL SOLA *virtutis ſtudium in hominum animis excitare queant.* Neque mihi difficile foret eorum virorum nomina referre, niſi longiſſimus eorum texendus Catalogus eſſet, totum præſentis diſſertationis tempus occupaturus. Vos ipſi probè nôſtis, quas flammas in cordibus noſtris tot Senes noſtri excitent, qui nobiſcum vitam agunt, Diſciplinæ obſervantiâ venerabiles, & vix imitabili virtute conſpicui.

146. Ab his ſi diverſos in publicarum afflictationum frequentiâ, privatorum colloquiorum ardore, modeſtiæ virginalis purpurâ, exterioris pietatis fulgore, affuſis Sacrificio Divino lacrymis, cruciatuum uſitatorum auſteritate, cæleſtis meditationis voluptatibus, Apoſtolicæ prædicationis fervore, Religioſæ ſtudio nuditatis, ſanctarum ærumnarum deſiderio, ambitione cedendi omnibus, cunctis famulandi, ſubjacendi univerſis: ſi diſſimiles, inquam, nos præſtaremus, enimverò pro gloriâ, quæ à Majoribus noſtris in os derivata eſt, probra,

probra, minas, atque ſupplicia in nos provocaremus. Id Alumnis ſuis denunciabat Bernardus, cùm veteres Monachos commendaret, paucóſque aliquos prioribus illis diſſimiles, reprehenderet.
Ser. 60. ſup. Cant. Tom 2. p. 176. *Malè prorsùs tibi cum tua radice convenit.* ARBOR PUSILLA, *tortuoſa, nodoſa. Radix enim ſancta. Quid eâ dignum tuis* APPARET IN RAMIS? *Ficus, inquit, protulit groſſos ſuos. Non hos nobili à radice traxiſti, ſemen nequam, quod in eâ eſt,* DE SPIRITU SANCTO EST, *ac per hoc ſubtile totum, ac ſuave.* Quid nos juvat, quòd ſuſpenſæ de portis noſtris imagines fulgeant hominum noſtrorum, quos Eccleſia in numerum Sanctorum retulit; Beatorum noſtrorum, quos Aris impoſuit; tot illorum Sacerdotum, qui in utraque India à Barbaris jugulati, fuſo ſanguine duris Ethnicorum cordibus Evangelium inſcripſerunt. Tot illorum nobilium Scriptorum nomina, qui voluminibus ſuis confutârunt Hæreſes, Diœceſes erudierunt: quid, inquam, in rem noſtram erit, ſi

noſtrûm

nostrûm aliquis ab eorum pietate diversus vitam desidem ageret, & ignavam mortem oppeteret? Qui enim temporis veneficio contactus sic animam exhalat, næ is supremis vitæ suæ momẽtis à primis Patriarchis Societatis illo Bernardi tonitru fulminatum se deprehendet. MALE TIBI CUM TUA RADICE CONVENIT, *Arbor Pusilla & tortuosa.* Túne tam parùm à terra te sustuleris, qui eo in solo succrevisti, quod Cedros suas ad Stellas usque provexit? Primarum arborum folium quodlibet, *erat ad sanitatem gentium.* Invictum illud odium, quo Præfecturas ac Dignitates quaslibet abominabantur, omnes elati animi motus comprimebat. Inextincta illa sitis, quâ & sudare semper, & nunquam non aspera quæque pati ardebant, extimulabat animos effeminatos, ut desertis Epicuri viridariis ad Hilarionis & Antonii nemora se conferrent. Cùm palàm in calumniis, injuriis, & exiliis triumpharent, adeò fidem omnem inanibus atque evanidis superbiæ Apoc. 22. 2.

biæ molitionibus, & Magicis humanæ gloriæ præstigiis abrogabant, ut innumerabiles essent, qui de summis, in quæ ascenderant, Honorum ac Magistratuum fastigiis in abjectæ vitæ humilitatem, & ad contemptæ vulgò professionis latebras se dimitterent. Ut adeò S. Ephrem majores suos describens de nostris vaticinatus fuisse videatur. *Quis enim admirandam illorum cernens humilitatē* ANIMO NON EST COMPUNCTUS? *Aut quis eorum mansuetudinem aspiciens stupore non est correptus? Quis ità pecuniæ deditus*, UT, ILLORUM PAUPERTATE PERSPECTA, NON ILLICO MUNDI ODIUM CONCEPERIT? *Quis fornicator aut profanus illos precibus intētos prospexit*, ET NON CONTINUO PUDICUS *effectus est*.

De Vita Relig. To. 50. 89.

147. Patres mei! Per nos stat, utrùm malimus; aut majorum nostrorum vestigia premendo coli ac commendari, aut ab illis degeneres reprehensioni Bonorum, & Improborum satyris expositi ætatem exigere. Postquam enim

enim Insignia Christi semel induimus, seculi pedicas evasimus, & ad Apostolorum dignitatem sublati sumus, non licet nobis ampliùs mediocribus esse, aut inter homines non instar Apostolorum vivere. Miseros nos ! nisì ob fervoris vehementiam flammas quaquaversum ejaculamur. Quippe in medio Evangelicorum Heroum & virtutis amantium secularium positi spirituum damnatorum, qui Cælo delapsi remanserunt in aëre, Angelorum in sedibus beatis regnantium, & Justorum in Ecclesiâ Divinæ Gratiæ sanctitatísque ornamentis fulgentium spectatores, nec tamen illorum præmiis, nec horum meritis fruuntur, sortem longè miserrimam repræsentaremus. Dæmon quilibet, ait Bernardus, *in aëre isto, medium inter Cælum & terram de Cælo cadens sortitus est. Quàm miser, cùm suspicit Cælos, in quibus innumeros Montes intuetur, divinâ claritate fulgentes, divinis laudibus resultantes, sublimes in gloriâ, abundantes in gratiâ! Quàm miserior, cùm respicit terram, Montes*

Ser. 54 super Cant. To. 112. 166.

tes nihilominꝰ quàm plurimos de populo acquisitionis habentẽ, Fide ſolidos, Spe excelſos, Charitate ſpecioſos, cultos virtutibus.

148. Immortales autem Chriſto gratias debemus, cujus nomen ædium noſtrarum valvis inſcriptum, multóque meliùs mentibus impreſſum noſtris tam pudendi ſupplicii ignominiâ nos eximit. Non profectò, non ſumus nec inferiores iis, qui domi noſtræ cæleſtis virtutis famâ inſignes ante nos fuerunt: quin etiam illis palmam nos erepturos eſſe confidimus, qui ſuis in domibus Patrimonio ſuo ſobriè uſi Evangelio laudabiliter deſerviunt. Equidem ità mihi perſuadeo, nullum de Societate unquã in publico conſpici, quin manu ſuſtineat Conſiliorum Evangelicorum accurato ſtudio ſervatorum tabulas, & vultu præferat ſplendidos radios morum, pluſquam dici poſſit, ad omne virtutis exemplum illuſtrium: Hoc tamen effectum dare haud poſſemus, niſi Moſen imitati, diu multúmque cum Deo verſati antè fuiſſemus. *Ex conſortio ſermonis Domini.*

ni. Tam copiosâ luce facies Stephani coruscabat, ut Pharisæorum pariter ac Scribarum oculos hebetaret. *Intuentes eum omnes qui sedebant in Concilio, viderunt faciem ejus, tanquam faciem Angeli.* Nempe vos in illo Cherubinum videre videmini, quia ipse Jesum inter nubes contemplatur, à quo & robur ducit, ut lapidum jactus excipiat, & lucem, quâ homine major augustiórque videatur. Sic de illo ad Irenæum S. Ambrosius scripsit. *Stephanus Jesum videbat, & lapidari non formidabat.* Qui mente oraverit, & interiores animæ suæ oculos in Divinæ Naturæ Perfectiones defixerit, is veluti arbor vitæ fructum pietatis mortalibus omnibus impertietur. Quòd si verò nostrûm aliquis meditandi usum negligeret, quid aliud quàm sterilem atque aridum truncum eum futurum existimas, securibus debitum, & flammis devotum? Prorsus ut, nisi fontanis aquis, aut cœlestibus pluviis irrigata, nulla stirps germinat: Ità teste Joanne Chrysostomo nullus Religiosus sinè precum

Ep. ad Iren. To. 40. 53.

usu famâ sanctitatis florere potest. *Decet igitur* NOS CUM PRECATIONE CURSUM VITÆ PERAGERE, *atque hanc mentem assiduè rigare. Siquidem eâ omnes homines non minùs opus habemus,* QVAM ARBORES AQVARUM HUMORE. *Illæ fructus producere, nisi bibant humorem non valent, neque nos pietatis fructibus poterimus esse gravidi,* NISI PRECIBUS IRRIGEMUR. Miramini forsan tam sterilem interdum cujusdam Operarii nostri laborem esse, ut è tam multis, quos excolit, nè unum quidem ad pietatem permoveat? Nimirùm meditationis horam otiosè transigens misellus cælestibus imbribus se privat, ac proinde aridus & exsuccus iis, quibuscum agit, vitam inspirare neutiquam potest. Ejus verba non modò non suscitant Quatriduanos, graveolentes, putrésque Lazaros, sed velut discordia Cymbala molestissimo tinnitu aërem replent, audientésque affligunt potiùs, quàm excitant. Ejus actiones ceu frigidissimi simulacri exanimes umbræ, nec

Lib. de oran. Deum. To.46.179.

jacen-

jacentes erigunt, neque nutantes confirmant. *Neq; nos pietatis fructibus poterimus esse gravidi, nisi precibus irrigemur.*

149. Atque utinam Divinarum Litterarum, & sacrorum Evangeliorum meditatio id prorsus, quod arboribus aqua, Religiosis animabus præstaret. At enim contrà accidit: Nam sub sudo etiam Cælo diu stipites vivunt, & si fortè non florent, virent tamen aliquanto temporis spatio. At contrà quisquis non contemplatur, statim frondes amittit, & protinus marcet. Ea propter dicta retractat Chrysostomus, atque ut ineluctabilem precandi necessitatem luculentiùs exprimat, Evangelicam contemplationem virtutis nostræ animam, & animarum nostrarum spiritum appellat. Jam verò, ut unumquodque corpus, quantumvis rubustum, vividum, vegetúmque, si ab animâ destituatur, simul & colorem, & vires amittit, ac paulatim in saniem diffluens horrorem movet oculis, & naribus pestem afflat: Ità pariter Religiosus rerum cælestium æternarúmque

rúmque ac ſacrorum oraculorum meditatione defectus, modeſtiæ colorem deperdit, zeli nervis deſtituitur, in Diſciplinæ cuſtodiâ friget, alios pravi exempli contagione corrumpit, & totum denique, in quo verſatur, Cœtum inficit, atque dehoneſtat. *Quemadmodum enim* CORPUS *hoc noſtrum* SI NON ADSIT ANIMA, PROFECTO MORTUUM EST *ac fœtidum* : *ſic anima, niſi ſe ipſam incitet ad orandum, mortua eſt ac miſera, & graviter olens.* Ah! Ignatii progenies, ac viſcera mea! Mori malimus, quàm non orare! ſic ego dico, quia laudatus Doctor ità ſcripſit. *Oportet* QVAVIS MORTE *triſtiùs exiſtimare, ſi quis* DEPRECATIONE PRIVETUR. Si morbus fortè Cilicium nobis detraxerit, Orationem tamen vel ægri non omittamus. Inter febris quoque ardores intentos in Crucifixum oculos habeamus, & quantum per capitis infirmitatem licet, breviùs quidem, nec tamen minùs ferventer ad Deum nos ſuſtollamus, & totos immergamus æternitati.

Lib de oran. Deum. To. 46, 178.

Ibid.

San-

Sandapilam nobis admoveri feramus patientiùs, quàm à precandi consuetudine dimoveri. Sublevati ad superos animi suspiria cum extremo vitæ deficientis halitu confundantur. MORTE TRISTIUS, *si quis* DEPRECATIONE *privetur*. Expendite modò vos an propter quodcumque negotium, aut studia quælibet vel abrumpi, vel negligi meditatio debeat. Meditari nos oportet in lectum prostratos: & contemplationem omittemus scilicet, cùm vel navigamus, vel equitamus? Non Joannes Patriarcha nobis auctor est, qui hæc litteris mandârit; non Paulus Apostolus, qui hæc doceat; non Jeremias Propheta, qui suadeat; Christus est Dei vivi Filius, qui jubet, qui loquitur: OPORTET SEMPER ORARE, *& nunquam deficere*. *Luc. 18. 1.* Quid edicto tam manifesto vos opponetis, animæ, quæ tam facilè à Deo oculos animósque avertitis, & præscriptæ orationis ob quamlibet terreni negotii vel levem umbram, jacturam facitis? SEMPER ORARE, *& nunquam deficere*.

re. Hæc consuetudo semper sanctéque custodita simillimos nos Moysi efficiet, non Divinæ Legis solùm Tabulis & lucis splendore, verùm etiam illâ zeli divinitate, quo inflammatus Legislator campos cadaveribus texit, & fossas sanguine inundavit; cùm externorum rituum & aureorum vitulorum sacrilegia vindicaret. Quemadmodum ego vos Patres, qui Provinciarum nostrarum columnæ Principes estis, atq; in hanc Urbem profecti, ùt vivum Societatis Templum fulciretis, ceu redivivos Moses, Constitutionum nostrarum custodiâ, & exemplorum fulgore præstâtes intueor; ità reduces vos illi, qui aliquantùm à recto virtutis tramite deflexerint, à vobis increpiti, & ad internecionem deleti, si quidem in degeneri situ computrescũt, nec frigoris sui emendationem promittunt, Prophetæ illius Æmulos experiantur. Neque verò severitatem ejusmodi Religiosorum Ordinum Veteranis ipsorum arbitrio permissum fuisse credatis. Est id præceptum ipso naturæ jure sancitum,

citum, ramos aridos amputantis, ut stirpem fecundet. Tigrium instar ululant in Inferno toti Ovium greges, illic ardentium, quia hîc in solitudine Religiosâ tepuerunt. *Sicut* OVES IN INFERNO *positi sunt.* Abbatem Godefridum eum locum interpretantem audiamus. *Oves ibi, non propter veram innocentiam, sed propter* INHONESTAM SIMPLICITATEM; QVA MALIS RESISTERE NOLUNT, VEL NESCIUNT, *eos appellat, quos sinè fine perituros esse denuntiat. Et ideò rejecto simplicitatis velamine palàm loquamur veritatem, cum Prophetâ dicentes: Quis consurget nobis adversùs malignantes, aut quis stabit nobiscum adversùs operantes iniquitatem? Nos tales sumus, aut tales esse debemus, qui laudes hominum non affectemus, neque eorum vituperationem expavescamus.* Et quoniam omnes in Societate aut Præsides estis, aut eritis, par est abominari vos prævaricationes, & prævaricatoribus non parcere. Quòd si fortè aliquis descendens ex Hierosolyma in

Latrones inciderit; perbenignè defæcatissimóq; oleo curetur, reducatúrq; ad ovile: Latro autē qui viatores lethali vulnere prosternit, juguletur. Infirmis tendantur auxiliares manus, iis verò, qui offendiculo sunt imprudentibus, Mola intentetur, denuncietúrq; naufragiū: Nam si clausis oculis noxas prætermitterem⁹, & noxios palparemus, non jam Pastores gregis essemus, sed Lupi. *Quomodo Deum* (prosequitur memoratus Abbas) *ac Dominum sequimur vidētes abominationem stantem in loco sancto*, SI TACEMUS? *Si quis est Domini jungatur mihi, occidat vir fratrem, & amicum, & proximū suum; si ergo ille Dei dicitur, qui* CONTRA DELINQVENTES *zelo Divini amoris excitatur*: PROFECTO SE DEI ESSE DENEGAT, *qui eorum pravas actiones incusare recusat*. Video, video in altera manuum vestrarū Decalogum Mosaicum, & in alterâ gladium Apostolicum, hoc ut à Societate quidquid vitiosum est submoveatis; illo, ut eam disciplinæ custodiâ reddatis gloriosam; ac sicut non satìs

habuit

habuit Propheta, divina ſibi præcepta privatim injungere, nisi populis, quos ducebat, eorum obſervationem demandaret; Ità vobis non ſufficiat vitæ veſtræ ſanctitas, nisi ſubditos veſtros ac Filios ſanctos eſſe cogatis, veſtrorum morum clariſſimâ luce viam illis commonſtrante, atq; illuſtrante. Et ſiquidem Exempli lumen ſuffecerit, ſupplicii gladium indulgentiæ vaginâ recondite. Impigrè verò illum ſtringite, ſi quãdo, ut ferventibus ſua virtus, & Societati ſua fama cõſervetur, etiam reſcindendus eſſet, qui admonitus non reſipiſcit, qui erectus à caſu non evadit in ſublime, qui Dei veſtríſq; vocibus ſe contumacem præbet. In hunc modum omnes noſtræ domus attentis excubiis communitæ quemlibet Operariorum noſtrorum talẽ formabunt, qualem deſcripſi, qualémque ipſo principio Allocutionis meæ optavi, nempe Moyſen aliquem ob Legum cuſtodiam, & ſplendorem vitæ populis omnibus venerãdum; quales ſcilicet eſtis, futuríque ſunt univerſi. *FINIS.*

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

Numerus Paragraphum non Paginam indicat.

A

Anima-

B

C

Canes

Alienus

Item

Ri-

S.Te-

Non

O. A. M. D. G.

